JC.19.Pl.5.

37
29 C
1

1163

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆLECTIONES
THEOLOGICÆ
DOGMATICÆ-POLEMICÆ-SCHOLASTICÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


P. MAG. FR. JACOBUS HYACINTHUS SERRY ORD. PRÆD. DOCTOR SORBONICUS, ET IN UNIVERSITATE PATAV. PRIMARIUS S. THEOL. PROFESSOR.
Quo vultu fuerit, qua forma SERRIUS, Icon
Iſta refert; animum nulla tabella poteſt.
Noveris aſt animum, ſi plura volumina volves,
Quæ ſcripſit: calamo pingitur ille ſuo.
Cætera quid memorem? fruſtra eſt: tibi SERRIUS eſſe
Ignotus, toto notus in Orbe, nequit.

PRÆLECTIONES

Theologicæ — Dogmaticæ — Polemicæ — Scholaſticæ
habitæ in celeberrima PATAVINA ACADEMIA.

A P. M. F. JACOBO HYACINTHO
SERRY
ORD. PRÆD. DOCTORE SORBONICO
AC
PRIMARIO IBIDEM SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE.

Quas in unum collectas, atque in ordine collocatas

ILLUSTRISSIMIS, ATQUE EXCELLENTISSIMIS VIRIS

JOANNI, ET PETRO
BASADONÆ

FRATRIBUS

VENETIS SENATORIBUS AMPLISSIMIS

D. D. D.

CAMILLUS MANETTI UTINENSIS J. U. D.

OPUS POSTHUMUM

IN QUINQUE VOLUMINA DISTRIBUTUM.

Cui accedunt ejuſdem Authoris Opuſcula varia, aliàs quidem pluries edita, ſed hodie perquam rara, & fruſtra ab Eruditis avidè perquiſita.

Volumen Primum.

De ineffabili Trinitatis Myſterio: de Mundi opificio, Protoparentibus, & Paradiſo Terreſtri: ac de variis Humanæ Naturæ Statibus; ubi de peccato Originali, & de Hæreſi Janſeniana ad quinque famoſas Janſenii Propoſitiones a S. SEDE proſcriptas.


VENETIIS

APUD THOMAM BETTINELLI

SUPERIORUM PERMISSU, AC SENATUS PRIVILEGIO

MDCCXLII.

Digitized by Google



Illuſtriſſimi, atque Excellentiſſimi

D. D.

FUERE non pauci, iique celeberrimi Nominis Viri, qui cùm audijſſent, ad manus meas perveniſſe plurimas ex Theologicis Prælectionibus, quas olim

Digitized by Google

in Archilyceo Patavino Vir Doctiſſimus, atque Clariſſimus P. M. Jacobus Hyacinthus Serry O. P. Doctor Sorbonicus, dum ibidem publici Theologiæ Profeſſoris munere fungebatur, memoriter, ut moris eſt, e Cathedra pronunciaverat, nedum enixè a me flagitarunt, ſed, veriùs dixerim, vi quadam & violentia me impulerunt, ut eaſdem typorum ope publici juris facerem; tantumque literariæ Reipublicæ beneficium impertirer. Antequam tamen in earumdem collectionem manus animumque converterem, illud imprimis mihi curandum cogitavi, ut clariſſimi alicujus Nominis ſplendore Frontem Operis illuſtrarem, Patronumque ei adſciſcerem, qui & Humanitate illud exciperet, & Authoritate ab Æmulorum impetu immune ſervaret. Hæc mihi cogitanti Veſtra præclariſſima Nomina, SENATORES AMPLISSIMI, occurrerunt;

rerunt;

rerunt; quorum quidem Humanitas, atque Authoritas ſummæ ſunt; quorum præterea in Literatos, eorumque labores favor maximus, ac erga meipſum Benevolentia tanta, quantam Beneficia multa, quæ in me hactenus contuliſtis, ſatis teſtantur. Hunc itaque poſthumum Clariſſimi Parentis fœtum, dum Vobis dico, Tutelæ, ac Patrocinio Veſtro committo, unàque ſimul obſervantiæ erga Vos meæ, gratique animi teſtimonium, qualecumque illud ſit, refero. Injurius porro & illi, & Vobis videri poſſem, ſi, quod offero, munus ut libentiùs reciperetis, vel validiùs tueremini, ut moris eſt, præconiis exornarem; vel laudes Veſtras, totiuſque nobiliſſimæ Baſadonicæ Sobolis laxis habenis, ut implurimùm fit, celebrarem. Neque enim vel Serriana Opera, vel Vos, Patres Optimi, me laudatore indigetis; cùm & illa

Parente ſuo ſatis clareſcant, & Vos magis peragere, quæ laude digna ſunt, quàm laudes audire, ſemper conſueveritis. Tanta præterea, totque Veſtrarum laudum Argumenta ſuppeterent, ut mihi difficile æquè foret principium, ac exitum invenire. Sanè dicendarum rerum multitudine prorſus obruerer, ſi quæ de Vobis, Veſtraque Illuſtriſſima Stirpe, ex qua, ut a fœcundiſſimo Heroum Stipite, innumeri prodiere præſtantiſſimi Viri ſive infulati, ſive togati, ſive armis conſpicui, dici poſſent, ſingillatim vellem hìc recenſere. Quis porro difficillima Reipublicæ Negotia tanta Sapientiæ, Prudentiæ, Fortitudinis, Sagacitatis laude a Majoribus veſtris peracta (ex quo primùm ob fugatos Genuenſes Familia Veſtra in Patriciorum Ordinem fuit adſcripta) ſeu Domi, ſeu foris, Terra, Marique, enumerare valeat? Quis honorifi-

norifi-

norificas Legationes ad Romanos, Gallos, Germanos, Hiſpanos præclarè exercitas ſatis pro meritis commendare? Eæ etiamnum memorantur, quas ſumma cum laude ſuſtinuit Joannes Tritavus Veſter, Doctor & Eques, apud Maximilianum Sfortiam Mediolani Ducem, Franciſcum I. Galliarum Regem, Carolum V. Romanorum Imperatorem, & Paulum III. Romanum Pontificem: quibus quidem in Legationibus tantum penes utrumque Regem promeruit; ut Alter Lilia conceſſerit, Alter Aquilam, quibus tanquam regiis Inſignibus Gentilitium Baſadonicæ Familiæ Stemma impoſterum ornaretur. Suſpiciunt adhuc, atque admirantur Romani, & Hiſpani Legationes a Petro Patruo Veſtro præclariſſimè geſtas; quæ quanta cum laude communi expectationi reſponderint, quodque de Ejus Prudentia judicium factum fuerit,

ſatis

ſatis oſtendunt Equitis Honos, & Procuratoria D. Marci Dignitas, ſtatim poſt reditum Ipſi collata; quem poſtmodum Clemens X. inter Eminentiſſimos Eccleſiæ Proceres, miſſo per Ab. Emanuelem Duratium Ejus Cubicularium in teſtimonium diſtincti honoris Cardinalitio parvo galero, cooptavit, dum prægrave Sereniſſimi Majoris Conſilii Sapientis munus obiret. Sed quid mihi dicendum foret de Majoribus illis, qui longo Sæculorum tractu præceſſerunt? Quid ſi a priſca Sennonum Gente vetuſtiſſimæ Familiæ Veſtræ originem repetere mallem? Equidem non brevis a me nuncupatoria Epiſtola ſcribenda foret, ſed Volumen integrum adornandum. Quamobrem de Majoribus ſileo: de Vobis autem quid dicam, Ampliſſimi Senatores? Quid de Veſtrà in publicis adminiſtratis Negotiis Integritate, in potiſſimis Reipublicæ Muniis obitis Dili-

ligen-

ligentia, in exercitis Magiſtratibus Vigilantia, in optimis inſtaurandis Artibus, Diſciplinisque fovendis Studio, in ſervanda omnium Ordinum pace Sollicitudine, in promovendo Divino Cultu præſtantiſſima Religione, ac demum in literarum Cultoribus excipiendis, protegendiſque Cura maxima, ac Propenſione? Nam ſi Veſtra erga Rempublicam Merita, quæ tot Præfecturis, Magiſtratibus, & Officiis integerrimè exercitis Vobiſmet hactenus comparaſtis; ſi præſtantiſſima Beneficia, quæ in Privatos cujuſcumque Ordinis pro Veſtra ſumma Humanitate quovis tempore contuliſtis; uno verbo, ſi quæcumque a Vobis optimè geſta ſunt, perſequi vellem; vereor ne & me tanto ferendo oneri prorſus imparem manifeſtarem, & cum Modeſtia Veſtra plus nimio decertare deberem. Quapropter conſultiùs duco, Senato-

res

res præclariſſimi, Virtutes Veſtras, partamque Gloriam tacitus venerari, quàm eas minùs æquè Oratione complecti. Faxit Deus Opt. Max., ut quam dignis verbis amplificare non poſſum, Gloria Veſtra in dies augeatur ad Patriæ commodum, & Reipublicæ decus. Faxit, ut Opus iſtud, quod Vobis venerabundus offero, Judicio veſtro probetis, Præſidioque, atque Authoritate veſtra tueamini. Valete interim, Patres Optimi; meque Vtriuſque cultorem obſequentiſſimum, uti jam ſemel in Clientelam Veſtram recepiſtis, ita in ea perpetuò ſervate.

Servus Humillimus, Addictiſſimus, Obſequentiſſimus.
CAMILLUS MANETTI.

A D

AD LECTOREM
COLLECTORIS
PRÆFATIO.

ESSET ſummopere optandum iis omnibus, qui literarum decori, incremento, atque utilitati proſpiciunt, ut Viri illi doctiſſimi, communi certè Bono, & Commodo nati, ac veluti Cœlo delapſi, qui Ingenio, Diligentiâ, atque Doctrinâ Cæteros antecellunt, ſicut Nominis immortalitatem facilè conſequuntur, ita vitam quoque nobiſcum agerent ſempiternam. Sed cùm Mortalium cuique certos, ac circumſcriptos vivendi fines immutabilis Naturæ Lex conſtituerit, ac ſeriùs ociùs Cunctis tandem migrandum ſit; non modò & ſplendidiſſima ea Lumina communi, atque irrevocabili fato extinguuntur; ſed (quod magis dolendum eſt) id quoque incommodi accedit, ut quæ ii magnis laboribus, diuturniſque vigiliis elucubrata poſt ſe Opera reliquerunt, quæque maximam Poſteritati utilitatem allatura eſſent, infeliciter pereant ſæpenumero, atque ab Hominum memoria penitus deleantur. Id ne Viri Clariſſimi *JACOBI HYACINTHI SERRY* Ordinis Prædicatorum, Doctoris Sorbonici, ac primarii, ut ajunt, in celeberrima *PATAVINA ACADEMIA* integro quadraginta annorum curriculo Sacræ Theologiæ Profeſſoris Operibus poſthumis aliquando eveniret, nedum ardenti ſtudio ſum deprecatus; verùm etiam ea citiùs ad Nos ſalva & integra perventura eſſe, diu multùmque ſperavi. Neque enim id fieri poſſe arbitrabar, ut quibus tam pretioſa Supellex hæreditario veluti jure obvenerat, & quos hæc tangere cura ſummopere debere videbatur, ullatenus paſſuri eſſent, quòd hi præclariſſimi Ingenii fœtus omnino cum Parente ſuo interirent. Sed cùm, aliquot elapſis annis, egregia ſpe fruſtratum me eſſe, non abſque ſumma admiratione, conſpexerim; nec quidquam præterea appareret, quo in ea confirmarer, (quanquam cur ita acciderit, nec quæri, nec argui quemquam a me oportere putaveram) de Serryanis Prælectionibus prælo per memetipſum committendis cœpi ſeriò cogitare. Atque illud quidem menti meæ occurrebat, neminem præter me fore, qui provinciam iſtam, deſertam ab aliis, meliùs atque commodiùs occuparet. Quamplurima

ſiquidem ejuſdem Authoris Autographa penes me habebam; alia multa, ubi extarent, probè noveram; quæ mihi exſcribere ut darentur Amicorum favore, certiſſimus eram; cùm & Aliis partim exſcribere permiſſum fuiſſe (imò & procul mittere) haud ignorarem: quod re ipſa pro votis contigit quàm feliciter. Accedebat, me præ cæteris Authoris Scriptionem pleniùs intelligere, quantumvis negligenti calamo exaratam, lituris, ac mendis deformatam, vel ſignis obeliſque paſſim conſperſam, prout addere, ſive adimere Magiſtro, data occaſione, libuerat. Nam cùm Patavii Studiorum meorum cauſsâ verſarer, meque tanti Præceptoris diſcipulum conſtituiſſem, ea mihi ſors contigit, ut nedum publicis, ſed & privatis ejus Inſtitutionibus, ſapientiſſimiſque Colloquiis quotidie fere mira cum voluptate fruerer, ſingularique ejus Benevolentia me proſequutum plane animadverterem: quo factum, ut ex a ſe ſcriptis, jamque ſemel pronunciatis Prælectionibus quaſcumque vellem (volebam autem plurimas) facilè is mihi concederet exſcribendas: quin & non pauca earum Autographa Ipſemet (nec enim fœtus ſuos Vir Sapientiſſimus magni faciebat, ſed negligebat potius, atque deſpiciebat) ſtudio fortè meo delectatus, gratumque id mihi fore quàm maximè, ut verè erat, arbitratus, largitus eſt perquàm liberaliſſimè. Hinc mihi duplex accidit commodum; Lucubrationum videlicet acquiſitio, & abſolutiſſima Scripturæ intelligentia; qua quidem facile id mihi foret præſtandum, quod Aliis fortaſſis minùs in hacce exercitatione verſatis difficile admodum extitiſſet. Multa quoque alia occurrebant, quibus me ad hoc conſilium capiendum magnopere impelli ſentiebam; quæ tamen, ne gravior Lectori fiam, prætereunda duco: illa præſertim Authoris noſtri ſumma Literatorum exiſtimatio; cultus meus erga illum, reverentia, ac gratitudo; quibus profectò juſtiſſimè teneor, æternùmque tenebor, etiamſi diutiſſimè viverem. Quid? Scripta ipſa, quæ penes me domi habebam, meis aſſiduè auribus obſtrepere videbantur, ut e carcere, quo ea retinebam, in honeſtiſſimam libertatem tandem aliquando traducerem; eòque res ſuas adductas eſſe, ut in me uno vitam, ſalutem, dignitatemque ſuam poſitas faterentur, ac pleniſſimè conſtitutas. Hæc itaque me meditantem, & adhuc tamen hærentem, qui non modò Voluntatem, ſed & vires meas perpendebam, Nonnulli Amicorum meorum, imò & Patronorum (quorum & judicio, & authoritati plurimum defero) vehementibus adhortationibus excitavere, aut veriùs violentia quadam coegere. Præclaram me rem facturum eſſe ajebant, ſi nedum optimè de me meriti Authoris laudi inſervirem, ſed Literatorum omnium commodo conſulerem: huc horum vota unanimi conſenſu, & ardore undique conſpirare; nec petere eos tantùm, ſed flagitare; quin & mirari,

rari, neminem reperiri, qui Opera publica luce digniſſima e latebris, quibus indignè latebant, educere, atque eripere, & in Omnium conſpectu collocare, niſu omni laboraret : id fere omnibus Sapientiſſimorum Hominum Scriptis poſthumis evenire, ut maxima cum literarum jactura, niſi virente adhuc recenti eorum memoriâ cito ad Poſteros tranſmittantur, illa quoque deinceps pereant omnino, ac penitus amittantur : pulcherrimam bene merendi de univerſa literaria Republica facultatem mihi uni oblatam eſſe: quam quidem bene merendi rationem non minùs obtinere, qui ſuis, quàm qui aliorum optimis Lucubrationibus ornare illam, atque amplificare contendunt. Plura etiam ejuſmodi alia ingerebant, quibus tanquam telis, & catapultis animum meum, etſi minùs propenſum & inclinatum, vincere, atque expugnare valerent. Quæ quidem ſingula ideo accuratiùs, quàm fortè oportuit, percenſere volui, ut ſi qui (aut quòd minùs æquè eximii Authoris gloriam laudemque perferant, aut quòd hunc mihi honorem invideant, aut quòd aliter omnino ſentiant, cùm non ſit eadem ſemper omnium opinio) crimini mihi vertant, quòd hanc ego curam ſuſcipere aggreſſus ſim, quaſi manum in alienam meſſem temerè injicere auſus fuerim, os illis, linguamque præcludam. Eam etenim conſilii mei rationem quiſquis animo nullis præjudiciis occupato perpenderit, profectò & id, quod facio, probabit; & me, ſi ſecus feciſſem, juſtiſſimam cordatorum Hominum reprehenſionem nullo pacto effugere potuiſſe exiſtimabit. Ii verò, qui illuſtris Authoris famâ permoti, ejuſque Sapientiâ vehementer abrepti non modò conſilium meum non improbarunt, ſed ſtimulos quoque, ut quàm citiſſimè illud executioni mandarem, continuò addidere, quin etiam deſidiæ, quòd ipſis ſegniùs agere fortè viderer, ſubinde incuſabant; ſi liberaliter agere velint, cogitare utique debent, quàm mihi operoſum onus impoſuerim, quantoque cum temporis diſpendio res fuerit ad optatum finem perducenda. Non enim unicum aliquod Opus nactus ſum, in quo de una eademque re perpetuò diſſeratur; cujuſque partes quaſi in ſolido quodam corpore invicem omnino cohærerent, ſibique copularentur; ſed membra veluti quædam e toto corpore, imò e multis corporibus divulſa, atque diſcerpta, nulloque fere diſcrimine permixta omnia, ac perturbata. Alterum etiam addebatur; quòd non ita magnificè de nobis ipſis ſentiremus, ut rebus Theologicis nimiâ confidentiâ noſmet immiſceremus. Verùm utrique huic incommodo ſatis, ut ſpero, occurrimus, dum quæ ipſi per nos explere haud valebamus, id Theologi Viri, qui ſatis doctrinæ famâ clareſcit, diligentiæ, ac ſtudio commiſimus, ejuſque ope perpetuò uſi ſumus; quam is pro ſumma Humanitate, atque in me Benevolentia libentiſſimè contulit.

Digitized by Google

Quæcumque itaque non abſque ingenti labore colligi potuere, primò exſcripta, in ordinem deinde digeſta, ſuiſque ſingula Tractationibus reddita, cum Autographis, quæ partim jam extant Patavii in Bibliotheca ſui Ordinis apud S. Auguſtinum; partim verò, abſoluta Editione, (nondum enim perfecta ſunt omnia) ibidem ſervanda deponentur, accuratè conferri, ac comparari curavimus; &, ſi quæ Amanuenſis errore, aut oſcitantia, vel hilum quidem diſſidere inventa ſunt, conformari, & quàm exactiſſimè emendari. Atque utinam omnia, quæ longo quadraginta annorum ſpatio tam luculenter, tantoque Auditorum concurſu, omniumque plauſu præſtantiſſimus noſter Theologus diſputaverat, ſarta tecta ad nos demum perveniſſent. Nil ſanè aut perfectius, aut excellentius ad abſolutiſſimam univerſæ Theologiæ Tractationem adornandam deſiderari, ſed ne quidem excogitari poſſet. Verùm, ſive quod Is de Scriptis ſuis minùs eſſet ſollicitus; ſive quòd temporum injuria perierint; ſive alio, neſcio quo, fato tam multa interciderunt, ut jure ac meritò nobis dolendum ſit, tot tantiſque fœcundiſſimi Ingenii fœtibus fuiſſe ſpoliatos. Quid enim ea ſunt, quæ mitior fortuna ſervavit, ſi cum iis comparentur, quorum jacturam, ſatis nunquam deplorandam, fecimus? Numquid tamen, quòd ditiſſimi fieri non poſſumus, & divites fieri recuſabimus? Quinimo Deo immortali gratias nos agere æquiſſimum eſt, quòd ex tam infelici naufragio quædam maximo noſtro beneficio eripuerit; illaque eò cariora, quòd ſola pene ſuperfuere: quo quidem titulo plurimùm etiam mihi a Studioſiſſimo quoque cùm rerum Divinarum, tum Eruditionis, ac politioris Literaturæ deberi intelligo; qui niſi huic Operi manum, audacter quidem, ſed neceſſariò admoviſſem, timendum oppidò fuerat, ne fruſtra ſervata eſſent, tenebriſque perpetuis addicenda.

Opus igitur hoc poſthumum, cui Titulum fecimus PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DOGMATICÆ POLEMICÆ SCHOLASTICÆ HABITÆ IN CELEBERRIMA PATAVINA ACADEMIA a P. M. F. JACOBO HYACINTHO SERRY & cæt. ſequentes Tractatus comprehendit; videlicet: *De Trinitate*: *de Mundi Opificio*, *primis Parentibus*, *& Paradiſo Terreſtri*: *De variis Humanæ Naturæ Statibus*; ubi de Janſenio, & ejus Hæreſi datâ operâ agitur: *De Incarnatione* polemicè, atque ſcholaſticè: *De Fide*, ubi *de Eccleſia*, *Symbolis*, *Romano Pontifice*, *atque Conciliis*: *De Scientia*, *Voluntate*, *& Gratia Dei*: *De Sacramentis* generatim; ſpeciatim verò *de Baptiſmo*, uti & *de Circumciſione*: *De Confirmatione*: *De Pœnitentia*: *De Matrimonio*: reliqua deſunt. Præterea, cùm nonnulla ejuſdem Authoris Opuſcula, quamvis ſæpius typis man-

mandata, adeo perrara facta ſint, ut irrito prorſus conatu ab Eruditis perquirantur, rem iis gratiſſimam facturos nos eſſe ſperavimus, ſi hac occaſione arrepta, ea denuo recuſa huic eidem Operi inſereremus, prout vel Argumenti affinitas poſtularet, vel æqua Voluminum moles pateretur. Ea ſunt : *Auguſtinus Vindicatus* : *Auguſtinus Conciliatus* : *Schola Thomiſtica Vindicata* : *Vindiciæ Vindiciarum Ambroſii Catharini* : *Diſſertatio de Azimo* : *Suffragium Cenſorium in Cauſſa Pyrauſtæ*, vulgo dicti : *Epiſtolæ tres Theologicæ*, quarum una Gallico idiomate conſcripta : & quædam alia, ſi e Galliis, ubi impreſſa olim fuere, tempeſtivè ad nos deferentur. Habes jam, humaniſſime Lector, totius Operis Œconomiam : habes Divinæ Sapientiæ theſaurum locupletiſſimum : habes optatiſſimas Doctoris Serry Theologicas Prælectiones ; Serry, inquam, certas, legitimas, genuinas, quales Ipſe perſcripſit, integras, abſolutas ; quidquid ſecus Blaterones nonnulli, dolo aut invidia adducti, haud ita nuper garrire non dubitaverint, & in ignarum Vulgus jactare, quaſi imperfecta, incompta, incondita, malè conſarcinata, indigeſta, uno verbo, publica luce prorſus indigna ea omnia ſint, quæ Serrius noſter in ſuo pluteo reliquerat. Quorum quidem fraudes, atque fallacias de facili reteget, & revincet quiſquis eas editas deguſtaverit. Quòd verò genuini Serriani calami fœtus illæ ſint, præterquam ex notiſſimo ejus ſtilo dignoſcere Erudito cuique, qui Serrianæ lectioni vel minimùm addictus ſit, facile fuerit; dubium omne excutere omnino cogentur quicumque Patavinam Cœnobii D. Auguſtini Bibliothecam aliquando adire non gravabuntur : ubi depoſita Autographa & videre, & manibus contrectare, & cum Editione noſtra conferre nullo negotio poterunt ; quod quidem, ut ſperamus, nemini denegabitur.

Quanquam prætereundum non eſt, quædam nos, qui caſtigatiſſimam, numeriſque omnibus abſolutam horum Operum Editionem curandam ſuſcepimus, alicubi conſultò mutaſſe : cùm ſcilicet Teſtimonia ab Authore in Argumenti confirmationem prolata, ſive Loca, unde ea ſe hauſiſſe indigitabat, minùs fideliter deſcripta, aut indicata comperimus : quæ omnia (cùm infinita propemodum ſint) immenſo pene labore in Fontibus ſuis, ut ajunt, requiſita ſummâ religione reſtituimus, juxta Editiones, quas magis obvias habuimus, quarum Indiculum ad calcem hujus Præfationis invenies. Quòd enim ſæpius doctiſſimos Viros queri, atque Clariſſimo Serrio objectare ſolitos audivimus ; nimiâ Eum indiligentiâ laboraſſe in Aliorum Sententiis, Dictiſque promendis, quæ propterea aut aliqua parte corrupta, aut aliunde, quàm ex quo Ipſe Loco aſſerit, delibata multoties afferuntur ; uſque eò dementiæ non venimus,

nimus, ut quæ Pluribus comperta ſunt, & quorum manifeſtè convinci poſſumus, ea impudenter pernegemus. Illos tantùm deprecabimur, ut amico benignoque animo circumſpicere velint, quantis Serrius occupationibus aſſiduè diſtineretur, quot quantiſque literariis dimicationibus Illi perpetuò incumbendum fuerit, præter quotidiana publicæ, & privatæ Scholæ exercitia, totque ab ipſo edita & parvæ, & magnæ molis Volumina; & quàm proinde exiguum ei tempus ſuppeteret, quo ſingula, quæ allaturus erat, Teſtimonia diligentiſſimè recognoſceret: quibus ſi candidè attendant, non dubito, quin hanc illi noxam condonandam exiſtiment, quòd vel memoriæ ſuæ nimiùm fiderit, vel quòd fide dignis Scriptoribus plus æquo in danda fide deferret, vel quòd alienorum typorum Erratis illuſus falſa pro veris quandoque ebiberit; atque ita Loca quædam iiſdem omnino verbis, queis ab iis edita fuerant, & Ipſe laudaret. Verùm non ob id efficere debuimus, ut idem ipſum in his quoque, quas jamjam edituri eramus, elegantiſſimis Prælectionibus (quin & in Opuſculis reimprimendis) ob deſidiam noſtram reprehenderetur: imò id nobis cordi eſſe magnopere oportuit, ut a quibuſvis (etiam alienis) mendis expurgatæ, nulliſve vitiatæ nævis, formoſiores prodirent, eòque libentiùs ab omnibus exciperentur. Hæ ſunt enim Prælectiones illæ, quæ frequentiſſima omnium Ordinum multitudine Clariſſimi Viri Scholas complebant: hæ ſunt, quæ tanta Audientium animos voluptate afficiebant; ut eas, dum Ille aurei fluminis inſtar ex Cathedra (ut Patavinæ Academiæ mos obtinet) facundo fundebat ore, maxima ſtudioſorum Adoleſcentum pars calamo raptim excipere properaret: hæ ſunt, quæ incredibili Ipſum docentem audiendi cupiditate exteras diſſitaſque admodum Nationes incendebant. Ecquis verò ad haſce unquam oras adventavit, aliqua ſaltem literarum laude excultus, qui non ſibi jucundiſſimum duxerit, Serrium agnoſcere, alloqui, intueri? Quot Principes Viri aut Patavio tranſeuntes, aut illuc ultro profecti, cùm Eum honoris cauſsâ conveniſſent, non inde ab eo admiratione fere perculſi receſſerunt? Aut quis æquiſſimus rerum Æſtimator [ut illos excludam, qui invidia nimia laborarint] non Ipſum ceu quoddam Ingenii monſtrum, cujus certè ſimilia nec omnis fert tellus, nec omnis parit ætas, ſuſpexit, appellavit, magnificavit? Nam cùm Is de ſummis retruſiſque rebus diſſereret, eas tanta rationum perſpicuitate, ordine, atque vi perſequebatur; tanta Eruditionis copia, ac varietate illuſtrabat; totque Sacræ Scripturæ, Conciliorum, ac Patrum Teſtimoniis roborabat; ut quicumque intererat, etſi minùs claro, vel prompto Ingenio polleret; quæ tamen Ille tradiderat, non modò facilè, verùm etiam jucundè perciperet, atque intelligeret. Atque hæc omnia eo di-

dicendi genere compto, nitido, eleganti, perpolito complectebatur, ac ſi quis cibos optimos exquiſitaſque epulas in auro, ac gemmis apponeret : ut nil eorum, quæ afferebat, gravitati cultus, ac lepor Orationis officeret; ſed rerum potius magnitudinem, & dignitatem Sermonis concinnitas ipſa amplificaret. Inde factum opinor, ut cùm tam diuturno temporis ſpatio publicè docendi munus in præclariſſima Univerſitate obierit; nemini tamen unquam aut faſtidium, aut ſatietatem ingenerarit; ſed quò magis audiebant, eò magis Illum audire Singuli geſtiebant; atque ex longo, aſſiduoque uſu, quo etiam optima vileſcunt, ardentior in dies aviditas in omnibus inflammabatur.

Diximus, eas ipſas eſſe Prælectiones iſtas, quas Patavino in Gymnaſio doctiſſimus olim Vir habuerat : id tamen hìc te monitum volumus, cordate Lector, non omnes pleniſſimè, ſicut Ipſe fortaſſis pronunciaverat, exhiberi; ſed breviores plurimas, atque contractiores, uti eas in Autographis reperimus. Is etenim uſitatam dicendi rationem ſecutus, qua non dictando, aut legendo, ſed memoriter diſſerendo, ſinguli illius Academiæ Profeſſores, quæ cuique ſunt propria, Scholæ ſuæ tradere ſolent; [ut fœcundiſſimo præcellebat Ingenio, nec minùs Doctrina atque Eruditione, quàm vi copiaque dicendi præſtabat] ſatis eſſe ſibi arbitrabatur, ſi ea duntaxat ſcripto committeret, quæ potiora, atque intimiora pertractandæ materiæ videbantur, Quæſtionique agitandæ magis utique neceſſaria; quæ tamen abunde ſufficerent Argumento, quòd ſibi agendum propoſuerat; cætera verò, quæ ex Cathedra pronunciabat quàm copioſiſſimè, memoriæ ſolummodo, qua mirè pollebat, conſignaret. Quin & vero ſimile eſt, eas, quas lato plenoque calamo perſcripſit, primo cujuſcumque anni ingreſſu [quarum tamen paucas admodum invenire potuimus] ab eo pronunciatas fuiſſe, tanquam ad reliquas illius anni viam, atque iſagogen, ut annualis laboris veſtibulum comptiori aliqua, magiſque ad ſenſus Omnium accommodata Diſputatione exornaret. Quo quidem in genere illud plane mirandum erat, quòd etſi plurima, quæ dicturus eſſet, cumulatiſſimè prius non exaraſſet, ſed ſummatim veluti, contractoque ſtilo perſtrinxiſſet; de omnibus tamen eodem ſermonis nitore, verborumque affluentia, atque proprietate, eadem vi ac perſpicuitate, ac ſi ſingula perſcripſiſſet, acriter, copioſè, atque expeditè diſſerebat; ita quidem ut Nullus in tota Concione [quantumlibet emunctæ naris eſſet, acriſque criterii Vir] aut quando ſeſe antea ad dicendum pleno Scripto paraſſet, aut quando veluti ex tempore loqueretur, internoſcere poſſet : adeo diuturno ſtudio, atque conſtanti exercitatione latinam linguam ſibi familiarem fecerat, propeque vernaculam. Hæc dicta volui, ne quis fortè miretur

retur Prælectionum quamplurium brevitatem ; quibus pronunciandis, quantumvis commodè, dimidium vix horæ ſufficeret : cùm tamen horâ integrâ, quandoque ampliùs, Eum ex Cathedra diſſerentem fere ſemper, ſenio licet confectum, audierimus. Porro non ea omnia, quæ protulit, ſed ea duntaxat, quæ ſcripto tradidit, nos hic exhibemus. Sufficiunt tamen, ut completæ & integræ Prælectiones dici queant. Nec enim in hujuſmodi Lucubrationum genere id duntaxat completum & integrum dici debet, cui nihil omnino ſuperaddi poſſe vel Argumentorum, vel Reſponſionum, vel Authoritatis, vel Eruditionis, ſi quis fortè velit, videatur. Certè ex qualibet Prælectione, qui legerit, nedum pleniſſimam Quæſtionis ideam ſibi effingere facilè poterit ; verùm etiam intimam Rationum, Momentorumque vim penetrare, ut hinc aſſenſum ſuum, vel diſſenſum Intellectus enunciare ulla abſque formidine ſatis valeat. Cæterùm, ſi quid in hujuſmodi Prælectionibus aliquando notare fas fuerit, quod aliter aut meliùs, aut pleniùs dici potuiſſe videatur, meminerit cordatus Lector, nec eo conſilio Authorem eas conſcripſiſſe, ut typis mandaret; nec ultimam illis manum impoſuiſſe : tum verò poſthumum hoc Opus eſſe, quod ab omni cenſuræ ſeveritate tutum, ac immune fore, ipſa Lex jubet Humanitatis. Hæc de diligentia noſtra, ac de hac doctiſſimi Authoris poſthumorum Operum Editione. Nunc locus ipſe poſtulat, ut de Authore ipſo ſermonem aliquem inſtituamus.

Sed ſtatim duo mihi occurrunt, quorum altero valde commoveor, atque conturbor; altero contra mirificè recreor, ac reficior. Commoveor mearum virium imbecillitate, recreor cogitatione, qua quantùm iſtud ſupervacaneum ſit, conſidero, atque perpendo. Etenim quanta Ingenii, ac Eloquentiæ ubertate & præſidio inſtructum, munitumque eum eſſe oporteat, qui egregias Sapientiſſimi, atque Clariſſimi Serrii Virtutes velit Oratione complecti ? Quis etenim pro dignitate valeat dicendo perſequi integerrimam Probitatem, ſingularem Modeſtiam, beneficam Indolem, religioſam Munificentiam ac Liberalitatem, ſinceram Pietatem, minimèque fucatam, inſignem optimarum Diſciplinarum Scientiam, omnimodam Eruditionem Sacram prophanamque, reconditæ ac ſolidiſſimæ Doctrinæ Puritatem eximiam atque Varietatem, cultiſſimamque ſermonis Elegantiam cum gravitate conjunctam, magnanimum caducarum rerum Contemptum, Æquitatem, Comitatem, Conſtantiam in adverſis, cæteraque præcellentis Animi Ornamenta, quibus omnibus adeo eminebat, ut Fama eorum longè lateque vulgata Virorum ſummorum, Principum etiam, Benevolentiam, Amicitiam, ac ſingularem favorem in diſſitis quoque Regionibus ei comparare abunde potuerit ? Atque ego ita quidem ſentio, vel neminem ce-

le-

Digitized by Google

lebrandis Serrii laudibus parem prorſus inveniri, vel ſolum Ipſum id poſſe præſtare. Verùm quid opus eſt, in Ejus laudes excurrere, cujus Nomen per Orbem Terrarum Omnium ſermonibus celebratum nulla Vetuſtas extinguet unquam, nulla obliterabit oblivio? Quòd ſi & Eum laudibus extollere oporteret, quem ſcimus, ad ſummum laudis & gloriæ faſtigium evectum eſſe; an non ſatis jam Ipſum deprædicant, ac impoſterum prædicabunt tot ab Illo conſcripta, & edita præclariſſima Opera, ubi veluti in picta tabella veriſſimis colorum pigmentis expreſſa inſpicitur ſublimis Illius Ingenii effigies; quorumque voce, ab omni adulationis, vel falſitatis ſuſpicione penitus remotâ, multò illuſtrioribus, quàm ullis eloquentiſſimorum Hominum, præconiis perpetuò exornabitur?

Ne tamen Officio meo quidquam hac in parte deeſſe videar, ſimulque, ut optimè erga Authorem noſtrum Affectorum (qui plurimi ſunt) deſiderio, atque expectationi aliquo modo ſatisfaciam, (pleniſſimè enim ſuo tempore ſatisfacturum ſpero eruditiſſimum, ac eloquentiſſimum Virum, cujus feliciſſimo calamo texenda jampridem Academiæ Patavinæ Hiſtoria ab ſuprema Poteſtate demandata eſt) ut, inquam, aliqua ratione communi expectationi morem geram, etſi non omnia, quæ Is in vita præclariſſimè geſſit; nonnulla tamen, quæ ad notitiam meam pervenerunt, haud quidem fusè laudando, cui me rei prorſus imparem agnoſco, ſed breviter, nudèque narrando, commemorabo. Cùm verò eruditiſſimus P. Jacobus Echardus, Dominicanus Scriptor percelebris, in Hiſtoria Scriptorum ſui Ordinis Pariſiis impreſſa anno 1721. Tom. II. pag. 803. ad annum MDCCXX. ſatis honorificam de eo mentionem ingerat, Operumque, quæ ad id uſque temporis Is ediderat, Catalogum attexat; placuit huc illius verba transferre, quibus & pauca, quæ colligere potui, eadem brevitate ſubnectam. Hæc igitur habet Ille laudato loco: „ Frater Jacobus Hyacinthus Serry „ Gallus Provincialis, Toloni Patre Doctore Phyſico, Regiæque „ Claſſis Archiatro natus, Ingenio Puer acri, & vivido humanio- „ res literas ea facilitate didicit, ut ſupra Sodales ſeu ſtricta, ſeu „ ſoluta Oratione palmam ſemper reportaret. Adoleſcens Ordini „ nomen dedit in Domo Maſſilienſi, (a) in qua Patruum habe-

c „ bat

(a) Præfuit deinde magna Prudentiæ laude eidem Cœnobio; quod etiam, dum viveret, magno ære literariis laboribus ex SERENISSIMÆ REIPUBLICÆ VENETÆ Munificentia comparato ditavit; præſertim poſt ſæviſſimam luem, quæ ibidem anno 1721. graſſata pene illud confecerat. Divini quoque Verbi Præconis, atque Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi VENTIMILLIA, tunc Maſſilienſium, nunc Pariſienſium Antiſtitis, Theologi partes ſumma omnium commendatione ibidem explevit.

„ bat Virum eximium, & iterata vice ſuæ Provinciæ regimine
„ functum. Pariſiis ad Gymnaſium Saniacobeum miſſus, vix elapſi
„ utriuſque Lycei (Philoſophici, & Theologici) quinquennio, ad
„ Gradus in Sacra Facultate promotus eſt. Philoſophiam Sodales ſuos
„ docuit jam Baccalaureus, Licentiamque annis MDCLXXXVIII.,
„ & LXXXIX. decurrit non mediocri Nominis ſui famâ. Nec
„ minorem interea e ſacro Pulpito gloriam in Regia Urbe ſibi
„ comparavit, Panegyricis Sanctorum pluribus coram lectiſſima
„ Ordinum omnium corona pronunciatis; qui ad celebriores Pari-
„ ſiorum Exhedras per Adventum, & Quadrageſimam Eum dein-
„ ceps vocandum promittebant. At vix Licentiatus, ut ajunt, &
„ rude donatus fuit anno MDCXC., cùm Romam a Magiſtro
„ Ordinis vocatus eſt, moxque a Cardinali Alterio Ordinis Pro-
„ tectore adſcitus Theologus, & electus etiam Congregationis In-
„ dicis Conſultor. Variis ibidem functus eſt apud Cardinales mu-
„ niis (*a*) ad finem anni MDCXCVI., quo Pariſios reverſus eſt,
„ Laureâ Magiſterii eò uſque ob abſentiam prolatatâ donandus;
„ quam & 23. Martii MDCXCVII. accepit. Eodem anno cla-
„ riſſima ejus Eruditionis fama excitatus SENATUS VENETUS
[*cui ſumma ſemper cura fuit, ut ſelectiſſimis undique arceſſitis
in omni Facultate Profeſſoribus Patavina Academia quovis tem-*
„ *pore floreret*] Eum delegit, atque accivit, ut Cathedram Theo-
„ logicam in via S. Thomæ [*quæ prima eſt*] Gymnaſii Patavini
„ regeret: quod munus ſumma totius Academiæ gratulatione au-
„ ſpicatus eſt, eoque fungitur etiamnum hoc anno MDCCXXI.,
„ in-

(*a*) Quinquennio Romæ moratus univerſorum Ordinum, ac præcipuè Purpuratorum Principum, amorem, atque exiſtimationem, quin etiam admirationem, in ſe concitavit. Nedum ab Eminentiſſimo Palutio de Alteriis Theologus adſcitus, ſed etiam ab Eminentiſſimo Boullionio eodem honore donatus, utrumque egregiâ navatâ operâ mirè ſibi devinxit. Eminentiſſimum Laurentium de Alteriis fel. rec. Clementis X. Pronepotem in optimis Diſciplinis inſtituendum ſuſcepit. Apud Eminentiſſimum Caſanatam Bibliothecarium Apoſtolicum familiaritate & gratia ita floruit, ut arcana ab eo Monumenta ſibi crederentur, quibus ingentem certorum Documentorum ſupellectilem comparavit, ad, nunquam ſatis laudibus celebratam, Congregationum de Auxiliis Hiſtoriam prætexendam, & adornandam; quidquid muſſitent Invidorum quorumdam ora, qui hanc illi laudem eripere, vel minuere conati aliquando ſunt, de quibus loco ſuo. Eum ibidem degentem, cùm Pariſienſis Academia, cujus Ille membrum erat nemini profectò ſecundum, urgentioribus premeretur negotiis, ſuis Juribus apud Romanam Curiam adverſus quoſdam Flandriæ Epiſcopos vindicandis præfecit; quod Ille munus ſibi demandatum diligentiſſimè adimplevit.

„ ingenti ad ejus Lectiones accurrente Auditorum, Virorum
„ etiam Principum, numero. (*a*) Hæc Ejus Opera hactenus ab Eo
„ typis data:

„ I. *Hiſtoria Congregationum de Auxiliis Divinæ Gratiæ ſub Sum-*
„ *mis Pontificibus Clemente VIII., & Paulo V. Libri quatuor: qui-*
„ *bus etiam datâ operâ confutantur recentiores hujus Hiſtoriæ De-*
„ *pravatores; maximè verò nuperrimi Author Libelli gallicè inſcri-*
„ *pti: Remontrances à M. l'Archevêque de Reims ſur ſon ordon-*
„ *nance du 15. Juillet 1697.: & Actorum fides adverſus inanes E-*
„ *piſtolæ Leodienſis argutias vindicatur, Authore Auguſtino le Blanc*
„ *S. Th. Doctore*. Lovanii. Ægidii Denique 1700. in Fol. coll. 776.,
„ excepta Præfatione, quæ pp. 51., & Tabulis octo, quibus Ge-
„ ſtorum ſeries ob oculos ponitur; & Appendice, qua varia con-
„ tinentur Inſtrumenta, ſeu Scripta paulò prolixiora, quàm ut Hi-
„ ſtoricæ narrationi commodè inſeri potuerint; quæ idcirco in
„ hunc locum conſultò miſſa ſunt: quæ coll. 504. Opus accura-
„ tum, & ab omnibus Eruditis magno plauſu exceptum.

„ Huic Operi paulò poſt ſubjunxit: *Addenda ſuis locis in*
„ *Hiſtoria Congregationum de Auxiliis ſub Summis Pontificibus*
„ *Clemente VIII., & Paulo V. celebratarum, anno MDCC. edi-*
„ *ta*, pp. 299.

„ Nondum prælum egreſſa erat hæc Hiſtoria, cùm de ejus
„ Editione moniti Scholæ Thomiſticæ Adverſarii tota mente,

c ij „ omni-

(*a*) Hic illud notatu digniſſimum occurrit; quòd cum perconctanti VENETO SENATUI Generalis Prædicatorum Ordinis Magiſter doctiſſimos aliquot ejuſdem Ordinis Viros Scripto ſuo indicaſſet, quorum quemlibet ampliſſimo ei Muneri pro dignitate ſuſtinendo quàm maximè idoneum judicarat; horum autem Nomina coram eodem SENATU recitarentur; audito vix præclaro Serry Nomine, quamvis poſtremum locum in ea Notula teneret (viridioris fortè ætatis cauſsà) unum ſtatim, ferunt, ex graviſſimis illis Patribus, qui Eundem Pariſiis olim, dum publici Legati Munere fungeretur, diſputantem demiratus magnopere fuerat, ita fuiſſe commotum, tamque efficaci Oratione in Ejus commendationem prolata Cæteros commoviſſe, ut pleno Conſenſu, conjunctiſque Suffragiis Illum, reliquis Omnibus antelatum, Theologum Patavinum ſuo Decreto renuntiarint. Extat & ad eundem P. Generalem Epiſtola SERENISSIMI COSMI III. MAGNI Ethruriæ DUCIS data die 11. Julii 1690.; qua ab eo Generali Magiſtro acerrimi Judicii Princeps vehementiſſimè flagitabat, ut ſibi Magiſtrum Serrium concederet, cujus operam permaximè optabat ad Theologiæ Cathedram in Piſana Univerſitate moderandam, propoſitis ad id honeſtiſſimis conditionibus. Autographum hujus Epiſtolæ ſervatur in Bibliotheca SS. Joann. & Pauli Venetiarum.

„ omnibuſque artubus contremuerunt, viciſſimque excanduerunt; „ quorum Unus cæteris audacior ad Authorem ſcripſit Epiſtolam „ hoc Titulo : *Lettre à Monſieur l'Abbé * * * ſur la nouvelle „ Hiſtoire des Diſputes de Auxiliis, qu'il prepare*. Leodii 30. Jun. „ *1698*. in 12. pp. 119. Huic, poſt Hiſtoriæ perfectam Editio- „ nem, reſpondit Author Epiſtolâ, cui Titulus:

„ II. *Lettre de M. l'Abbé le Blanc Auteur de l'Hiſtoire de la Congre- „ gation de Auxiliis, pour ſervir de réponſe à la Lettre du Secre- „ taire de Liege*. Anno *1699*. in 12. pp. 59.

„ Animum non deſpondit Scriba Leodienſis; Hiſtoriamque „ aggreſſus eſt tum editam, Libro, cui Titulus : *Queſtions im- „ portantes à l'occaſion de la nouvelle Hiſtoire des Congregations „* de Auxiliis. Leodii. Streel, in 8. pp. 346. Deeſt annus Edi- „ tionis ; ſed videtur anni 1701. Reſpondit illico Hiſtoricus Li- „ bro, cui Titulus :

„ III. *L'Hiſtoire des Congregations de Auxiliis juſtificée contre „ l'Auteur des Queſtions importantes* &c. *par un Docteur en Théo- „ logie de la Faculté de Paris*. Lovanii. Hieronymi Nempe 1702. „ in 12. pp. 522.

„ *L'Iſtoria delle Congregazioni de Auxiliis giuſtificata con- „ tro l'Autore delle Queſtioni importanti* &c. *da un Dottore in „ Teologia della Univerſità di Parigi : ſtampata in Lovanio da „ Girolamo Nempe l'anno* 1702., *tradotta dal Franceſe in Italia- „ no da un Amico della Verità*. Beneventi e Typographia Ar- „ chiep. 1705. in 8.

„ Repoſuit iterum Lovanienſis Scriba Libro hoc Titulo edi- „ to : *Errata de l'Hiſtoire des Congregations de Auxiliis compoſée „ par l'Abbé le Blanc, & condamnée par l'Inquiſition Generale „ d'Eſpagne. Avec une refutation de la Réponſe au Livre des Que- „ ſtions importantes*. Leodii. Streel, 1702. in 8. pp. 332., exceptis „ quibuſdam Actis ad calcem ſubjunctis. Cui Hiſtoricus illico ſa- „ tisfecit Reſponſione hujus Tituli:

„ IV. *Le Correcteur corrigé, ſuite de la juſtification de la Hiſtoi- „ re des Congregations de Auxiliis, contre l'Auteur du faux errata „ de cet Ouvrage. Avec une Lettre au meme Auteur touchant ſa „ pretendüe refutation de la Réponſe aux Queſtions importantes : „ Par un Docteur en Théologie de la Faculté de Paris*. Namurci. „ Hieron. le Gay, 1704. in 12. pp. 323.

„ Huic certamini ſeſe immiſcuerat initio quidam Carolus „ Gaſpar Metzenius, ſeu verus, ſeu pſeudonymus, Academiæ „ Trevirenſis Syndicum ſe gerens ; ac *Querelam* de minùs „ honeſtè habita ſua Academia Rectori deferens, anno 1701.; ad- „ dito in Hiſtoricum noſtrum conviciorum plauſtro : cui Hiſtori-

„ cus

„ eis extemplò ita reſpondit, ut Syndicus ille deinceps mutire
„ auſus non fuerit. Opellæ Titulus eſt:

„ V. *Authoris Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis Defenſio ad-*
„ *verſus Querelam Caroli Gaſparis Metzenii Academiæ Treviren-*
„ *ſis Syndici*. Lovanii. Ægidii Deniquè, 1701. in 12. pp. 90. Et
„ in Fol. ibidem pp. 29.

„ Prodiit poſtea grande Volumen ex parte Adverſariorum
„ Scholæ Thomiſticæ, hoc Titulo : *Hiſtoria Controverſiarum de*
„ *Divinæ Gratiæ Auxiliis ſub Summis Pontificibus Sixto V., Cle-*
„ *mente VIII., & Paulo V., Libri VI. Authore Theodoro Eleuthe-*
„ *rio Theologo*. Antverpiæ. Petri Jacobi 1705. in Fol. pp. 881.
„ Quod Opus in cauſa fuit, cur Serrius meditatam jam alteram
„ Hiſtoriæ ſuæ Editionem prolatavit, ut novi hujuſce Authoris
„ ratiocinationes dilueret; quod egregiè præſtitit. E prælo itaque
„ exiit hoc Titulo:

„ VI. *Hiſtoria Congregationum de Auxiliis Divinæ Gratiæ ſub*
„ *Summis Pontificibus Clemente VIII., & Paulo V., in quatuor Li-*
„ *bros diſtributa, ſub aſcititio nomine Auguſtini le Blanc Lovanii*
„ *primùm publicata, nunc autem magna rerum acceſſione aucta,*
„ *inſertiſque paſſim pro re nata adverſus nuperos Oppugnatores vindi-*
„ *cationibus aſſerta, defenſa, illuſtrata. Cui præterea accedit Liber*
„ *quintus ſuperiorum Librorum apologeticus adverſus Theodori Eleu-*
„ *therii eodem de Argumento pſeudo-hiſtoriam. Authore, & Defen-*
„ *ſore F. Jacobo Hyacintho Serry Ord. Præd. Doctore Sorbonico, &*
„ *in SERENISSIMÆ REIPUBLICÆ VENETÆ A-*
„ *cademia Patavina Theologo primario*. Antverpiæ. Sumtibus Socie-
„ tatis 1709. in Fol. pp. 47. pro Præfatione, octo præterea majo-
„ ribus Tabulis; coll. 924. pro Opere : cui adjecta Appendix, qua
„ varia continentur Inſtrumenta, ſeu Scripta, quorum quædam pro-
„ lixiora, ſed ad fidem Hiſtoriæ neceſſaria pp. 432. Opus omni-
„ bus Eruditis liberis, & a Secta alienis probatum. (a)

„ Interea prodiit Libellus quidam, ut ferebatur, poſthumus
„ hoc Titulo : *Veritable Tradition de l'Egliſe ſur la Predeſtina-*
„ *tion, & la Grace, par M. de Launoy Docteur en Théologie de la*
„ *Maiſon, & Societe de Navarre*. Leodii. Nicolai de François
„ 1702. in 12. pp. 127. In hac Opella Launojus S. Auguſtinum
„ velut traditæ antea de Prædeſtinatione, & Gratia in Eccleſia
„ Do-

(a) Prodiit Venetiis hujus Hiſtoriæ noviſſima Editio anno 1740. typis Franciſci Pitteri, adjecto ad calcem Opuſculo : *Defenſio adverſus Querelam Caroli Gaſparis Metzenii Academiæ Trevirenſis Syndici* : de quo ſupra num. V.

Digitized by Google

„ Doctrinæ Deſertorem ſuggillat, & ceu novorum Dogmatum Fa-
„ bricatorem ſequentibus Sæculis a Doctoribus Eccleſiaſticis impu-
„ gnatum contendit, ut Lutheri, Calvini, ſimiliumque a ſana
„ Doctrina ſegregum Præcurſor habendus ſit. Scriptiunculæ hujus
„ ita Authorem puduerat, ut eam in lucem proferre auſus non
„ ſit, quandiu fuit in vivis: quis triginta ab ejus morte annis
„ Opellam Orco devovendam ſuſcitarit, ac prælo dederit, igno-
„ ratur. Cæterùm vix Romam perlata eſt, cùm Decreto Clemen-
„ tis XI. avitæ SS. Patrum Doctrinæ Vindicis die 28. Januarii 1704.
„ tanquam fulmine percuti meruit. Eamdem Serrius impugnavit
„ Libro hoc Titulo edito:

„ VII. *Divus Auguſtinus Summus Prædeſtinationis, & Gratiæ*
„ *Doctor a calumnia vindicatus, adverſus Joannis Launoy Traditio-*
„ *nem fœtu poſthumo recèns editam, & peculiari Clementis XI. Pon-*
„ *tificis Maximi Decreto nuper inuſtam*. Coloniæ. Nicolai Schouten.
„ 1704. in 8. pp. 418.

„ Prodiit paulò poſt *Epiſtola Joannis Launoii ex Elyſio ad Ge-*
„ *neralem Societatis Jeſu Præpoſitum data, qua conceptum ex lata*
„ *in ſuam de Gratia, & Prædeſtinatione Traditionem Sententia*
„ *dolorem amicè ſignificat: Auguſtini abs ſe traducti culpam Socie-*
„ *tatis Theologorum Exemplo depellit: nihil demum toto ferme Li-*
„ *bello ſcriptum oſtendit, quod ab iis ſumma fide non delibarit*. In
„ Campis Eliſiis. Excudebat Joannes Fauſtus typis Laurentii Co-
„ ſteri 1705. in 12. pp. 24. (*a*). Qua quidem Epiſtola ſe ſubdubi-
„ tare indicat Author, an Opella ſupra relata ipſius Launoy ſit fœ-
„ tus genuinus, an ſaltem interpolatus. Eâ verò exacerbatus P.
„ D. * S. I., & ex Serrii Officina prodiiſſe arbitratus, alteram op-
„ poſuit hoc Titulo: *Lettre du Pere D.* ** *Jeſuite au T. R. P. Antonin*
„ *Cloche General de l'Ordre de S. Dominique touchant le Livre du P.*
„ *Serry contre le Sieur de Launoy, & touchant une Lettre imprimée*
„ *contre les Jeſuites attribuée a ce Religieux*. In 12. Pariſiis 22. Febr.
„ 1705. pp. 39. Eâ verò Propoſitionem hanc a Serrio in ſuo Auguſtino
„ vindicato prolatam, *Homo lapſus indeclinabili, & inſuperabili Gra-*
„ *tia eget, ut bonum agat, ob eam Naturæ infirmitatem, in quam pri-*
„ *mi Parentis peccato incurrit*, ceu hæreticam percellit, ac denunciat.
„ Reſpondit illico Serrius Paduæ 3. Aprilis hoc Titulo:

„ VIII. *Lettre du R. P. Serry Docteur de la Faculté de Paris,*
„ *& primier Profeſſeur dans l'Univerſité de Padoue au R. P. Daniel*
„ *Jeſuite, pour ſervir de réponſe à la Lettre de ce Pere adreſsée au*
„ *tres*

(*a*) Hæc tertiùm recuſa eſt anno 1708, in 8. pp. 32. Ubi, aut quo anno ſe-
cunda Editio prodierit, haud mihi compertum.

„ *tres R. Pere General de l'Ordre de S. Dominique en datte du 22. Fevrier*. Coloniæ. Schouten, 1705. in 12. pp. 70. (*a*) Eâ verò Errorem „ ſibi impactum luculentiſſimè eluit.

„ Cùm verò anno ſequenti Librum edidiſſet laudatus Daniel hoc Titulo: *Traité Théologique touchant l'efficacité de la Grace, ou l'on examine ce qui eſt de foi ſur ce ſujet, & ce qui n'en eſt pas; ce qui eſt de S. Auguſtin, & ce qui n'en eſt pas*. Paris. le Clerc 1706. in 12., Serrius Reſponſum oppoſuit hoc „ Titulo:

„ IX. *Schola Thomiſtica vindicata, ſeu Gabrielis Danielis e Soc. Jeſu Tractatus Theologicus adverſus Gratiam ſe ipſa efficacem cenſoriis Animadverſionibus confutatus; quibus Moliniana Inventa pro Fidei Dogmatibus ab eodem Daniele venditari; Auguſtini Doctrinam non exponi, ſed impeti; Scholam Thomiſticam iniquè traduci, ac ſugillari, demonſtratur*. Coloniæ. Schouten, 1706. in 8. pp. 223. Cùmque idem P. Daniel ipſi Serrio Epiſtolam ſcripſiſſet ſtilo gallico acriorem, reſpondit latinè Serrius, ſed modeſtiſſimè. Hic Titulus:

„ X. *Confutatio Reſponſi Epiſtolaris a Gabriele Daniele S. I. ad primarii Academiæ Patavinæ Theologi Literas dati, qua ſingula ejuſdem Reſponſi Capita continuata ſerie refelluntur*. Coloniæ. Schouten, 1708. in 8. pp. 63. (*b*) Confutationem hanc gallicè verſam prælo dedit Unus ex Noſtris, præmiſſo monito ad Danielem. Titulus is eſt: *Refutation de la Réponſe du R. P. Daniel Jeſuite à la Lettre du R. P. Serry* &c. *Traduction*. Coloniæ. Schouten, 1706. in 8. pp. 68.: quæ verſio vulgò tribuitur noſtro Joanni Andreæ Gualtier Maſſilienſi, Sacræ Facultatis Pariſienſis Magiſtro, nunc Collegii Saniacobei Priori.

„ *Epiſtolæ quædam nomine Puerorum abſque Baptiſmo ante uſum Rationis mortuorum ex Campis Elyſiis ad Sfrondatiſmi Defenſores ſcribentium*, his annis in lucem prodierunt. Has quidam „ Ser-

(*a*) Eodem anno 1705. iterum edita eſt in 8. pp. 85.: Notandum hìc, quòd Epiſtola hæc inſcripta, & miſſa fuit Magiſtro Generali Ordinis Præd.; ſed eodem ipſiſſimo tempore permulta Exemplaria jam impreſſa Romam tranſmiſſa fuerant illuſtrioribus Viris ex omnibus Ordinibus: qua de cauſſa P. Generalis Dominicanus, ſeſe illuſum videns per Epiſtolam ſibi quidem a P. Daniele ſcriptam ac miſſam, ſed typis jam prius vulgatam, publicamque redditam, dedignatus eſt reſpondere, autographum ipſum Serrio ſtatim mittens, ut Illuſori Reſponſum pro arbitrio daret; quod & lubentiſſimè, & quàm celerrimè perfecit.

(*b*) Hujus Confutationis extat & altera Editio ejuſdem anni in 8. pp. 91.

Digitized by Google

„ Serrio tribuerunt; ſed eas Ipſe ſuas non agnovit. Libellus etiam „ prodiit Gallicus Ipſi adſcriptus:

„ XI. *Les vrais ſentimens des Jeſuites touchant le peché philoſo-* „ *phique*. Sed an ſuum agnoverit, mihi incompertum. (*a*) Duplex „ eſt Editio, & altera accuratior.

„ Huic literatoriæ pugnæ Theologi quidam interceſſerunt, ſed „ leviter: inter alios Ordinis Minorum Baccalaureus tribus Epiſto- „ lis Gallicis, ſed ſcopum non attingens, ac, neſcio quam, utriuſque „ conciliationem ſibi fingens.

„ XII. *Difeſa del Giudizio formato dalla Santa Sede Apoſtolica* „ *nel dì* 20. *Novembre* 1704., *e pubblicato in Nankino dal Cardinal* „ *di Tournon alli* 7. *Febbrajo* 1707., *intorno a' Riti, e Cerimonie* „ *Cineſi, contro un Libello ſedizioſo intitolato:* Alcune Rifleſſioni „ intorno alle coſe preſenti della Cina; *a cui vengono anneſſe tre* „ *Appendici contro le tre Scritture latine ultimamente ſtampate dal-* „ *li Difenſori de' medeſimi Riti condannati. Opera di un Dottore* „ *della Sorbona traſportata dal Manoſcritto Franceſe da un Religio-* „ *ſo Italiano. Quaſi ſcelus Idololatriæ eſt, nolle acquieſcere: Lib.* 1. „ *Reg. cap.* 15. Taurini. Joan. Bapt. Fontana 1709. in 8. Altera „ hujus Operis Editio prodiit eodem anno aucta. (*b*) Ejuſdem me- „ minit in ſequentibus.

„ XIII. *Contrariſpoſte, o ſiano Eſami di tutte le Scritture pub-* „ *blicate intorno ad un Fatto accaduto in Scio nell'anno* 1694. „ *&c.* (*c*)

„ XIV.

(*a*) Inter Opera ſua hoc Author recenſet in eorum Indiculo, qui extat ad calcem Opuſculi, cui Titulus: *Vindiciæ Vindiciarum Ambroſii Catharini*; ab ipſo Authore editi, & impreſſi Patavii typis Seminarii anno 1733. Verùm variationem aliquam Titulus ille patitur: in Indiculo namque ita expreſſus eſt N. II.: *Les veritables Sentimens des Jeſuites, touchant le peché philoſophique, a un Segneur de la Cour*.

(*b*) Prima Editio conſtat pp. 134., ſecunda pp. 136. Huic adde: *Decretum Cardinalis Tournonii in Cauſſa Sinenſi Notis apologeticis illuſtratum, & contra obſcuros nonnullos Cavillatores vindicatum*. Extat ad calcem Opuſculi, cui Titulus: *Acta Cauſſæ Rituum, ſeu Cæremoniarum Sinenſium* &c. Venetiis. Ant. Bortoli 1709., juxta Exemplar Romæ impreſſum ex Typographia R. C. Ap. in 8.

(*c*) Opuſculi hujus integer Titulus eſt: *Contrariſpoſte, o ſiano Eſami di tutte le Scritture pubblicate da' Protettori de' Riti condannati della Cina, intorno ad un Fatto accaduto in Scio nell'anno* 1694., *e riferito, come di paſſaggio, in aggiunta alla ſeconda Edizione della Difeſa del Giudizio formato dalla S. Sede Appoſtolica*. In Torino. A ſpeſe di Gio: Battiſta Fontana in 12. pp. 207.

Digitized by Google

„ XIV. *Le Mahometiſme toleré par les Jeſuites dans l'Isle de*
„ *Chio*. 1711. in 12. pp. 24. (*a*) (*b*) (*c*)

„ XV. *Oratio funebris habita in Eccleſia SS. duodecim Apoſtolorum de Urbe, occaſione Exequiarum Eminentiſſimi Fr. Laurentii Brancati Cardinalis de Laurea*. Edita eſt cum Vita ejuſdem Cardinalis a Bartholomæo Comandi ſcripta, Romæ 1698. in 4.

„ XVI. *Exercitationes hiſtoricæ, criticæ, polemicæ de Chriſto, ejuſque Virgine Matre: quibus Judæorum Errores de promiſſo ſibi Liberatore nova methodo refelluntur, Chriſtianæ Religionis Myſteria omnia ad certam Hiſtoriæ fidem exiguntur, explicantur, defenduntur. Habitæ in Academia Patavina*. Venetiis, Joan. Malachini ſub ſigno D. Ignatii, impenſis Julii de Maphæis 1719. in 4. pp. 472. Opus Aloyſio Piſano, Joanni Paſchalico, Michaeli Mauroceno Academiæ Patavinæ Moderatoribus nuncupatum. (*d*).

d „ Ini-

(*a*) Nullam hujus Opellæ mentionem facit Author in Indiculo Operum ſuorum a ſe deſcripto ad calcem *Vindiciarum Ambroſii Catharini*. Quare aut eam ipſe non ſcripſit, aut tanquam ſuam agnoſcere noluit: quemadmodum nec *Epiſtolas nomine Puerorum*, ut ſupra notavit Echardus ante num. XI.

Circa idem tempus prodiit & ſequens ejus Opuſculum italicè ſcriptum:

(*b*) La *Calumnia convinta, cioè Riſpoſta ad un Libello pubblicato da' Difenſori de' Riti condannati della Cina, ſotto il Titolo di Lettere di avviſo d'un buon Amico al Dottore di Sorbona, Autore della Difeſa del Giudicio formato dalla S. Sede* &c. In Torino a ſpeſe di G. Battiſta Fontana Libraro, in 8. pp. 84. Extat & altera Editio abſque Loco, & Typographi nomine, anno 1710.

Hoc porro Opuſculum in Indiculo ſuperius laudato ad calcem *Vindiciarum Ambroſii Catharini* notatum eſt n. XVIII.

(*c*) Item *Melchioris Cani Canarienſis Epiſcopi Vindicationes: inſtar Prologi galeati, ad Libros illius duodecim de Locis Theologicis*. Patavii typis Seminarii apud Joan. Manfrè 1714. in 4. pp. 48. Quem Prologum in omnibus ſubſequentibus Cani Editionibus, quas idem Seminarium vulgavit, ſemper retinuit.

(*d*) Prodiit etiam eodem anno, imò eodem fere menſe Mediolani typis Dominici Bellegatæ altera ejuſdem omnino formæ ſimilis [neglectior licet, ac penitus invenuſta] Editio, totidemque pagellarum. Res prodita fuit; Authore, unà cum Typographo, demirante, nec percipere omnino valente, quomodo brevi adeo temporis intervallo altera Editio priori ſuccedere potuiſſet. Rem tandem tempus manifeſtavit. Illorum unus, qui Malachinianæ Typographiæ inſerviebant, ſingula Folia eo, quo imprimebantur, ordine furabatur; illaque deinceps quàm diligentiſſimè Mediolanum mittens, iniquitatis præmium, prout pactum fuerat, ab novo Editore [non dico Typographum] enumeratà pecuniâ viciſſim recipiebat; & ita

„ Initio monet, a viginti duobus annis hanc ſpartam ſe ornare; ac ex quo ſtudioſæ Juventutis Inſtitutioni a Veneta Majeſtate admotus eſt, Theologicam Diſciplinam univerſam quintum quarto quoque anno tradidiſſe. Itaque ne idem, licet diversè, ſemper ingereret, relictis Scholæ Quæſtionibus a ſe fusè hactenus pertractatis, ad inuſitatas has in Scholis Italiæ Quæſtiones hiſtoricas divertit, iiſque ex criterio agitandis annum integrum literarium impendit; quas jam, cùm Principibus Viris, qui ejus Auditorium toto illo anno frequentarunt, placuerint, ſecundis curis recognitas, perpolitas, & multa rerum acceſſione illuſtratas typis mandare conſtituit. Plura ſcripſit Oratoria, & Poetica, non tamen typis edita, (*a*) inter quæ hæc mihi cognita:

„ XVII. *Carmen Eucharisticum in laudem R.P. Natalis Alexandri Magiſtri ſui*. Quod in hujus Cella vidi elegantiſſimum, eleganterque ſcriptum. Tum Serrius juvenis erat Theologiæ Auditor.

„ XVIII. *Orationes ad Paranymphos ſuæ Licentiæ*, cujus fuit Præſentatus, *invitatoriæ*, eædem elegantiſſimæ. Quarum Apographum habebatur apud noſtros Pariſienſes ad S. Honorati.

Hucuſque Echardus. Alia quædam Authoris noſtri Opera poſt annum 1720. typis vulgata, temporum Ordine ſervato, iſta ſunt:

I. *Suffragium cenſorium in Cauſſa Venerabilis Servi Dei F. Sebaſtiani ab Apparitio, Pyrauſtæ vulgo dicti*. Patavii. Conzatti 1722. in 8. pp. 19. Parvæ quidem molis Opus, ſed magnæ Doctrinæ, ex quo dignoſcere ſatis poſſis Serriani Ingenii acumen, rectiſſimumque in diſcernendo judicium. Tot enim inter Reſponſa,

---

duplex eodem ferme tempore ejuſdem Operis Editio prodiit. Quorſum autem, inquies Lector, hæc dicta? Ut nimirum hinc videas, quantæ fuerit exiſtimationis & famæ Serrius noſter, cujus Opera vel nondum ab aliquo deguſtata, imò nequidem viſa, ſecundò imprimi curatum eſt: rarum prorſus, ne unicum fortè dicam, Exemplum. Nota hìc tamen, Opus iſtud Sanctæ Romanæ Sedis Judicio in Indice fuiſſe repoſitum.

(*a*) Binas habemus editas ejus Elegias admodum elegantes [an fortè non liceat Viro Theologo amæniores quandoque honeſtiorum Muſarum Colles conſcendere?] quarum una inſcribitur: *Brixia mærens ereptum ſibi Præſulem queritur*: altera; *Patavium exultans afflictam Brixiam conſolatur*. Has edidit, dum Eminentiſſimus Joannes Franciſcus S. R. E. Cardinalis Barbadicus e Brixienſi Sede in Patavinam translatus, ſolemni ritu, feſtoque plauſu Patavii exciperetur. Plura quoque alia Carmina ejuſdem multo ſale condita manuſcripta adſervantur Patavii, ac Venetiis in Ordinis ſui Bibliothecis.

ſa, quæ a Theologis variis ſuper Quæſito a Romana Curia propoſito typis data fuere, illucque tranſmiſſa, hoc Serrii Suffragium primas obtinuit, palmamque integram Sententia ſua reportavit. Huic Opellæ pauca quædam in Editione noſtra addentur, quæ Author, impreſſo jam Opuſculo, ſcripto reliquit, ut adderentur.

II. *D. Auguſtinus D. Thomæ, ejuſque Angelicæ Scholæ conciliatus in Quæſtione de Gratia primi Hominis, & Angelorum.* Opuſculum Danieli Delphino tunc Aureliano — Politalenſi Epiſcopo, nec non Electo Patriarchæ Aquilejenſi, nunc Patriarchæ in Sede, nuncupatum. Patavii: typis Seminarii 1723. in 8. pp. 188. Extat & altera Editio priori multò auctior, magnaque rerum acceſſione illuſtrata, & contra nonnullos obſcuros prioris Impugnatores vindicata, aſſerta, confirmata: quam literariis Triumviris Joan. Franciſco Mauroceno Equiti; Aloyſio Piſano; ac Petro Grimano Equitibus, atque Ædis D. Marci Procuratoribus dicavit. Patavii: Conzati 1724. in 8. pp. 245.

III. *Ambroſii Catharini Vindiciæ de neceſſaria in perficiendis Sacramentis intentione Theologica Diſputatio*: Laurentio Theupolo Triumviro Literario, Ædis D. Marci Procuratori, Equitique ampliſſimo inſcripta. Patavii: Conzatti 1727. in 8. pp. 164.

Poſt annos circiter duos prodiit in lucem Liber, cui Titulus: *Diſſertatio Theologica hiſtorica, dogmatica, ſcholaſtica, moralis de Intentione in Sacramentorum Miniſtro neceſſaria, Authore Fr. Lamberto Gaud Valreaſcenſi Ordinis Prædicatorum in Avenionenſi Academia Doctore Aggregato, nec non perpetuo in Cathedra S. Thomæ Moralis Theologiæ Profeſſore.* In eo Opere omnes quidem Theologos refellere aggreditur Lambertus, qui hac noſtra ætate Ambroſii Catharini Sententiæ patrocinium ſuſcepere; at in Serrium potiſſimùm ſtilum ſuum exacuit, qui hoc Argumenti genus præ cæteris latiùs pertractaverat. Id cauſſæ fuit, cur novam harum Vindiciarum Editionem, auctam, atque illuſtratam adornaret, cujus Titulus:

IV. *Vindiciæ Vindiciarum Ambroſii Catharini: ſeu de neceſſaria in perficiendis Sacramentis Intentione Theologica Diſſertatio, contra domeſticum Impugnatorem vindicata, defenſa, confirmata, magnaque rerum acceſſione aucta, & illuſtrata.* Hanc Carolo Ruzino Ædis D. Marci Procuratori, & Equiti, Patavinæ Academiæ Moderatori conſecravit. Patavii: typis Seminarii 1730. in 8. pp. 206. Quam tertia quoque Editio ſubſecuta eſt noviſſimè, pariter aucta, & illuſtrata. Ibidem 1733. in 8. pp. 209. Cùm porro editum Opus ad manus cujuſdam ſtudioſi Juvenis perveniſſet [Theologi tamen, & jam Candidati] illudque peravidè perlegiſſet, quæ-

dam ſe offendiſſe putavit, quibus haud plenè Mens ſua acquieſceret; oblataque occaſione Serrium inviſit, dubitationes ſuas patefecit, Eumque rogavit, ut ſatisſibi facere minimè dedignaretur. Annuit benigniſſimus Doctor, pagellamque a ſe conſcriptam tradidit, in qua quidquid Ille popoſcerat, cumulatiſſimè exaraverat; unde ſcrupuli exemti ſunt omnes. Pagella hæc poſtmodum Bibliothecæ SS. Joan. & Pauli Venetiarum Præfecto conſignata fuit; ut ſi fortè fortuna de nova Opuſculi Editione aliquando cogitaretur, ea omnia, quæ Scripto ſuo Author largitus fuerat, inſeri poſſent, ac etiam deberent. Res nobis modò gratiſſima obvenit, dum noviſſimam egregii Operis hujus Editionem curamus. Triplici itaque loco in noſtris, jamjam recudendis, Vindiciis Catherinianis reperiet Lector, quæ in prioribus Editionibus deſiderabantur, brevi ibidem præmiſſo a nobis Monito, ut & ubi, & quæ, & quanta ſint addita, internoſcere ſatis valeat.

V. *Specimen Hiſtoriæ Venetæ Jo: Gratiani editum a Collectoribus Lipſienſibus, Notis anticriticis caſtigatum.* Epiſtolæ formam refert ad Ignatium Hyacinthum Amat de Graveſon. Patavii: typis Seminarii 1729. in 8. pp. 15.

VI. *Græci Theologi de Chriſto Paſcha ſuum præmaturè, atque in pane fermentato celebrante Diſſertatio, a Theologo Latino cenſoriis Notis diſpuncta, & confutata.* Patavii, ex Typographia Seminarii 1730. in 8. pp. 50.

Interea temporis Antonius Sandinius I. V. D. & Bibliothecæ Seminarii Patavini Præfectus edidit Hiſtoriam Familiæ Sacræ ex antiquis Monumentis collectam, Patavii, typis ejuſdem Seminarii 1735., qua Serrium, quacumque poteſt occaſione, provocat, & inſectatur. Cui Ille ſequenti Opuſculo nullâ morâ repoſuit:

VII. *Fr. Hyacinthi Serry Primarii Theologi Patavini Animadverſiones anticriticæ in Hiſtoriam Sacræ Familiæ ab Antonio Sandini I. V. D. noviſſimè ſcriptam. = Fallis, aut falleris, ſive calumniando iis, quæ non dico, ſive non intelligendo, vel potius non legendo ea, quæ dixi.* S. Auguſt. *Lib. 6. contra Julianum cap.* 12. Pariſiis: Anton. Dezallier ſub Signo Coronæ 1735. in 8. pp. 133.

At Veneti Collectores, qui Eruditorum Diaria ſingulis hebdomadis perſcribunt, die 28. Maji 1735. Ipſum traduxere, tanquam ex æquo, atque in totum Adverſarium ſuum minimè refelliſſet. Quapropter ab eo ſtatim edita fuit

VIII. *Mantiſſa ad Animadverſiones anticriticas in Hiſtoriam Sacræ Familiæ*; in 8., ſuppreſſo Typographi nomine, loco, & anno, pp. 33.

Alia

Alia multa ſcripſit, quæ omittenda ducimus, ne graviores Lectori ſimus: ſed plura certè ſcripſiſſet, noviſque Ingenii ſui fœtibus literarium Orbem magis locupletaſſet, ſi diutiùs ſoſpitem Eum, atque ſuperſtitem Deus Optimus nobis ſervaſſet. Vir ſanè Studii, ac laboris apprime patiens, & cupidus; quæ nec ingraveſcente, nec jam effœta ætate, aut dimiſit unquam, aut de iis quicquam remiſit. Quanquam ſenio pene confectus, ea pollebat Mentis viriditate, ut hac in parte nulli Juniorum concederet. Itaque a ratione, quam Adoleſcens inierat, nunquam diſceſſit; ſed vel in Schola, vel ad pluteum aſſiduè ſedens, atque in ſuis ſtudiis abditus, ac fere ſepultus totos pene dies tranſigebat; ita quidem, ut vix extremam inclinantis Diei horam, liberioris aeris captandi cauſsâ, modicæ deambulationi indulgeret. Quin exacto per annos quadraginta docendi Munere in Patavina Academia, cùm facilè ab eo vacationem, ſeu, ut ajunt, Jubilationem Doctor emeritus ſæpius impetrare potuiſſet [ut ſæpe fit] ab otio, imò & ab otii ſpecie, ſummopere abhorrens maluit, veluti ſtrenuus miles in acie, ſic Ipſe in ſua literaria palæſtra diem extremum obire. Quamobrem idem Illi docendi ſcribendique, ac vivendi finis fuit; qui octogenarius ſenex, tamen quaſi adhuc immaturè communi fato bonarum literarum ingenti jacturâ ereptus, æternum ſui deſiderium toti ſtudioſæ Poſteritati reliquit. Chriſtianam religioſamque Vitam, quam ſemper duxerat, haud diſſimilis clauſit mors; quam adventantem non conſtanti modò, atque imperterrito animo aſpexit, ſed læto hilarique vultu Sodalibus de ejus periculo metuentibus, nec tamen acerbum quidpiam, ac triſte Illi afferre valentibus, eam Ipſe ſibi imminere prædixit: tum verbo, & exemplo ita ſingulis prælucebat, ut magis e Cathedra docentem, quàm in Lectulo morientem Magiſtrum audire, atque inſpicere credidiſſes. In ea ſanè lucta dilucidè apparuit, quàm altas in Ejus corde radices ſincera Pietas, omniſque maſcula Virtus fixiſſet: quanto humanæ gloriæ faſtidio, quanto veræ ſempiternæque amore, ac deſiderio teneretur; qui Mundum deſpiciens, ſolique Deo adhærens in lucro poneret, Carnis hujus vinculis quàm citiùs exſolvi, ut ſummo illo Bono, cui perpetuò inhiaverat, frueretur. Quæ tunc illi vox, quæ cogitatio, quæ ſollicitudo fuit? Cætera oblitus omnia id unum ore promebat, menteque volvebat; id unum enixè flagitabat, ut Sacris Eccleſiæ Ritibus expiatus, munitus, roboratus Nequiſſimi tela poſſet eludere, atque de Tenebrarum Poteſtatibus triumphare. Obiit autem die 12. ineunte Menſis Martii Anni 1738. Sanctorum Patrum Doctrinæ tenaciſſimus fuit, ac præſertim SS. Eccleſiæ Doctorum Auguſtini, & Thomæ Aquinatis fideliſſimus Sectator, & Vindex acerrimus: ipſoque Magiſtro, qui ſemper

per

per vigilantiſſimus fuit, Patavina Civitas, ejuſque Academia a quocumque ſeu pravo, ſeu minùs conſono Dogmate [quid enim ad Dogma ſpectaret, quid ad Criticen, vel liberam opinandi rationem probè ſecernere noverat] ſi quod unquam Scioli quidam, & Imperiti in Vulgus ſerere pertentarunt, immunes prorſus, atque illibatæ ſervatæ ſunt.

Plures tamen Æmulos habuit; nec tantùm Æmulos; ſed etiam Calumniatores, qui nullum non lapidem moverunt, ut maximam de Illo conceptam exiſtimationem, quamvis omnino fruſtra, labefactarent, funditùſque everterent. Nec mirùm: ſolet enim, quemadmodum lucis Umbra, ita magnæ Virtutis comes eſſe Invidia. Illud magis mirandum eſt, adeo perfrictæ frontis Homines reperiri, qui in doctiſſimos æquè, pioſque Viros eaſdem, quas Ipſi ſæpius validè a ſe propulſarunt, calumnias regerere nunquam deſinant. Neſcit Nemo, quàm luculentis, invictiſque Argumentis impactam ſibi ab Adverſariis Janſenianæ labis Notam a ſe pluries Serrius noſter depulerit, doctrinæque ſuæ integritatem vindicarit. At quid juvat, os Malignis tam præclarè obſtruxiſſe? En novus in campum proſilit Cenſor, qui putidam, totieſque dilutam, ac diſſipatam a Serrio criminationem Illi rurſus aſſuere molitur. Is Author eſt *Bibliothecæ Janſenianæ* gallico ſermone conſcriptæ, quæ anno 1722. primùm prodiit, noviſſimè verò multò auctior anno 1740., hoc Titulo præfixo: *Bibliotheque Janſeniſte, ou Catalogue Alphabetique des Livres Janſeniſtes, Queſnelliſtes, Bajaniſtes, ou ſuſpects de ces Erreurs: avec un Traité, dans le quel les Cent, & une Propoſitions de Queſnel ſont qualifiées en détail. Avec des Notes Critiques ſur les véritables Auteurs de ces Livres, ſur les Erreurs, qui y ſont contenuës, & ſur les condamnations, qui en ont été faites par la Saint Siége, ou par l'Egliſe Gallicane, ou par les Evêques Dioceſains. Quatriéme Edition, Revuë, corrigée, & augmentée de plus de la moitié. A Bruxelles chez Simon T'Sertetevens, Imprimeur de ſon Excellence Monſieur l'Archevêque de Malines MDCCXL.* Tomi II. in 12. Hic, ſive *P. Dominicus Decolonia* [quod Venetus Collector pro certo affirmat] ſive alius quiſpiam ejuſdem farinæ ſit, duo inter Libros Janſeniana lue infectos Serriana Opera recenſet, *Hiſtoriam Congregationum de Auxiliis, & Exercitationes hiſtoricas de Chriſto, ejuſque Virgine Matre*: quibus proinde in Authorem ipſum Janſenianiſmi invidiam conflare adnititur. Sic enim habet Tom. I. pag. 256. num. XXXI., quoad Hiſtoriam Congregationum de Auxiliis: *Hiſtoria Congregationum de Auxiliis Divinæ Gratiæ Libri IV., Authore Auguſtino le Blanc S. T. D. Lovanii* 1700. = *Les quatre Livres de l'Hiſtoire de la Congrègation de Auxiliis, touchant la Grace, par le P. Au-*

P. Auguſtin le Blanc Docteur en Théologie, ce Pere étoit de l'Ordre de S. Dominique; à Lovain en 1700. Cui ſequentes Notas appingit *: Nota* 1. *Que ce faux Auguſtin le Blanc eſt le Pere Hyacinthe Serry de Toulon, & que ſon Livre, qui n'eſt, qu'un tiſſu de fauſſetez, de calomnies, & de Menſonges debitez avec une audace incroyable, & qu'on peut appeller un Roman Theologique, a été condamné en* 1701. *par un Decret de l'Inquiſition Generale d'Eſpagne, comme contenant des Propoſitions ſcandaleuſes, ſeditieuſes, injurieuſes aux Souverains Pontifes, au Saint Office, à un grand Inquiſiteur .... & à pluſieurs Hommes illuſtres.* = 2. *Que ce fut le Pere Queſnel, qui revit le manuſcrit, & qui ſe chargea d'en diriger l'Edition.* = 3. *L'Auteur de ce Livre y autoriſe ouvertement le Janſeniſme, & le Calviniſme, en reconnoiſſant pour orthodoxes des Propoſitions manifeſtement hėretiques, comme quand il dit, par exemple, Livre* 3. *chap.* 46., *que l'opinion de la Grace toûjours victorieuſe dans les Elûs, & qui détermine neceſſairement la volonté, & telle enfin, que Mr. Jurieu l'enſeigne, eſt une opinion Catholique.* Pagina verò 186. ejuſdem Tomi num. LXXXII. *: Exercitationes hiſtoricæ & cæt.* = *Diſſertations hiſtoriques, critiques, & polemiques ſur I. C., & la Sainte Vierge ſa Mere, où* & cæt. cum hac Nota *: Que ces Diſſertations hiſtoriques, & critiques du Pere Serry, Jacobin, né à Toulon, & Profeſſeur dans l'Univerſité de Padoüe, ont été condamnées par un Decret du S. Siége, du XI. Mars* 1722. *comme contenant pluſieurs choſes temeraires, ſcandaleuſes, pernicieuſes, injurieuſes aux plus Saints, & plus celebres Ecrivains de l'Egliſe, comme offenſant le oreilles pieuſes, & tendant à pervertir le ſimples Fidéles.* Tria igitur obelo notat primùm in Serrii Hiſtoria egregius Cenſor [nam ad ejus Hiſtoriæ fidem quod attinet, non eſt hìc diſceptandi locus; hanc enim in ejus ſecunda Editione Author ipſe luculentiſſimè comprobavit] : unum, quòd ex Decreto Generalis Inquiſitionis Hiſpaniarum confixa ſit *:* alterum, quòd ejus Autographum P. Queſnellius recognoverit, ejuſdemque Editionis curam ſibi ſumſerit : tertium, quòd Erroribus Janſenii, atque Calvini apertè faveat, plures evidenter hæreticas Propoſitiones ceu orthodoxas calculo ſuo approbando; veluti Sententiam de Gratia ſemper irreſiſtibili, ſemper victrici in Electis, ac Voluntatem neceſſariò determinante; qualem ſcilicet docuit M. Jurieu; quam tamen Catholicam eſſe defendit. Quis pudor hic, aut potius quis furor, quæ mentis veſania? Turpe eſt, nec æqui, honeſtique hominis, ſed improbi ac deſperati, eorum, qui tecum non ſentiant, famam, nomenque falſis criminibus dilacerare : at in eos eaſdem calumnias, a quibus ſeſe multoties probè vindicarunt, iterum atque iterum recudere,

dere, turpiſſimum, iniquiſſimum, indigniſſimum. Equidem ad putidas ejuſmodi ſycophantias penitus exſufflandas, falſique liquidò evincendas, ſatis nobis ac abunde eſſet inter alia, ad quintum Librum laudatæ Hiſtoriæ ſecundæ Editionis Lectorem remittere; vel etiam ad Libellum Italicè ſcriptum, quem ipſemet Author *Calumnia convinta*, hoc eſt, *Calumnia devicta*, ſeu *depulſa*, inſcripſit, in quibus magna Argumentorum vi Cauſſam ſuam provocatus, & infamatus Hiſtoricus ſtrenuiſſimè perſequitur, defendit, ac ponit in tuto. Verùm quoniam eandem toties decantatam, & ad nauſeam uſque perductam, cantilenam recinere, eandemque toties diſciſſam telam retexere obſtinatiùs pergit obſoletarum Calumniarum Refarcinator; ad Officium noſtrum ſummopere pertinere duximus, eiſdem, quibus olim Author ipſe ad ſui defenſionem uſus eſt, Argumentis pervicaciſſimam illius audaciam confodere, frangere, penituſque conterere.

Eccur verò Janſenianis Libris accenſenda eſt Congregationum de Auxiliis Hiſtoria? Primùm, quia a Sacra Hiſpaniarum Inquiſitione ſeveriſſimo Edicto proſcripta eſt. Unde verò habes, Janſenianorum Librorum Collector egregie, quòd ideo proſcripta fuerit, quia damnatam Janſenii Doctrinam redoleat? Si ita ſit, cur non Romanam Sedem negligentiæ, atque oſcitantiæ etiam incuſas, quòd Librum Janſeniana labe infectum nondum proſcripſerit, diriſque devoverit? Aſt recita Hiſpanicæ Inquiſitionis Decretum. Nil muto: *Quia continet Propoſitiones ſcandaloſas, ſeditioſas, Summis Pontificibus, Sanctæ Inquiſitionis Officio, Magno Inquiſitori, pluribuſque illuſtribus Viris injurioſas*. Ita ne? Ubi Error, ubi Hæreſis, ubi Janſenius? Nullibi plane. Nec te pudet, in Janſeniſmi crimen doctiſſimum Theologum vocare ex Decreto, in quo nullâ Janſeniſmi Notâ percellitur? Quid, ſi aliqua Erroris, Hæreſis, Blaſphemiæ, aut Impietatis infamia obtruderetur? Quantùm immanem clamorem attolleres! Ipſe tamen diſſimulas, cùm de eodem Tribunali Sententia longè graviſſima, opprobriiſque redundantiſſima lata eſt in celeberrimum Opus, cui elaborando tot præclara illuſtriſſimæ Societatis Ingenia per immenſum fere annorum ſpatium deſudarunt, & in cujus defenſionem tota jam Societas tam acriter hactenus exarſit. Quid enim ait Hiſpanica Inquiſitio? Audi verba, ſed noli quæſo obturare aures: *Nos Inquiſitores Apoſtolici contra Hæreticam pravitatem, & Apoſtaſiam .... notum facimus, ad noſtram notitiam deveniſſe, quòd impreſſi & vulgati fuerint quidam Libri, quos mandamus recolligi, & omnino prohiberi, qui ſunt ſequentes .... Acta Sanctorum .... qui omnes ſunt quatuordecim Tomi. Authores eorum* Godefridus Henſchenius, *&* Daniel Papebrochius *Societatis Jeſu. Quia continent*

[con-

[confer hæc cum prioris Decreti verbis] *Propoſitiones erroneas, hæreticas, ſapientes hæreſim, periculoſaſque in Fide, impias, piarum aurium offenſivas, Schiſmaticas, ſeditioſas, temerarias, audaces, præſumptuoſas, plurium Summorum Pontificum, Sedis Apoſtolicæ, Sacræ Rituum Congregationis, Breviarii, & Martyrologii Romani graviter offenſivas; & excellentiorum quorundam Sanctorum, multorumque Scriptorum nimiùm depreſſivas, & clauſulas multis Sanctis Patribus, & graviſſimis Theologis Eccleſiaſticis irreverentes. Et ſimiliter, quia continent Propoſitiones Status Religioſi multarum Religionum, & ſpecialiter Carmelitarum, & ſuorum gravium Scriptorum, multarum Nationum, & ſignanter Hiſpaniæ offenſivas; nec non multorum Authorum communi exiſtimatione veridicorum detractivas; ac denique, quia in dictis Operibus multa Hæreticorum, & aliorum infamis notæ Authorum a Summis Pontificibus, & ab Eccleſia prohibitorum, & condemnatorum continentur Elogia; quorum Doctrinis utuntur, ut eas, quæ ſunt Sanctorum, & Eccleſiæ Traditiones impugnent. Ideo mandamus &c. In Aula noſtræ Audientiæ S. Officii Inquiſitionis Toletanæ die* 14. *Novembris 1695.* (*a*) Ad hæc quid reponis, Serrianæ Hiſtoriæ naſute Cenſor? At vide, quàm tecum agam liberaliter. Quamvis utriuſque Cauſſa multùm diſcrepet, nec idem latum ſit de utroque judicium, ſed multò mitius in Serrium noſtrum, durius, ac acerbius admodum in Henſchenium, & Papebrochium [non enim in Serrio ullæ damnantur Propoſitiones, tanquam *erroneæ, hæreticæ, ſapientes hæreſim, periculoſæque in Fide*, aut *impiæ*] iiſdem tamen Momentis, ac, ſi lubet, etiam verbis, quibus ipſe ab Henſchenio, & Papebrochio ejuſmodi damnationis invidiam arcebis, ego a Serrio pari ratione amovebo. Dices, ſacrum illud Tribunal, quamvis ampliſſima polleat authoritate, tamen Tribunal eſſe particulare? Idem & ego, ſalvâ debitâ reverentiâ, affirmabo. Dices, Juriſdictionem illius intra fines ſuos contineri, ejuſque exercendæ poteſtatem quidem in Hiſpanos, atque in Hiſpaniis obtinere; non ita extra Hiſpanias, aut adverſus Belgicos, Gallos, aut Italos? Eadem ego quoque affirmabo. Dices, quamdiu Acta Henſchenii, ac Papebrochii nullo a Sancta Sede mucrone diſtringentur, ſalva eis res ſuas eſſe? Salvas & ſuas Serrio, donec ulla Sanctæ Romanæ Univerſalis Inquiſitionis Cenſura ejus Hiſtoriæ non inuratur, & ego conſtantiſſimè tuebor. Vides igitur, quantâ celeberrimi Authoris injuriâ inter Libros Janſenianos Hiſtoriam Congre-

e gre-

(*a*) Decretum iſtud extat in Libello cui Titulus *La Calumnia convinta* ſecundæ Editionis pag. 57.; de quo ſuperiùs ad Notam II.

gregationum de Auxiliis ob id repoſueris, quòd perculſa olim fuerit Sacræ Hiſpanicæ Inquiſitionis Decreto; quo tamen nulla Erroris, aut Hæreſis, ac multò minùs Janſenianæ labis Notâ illa configitur. Quare aut ex illa tua Bibliotheca temerè, perperam, inconſultò, & abſque ullo criterio conſarcinatâ Serrium expunge; aut certè Henſchenium, & Papebrochium adjunge; niſi mollis, & æquus in Tuos, in Cæteros autem malignus, & iniquus videri malis, & eſſe. Et quidem ſi, quam Illi affricat inconſultus Bibliothecæ Author, eâ digna Cenſurâ eſſet Serriana Hiſtoria, quî fieri potuiſſet, ut tot Eruditorum omnium plauſibus, atque præconiis hactenus excepta, atque concelebrata fuiſſet, tantoque ſtudio, & aviditate conquiſita, ut binis jam numeroſiſſimis ejus Editionibus plane exhauſtis, quavis deinde adhibitâ diligentiâ, aut pecuniæ ſummâ oblatâ, ne unum quidem Exemplar inveniri, ac comparari amplius poſſet? Qua quidem re excitati nuperrimè Veneti Typographi, ingentiſque ſpe lucri illecti, ultrò, ac propriis impenſis, Superiorum omnium Permiſſu, ac etiam Privilegio, tertiam duobus ferme abhinc annis adornarunt: quos ita ſpes ſua non fefellit, ut ii jam [confluentibus undique, nullaque conſtituti pretii magnitudine deterritis, eruditiſſimis Emtoribus merce ſua diſtracta] aucto permagnis quæſtibus cenſu, fortunæ ſuæ gratulentur. Hoccine de infami Libro ſperandum, obtinendumque? = Alterum accuſationis Caput eſt, Hiſtoriæ Serrianæ Autographum a P. Queſnellio recognitum, ejuſdemque curis pro Editione commiſſum. Commentum hoc primus omnium procudit Theodorus Eleutherius, ſeu [detractâ larvâ] Livinus de Mayere S. I. Scriptor, nulla tamen allata probatione, nulloque producto vel levi Momento; ſive ut Serrio concinnatæ laudatiſſimæ Hiſtoriæ gloriam adimeret, aut certè imminueret; ſive ut Opus ipſum de Janſeniſmo ſuſpectum faceret; quòd ſcilicet talis Viri, Janſeniſtarum facilè Principis, manu recognitum, & caſtigatum, ſeu potius corruptum, atque contaminatum prodiiſſet. Negat tamen apertè Serrius, remque, ut geſta eſt, ſimpliciſſimè narrat. Non enim Ipſe ad Queſnellium, quem neque tum noverat unquam, Hiſtoriæ ſuæ Scriptum recognoſcendum, aut corrigendum miſerat; ſed, cùm ad Bruxellenſem Typographum [*intelligite* tandem *inſipientes in populo*] quocum ea de Editione egerat, miſiſſet, is, ſe inſcio, P. Queſnellio, quem ob ejus Eruditionis famam plurimi faciebat, detulit, ut de Operis dignitate, quod ſuis ſumptibus editurus erat, certior fieret, rebuſque ſuis cautiùs proſpiceret. Quod quidem ut primùm Author ab ipſo Queſnellio gratulatorii officii gratiâ monitus reſcivit, ita commotus eſt, ut ſtatim Amico ſuo P. Norberto Delbecquio, cujus operâ utebatur, per literas vehementiſſimè commen-

mendaverit, ne quid in Opere ſuo vel minimum aut adderetur, aut mutaretur. Neque tamen in ullam adhuc Hæreſis ſuſpicionem eo tempore Queſnellius inciderat; quin magnæ apud Doctiſſimos quoſque Sapientiæ, Eruditionis, atque Integritatis famâ eminebat, omniumque præconiis efferebatur. Vidit itaque Queſnellius, antequam imprimeretur, Serrianam Hiſtoriam, probavit, laudavit: nil tamen Queſnellius addidit, nil immutavit, nil emendavit. Falſum igitur eſt, quod Ille inconſultus effutiit. Enim verò quis ſanæ mentis Homo animum inducere queat, ut credat non dicam, ſed ut vel cogitare potis ſit, Queſnellium in Opus aliquod operam ſuam contuliſſe, vel addendi quicquam, immutandi, expungendi facultatem obtinuiſſe, in quo expreſsè impugnetur, ac refellatur? At impugnatur Ille, atque refellitur *cap. 6. Libri primi* Serrianæ Hiſtoriæ, occaſione data Apologiæ, quam ipſe Queſnellius pro Cenſura Lovanienſi anno 1688. adornaverat; ubi in duobus ab Illo aſſertis Apologeticum Scriptorem, quamvis nomen ſilentio prætereat, erraſſe dicit, ac etiam probat Serrius noſter. Hæc ne Queſnellius, ſi facultas ei aliqua data foret immutandi pro libito, vel emendandi, ut Nonnulli cum Bibliothecæ Scriptore blaterare non ceſſant, non illico deleviſſet, vel ſaltem taliter temperaſſet, ut ab erroris probro ſe eximeret? Quid plura? Negat Queſnellius ipſe, ſe ullam in hujus Hiſtoriæ Editione partem habuiſſe, quam Authoris eſſe multò ſe doctioris affirmat; quamque quoties laudat, ita de ea loquitur, ut de Opere alieno. Sed his diu non immoror. Legat, quiſquis volet, ejuſdem Hiſtoriæ ſecundæ Editionis Caput quintum Libri primi, ubi Fabellam iſtam inaniter jactatam in Vulgus fuſius, ac validiùs explodit Author ipſe, prorſuſque peſſumdat. Atque utinam extaret adhuc Epiſtola a Queſnellio ad Serrium miſſa. Quàm bellè, quàm luculenter impactam calumniam ipſamet diſſiparet. Sed vero ſimile eſt, eam Serrium laceraviſſe ob ingentes, quas ferre Ipſe non poterat, laudes Illi tributas; ut ipſemet ego a quibuſdam fide digniſſimis Viris, & Authori noſtro amiciſſimis, quibus oſtenſa Epiſtola fuit, non ſemel audivi. = Omnium autem deterrima tertia Calumnia eſt, qua id Serrio imponitur, quod nequidem ſomniavit unquam. Ubi Is, quæro, Janſeniſmum, & Calviniſmum tuetur? Ubi manifeſtè hæreticas Propoſitiones, ut orthodoxas, amplectitur? Ubi docet? Ubi propugnat? Certa Librorum Loca deſigna: verba profer. Non renuit Theologus Bibliothecæ Conſarcinator. Gratiam, inquit, irreſiſtibilem, ſemper in Electis victricem, ac Voluntatem noſtram neceſſariò determinantem cum Calvinianæ Sectæ Principe Jurieu agnoſcit, ac recipit *Libri tertii Capite quadrageſimo ſexto*. Quis horrendam adeo Calumniam non execretur? Imò verò oppoſitum

 do-

docet ; Gratiæ ſcilicet efficaciam optimè cum humana Libertate conſentire. Quid enim toto eo Capite agit aliud, quàm ut Sectarios Theologorum noſtrorum Diſputationibus, ſincerіſque Eccleſiæ Dogmatum Expoſitionibus devictos, ad ſaniora tandem conſilia veniſſe, emollitiſque, ſeu veriùs, prorſus ejuratis priſtinis Majorum ſuorum aberrationibus, ad Eccleſiæ Doctrinam, quod ad Gratiæ efficacis cum libero arbitrio concordiam ſpectat, propriùs acceſſiſſe, demonſtret? Id ſanè non modò celebriorum ævi noſtri Polemiſtarum Teſtimoniis confirmat, ſed ipſorum etiam Proteſtantium, ac præcipuè M. Jurieu confeſſionibus evincit. Oſtendit itaque, fateri eos, *Gratiam ita eſſe a ſeipſa efficacem, ut non excludat motionem moralem, quæ eſt per conſilia, & ſuaſiones : Homines in ſui Converſione non eſſe inſtar trunci, aut lapidis : Homines in ſui Converſione liberè Gratiæ Dei conſentire : Homines in ſui Converſione poſſe non cooperari Gratiæ Dei : ita ut haud neceſſe ſit indagare, quid Calvinus, quid alii antehac ſenſerint ; ſed eos ſufficiat nunc cum Catholicis Doctoribus ſentire, & loqui ; maximamque Controverſiarum partem, quæ illos inter, & noſtros de Gratia & libero arbitrio agitari ſolent, evanuiſſe*. Iſtud ne docere eſt, Gratiam eſſe irreſiſtibilem ; Gratiam ſemper victricem eſſe [loquendo abſolutè de omni Gratia]; Gratiam neceſſariò Voluntatem noſtram determinare, quemadmodum docuit Calviniſtarum ille Coryphæus? Sed aliò tendit Cavillator ; atque ex M. Jurieu Teſtimonio, quod Hiſtoricus noſter affert, texendæ ſycophantiæ anſam quærit. Teſtimonii verba jam notat ſingula, miſſiſque cæteris, ſolis venenatis adhæret. Ait enim ille Loco ab Authore laudato : *Cenſent, & quidem ex Religionis debito, Reformati planè omnes, Divinam operationem, quæ & Voluntatem prævenit, & ad bonum invictè determinat, libertatem ejus nullatenus lædere. Gratiam enim prævenientem, determinantem, atque etiam irreſiſtibilem profitentur Eccleſiæ noſtræ .... Firma porro Fide profitemur, eam Divinæ Gratiæ energiam, qua Voluntas ad bonum neceſſariò determinatur, libertatem minimè lædere*. En, inquit, *invictè determinat*, *irreſiſtibilem*, *neceſſariò determinatur*. Quid clarius? At ita loquitur Calviniſta ; non Theologus noſter. Satis ad rem ſuam Illi fuit, Miniſtrum fateri, Divinam operationem prævenientem, & Voluntatem noſtram ad bonum determinantem, ejuſque libertatem nullatenus lædere : eo enim in Capite idem & ipſe ſentit, idem & Doctores Catholici : atque eo Teſtimonio recentium Calviniſtarum a primis ſuæ Sectæ Principibus defectio, quod erat Illi præcipuè intentum, clariſſimè comprobatur. Calvinus enim Libertatem de medio tollebat omnem, iſti admittunt. Cæterùm quòd innocuis locutionibus inſidioſas etiam quaſdam, ac ma-

male tutas, quæ ad rem non faciunt, callidus admiſceat Miniſter, atque irreſiſtibilem, inſuperabilem, ac neceſſariò determinantem Gratiam inducat; has Serrius nec approbat, nec docet unquam; nec ad ea Gratiæ privilegia falsò adſtruenda Miniſtri Dictum laudavit. An ne novum eſt, aliorum Sententias & Dicta ad ſermonem aliquem confirmandum ſæpiſſime in medium afferri, quibus non plane totis aſſentiamur, ſed quædam probemus, quædam verò reſpuamus? De quibus quidem perinde, ac de Comparationibus ſtatuendum; quæ pede uno currere, reliquis claudicare feruntur. Probat igitur Author Confeſſionem Miniſtri quantum ad eam quidem partem, cujus cauſsâ illam protulerat; *ex Religionis videlicet debito Reformatos cenſere, Gratiam Divinam non lædere libertatem*: at quo ad alteram eam partem, qua eadem Gratia *irreſiſtibilis*, *inſuperabilis*, ac *Voluntatem neceſſariò determinans* aſſeritur, & vocitatur, de qua nulla ibi quæſtio, omnino eam rejicit, atque execratur. Quomodo ergo eo uſus Teſtimonio, ut quod unicè ſibi propoſuerat, unicè confirmaret, Aſſertiones manifeſtè hæreticas Ille docuit? Quomodo Janſeniſtarum, aut Calviniſtarum impia Dogmata tutatus eſt? Quomodo M. Jurieu deliramenta probavit? Captioſa nimis iſthæc interpretatio, turpiſque fallacia. Addam, nimiùm inverecundi hominis eſſe, Virum aliâs probum, doctum, optimæque famæ, ut hæreticum, vel ſaltem de Hæreſi vehementer ſuſpectum traducere, Scriptiſque, ac typis proclamare, antequam Eccleſia, ad quam pertinet, judicium ullum pronunciarit, ſed nec unquam ſuſpectum notarit; audaciamque eſſe minimè tolerandam, quin & ſeveriſſimè plectendam, qua quis, privatus homo cum ſit, nullaque authoritate donatus, licere ſibi arbitratur, Propoſitiones, ut manifeſtè hæreticas, declarare in alienis Operibus, quæ pluries Superiorum omnium approbatione ſunt edita, publicè ubique Locorum, Romæ etiam, circumferuntur, volvuntur, leguntur, & ab Eruditis omnibus probis, catholicis, piis ſumma conſenſione probantur, magniſque laudibus extolluntur: quod certè nemo, niſi plane deſipiat, de Serriana Hiſtoria inficiabitur unquam. Sed non in Serrium ſolum Bibliothecæ egregius Author virus evomit: alios quoque ibidem collocat, tanquam Janſeniano luto hærentes, præclariſſimos Viros apprime pios & catholicos, ac etiam ſumma in Dignitate conſtitutos, omniumque laudibus celebratos, ut mox videbimus: quo quidem ſatis compertum ſit, non unicum ſibi, ſed plures ſtatuiſſe Scriptores calamo ſuo confodiendos immitem Conſarcinatorem. Atque hæc, benigniſſime Lector, de prima Janſenianæ Bibliothecæ, quantùm ad Serrianam Hiſtoriam attinet, puriſſima ſycophantia. Ad reliqua nunc deſcendamus.

Illud itaque plane ridiculum de Exercitationibus hiſtoricis criticis,

ticis. Quò, bone Deus, præjudiciorum vis abripit, quòd Hominum Mentes ita excæcet, ut quid agant, omnino non videant! Quid iis Exercitationibus cum Janſeniſmo? At iis, inquis, Sanctæ Sedis judicio nigrum theta præfixum. Bene eſt. Ob id ergo Janſenianis is Liber adnumerandus? Num Janſenianos tantùm Libros Romana interdicit Eccleſia? Næ anguſtior illa tua Bibliotheca eſt: multùmque, mihi crede, ea erit dilatanda, ſi quoſcumque damnavit Eccleſia, nullâ damnationis cauſſæ ratione indigitatâ, in eam Libros congeras: at multùm etiam, opinor, contrahenda, ſi iis tantùm relictis, quos fert Inſcriptio, illos inde amoveas omnes, quos imprudenter illuc intruſiſti. Totum jam perlege Librum earumdem Exercitationum [non enim mihi perſuaſum eſſe poteſt, te unquam legiſſe] perlege, inquam, totum, ſæpiuſque revolve; ac ſi quid vel minimum, quod Janſeniſmum, Bajaniſmum, aut Queſnelliſmum ſapiat, tuis illis linceis oculis deprehendes, libens arma pono, Cauſsâ cado. At ſi nihil omnino offendes, noli mutare quadrata rotundis; aut certè inſcitiam tuam fateare, qui neſcias, res merè hiſtoricas criticaſque, quibus pura Facta narrantur, vel ad trutinam revocantur, a Dogmaticis, quibus ad Fidem attinentia expenduntur, ſecernere, atque dignoſcere. Vereor enimvero, ne ſurdo cantilenam. Quî enim ab eo ullis rationibus impetrare poſſim, ut malè collocatum e Catalogo illo ſuo proſcriptum Serrii Librum expungat, cui ſatis abunde eſt, ut in eundem quoslibet pro arbitratu ſuo conjiciat, eos eſſe aliquando ad Judicem delatos, aut etiam rigidiores [ut ſibi quidem videtur] in eis Sententias contineri? Hinc in ea Janſeniſtarum Bibliotheca & Cardinalis Noriſii Hiſtoriam Pelagianam, & Genetti Moralem Theologiam non abſque admiratione inſertas conſpicimus, aliaque plura inſignia doctiſſimorum, & clariſſimi nominis Virorum Opera, quæ nullâ unquam Erroris Notâ Apoſtolica Sedes confixit. Undenam tibi, tantum authoritatis & gratiæ, ut præſtantiſſimos Viros nequiſſimo Janſeniſmi probro tam procaciter reſpergas, de quo aut convictos, aut legitimè ſuſpectos eos unquam fuiſſe, nullo modo poſteris ſuſtinere? Nec te movet, aut terret graviſſimum Sanctiſſimi Pontificis Innocentii XII. Interdictum, quo ad effrænatam hujuſmodi licentiam opportuno remedio compeſcendam, ſeveriſſimè edixit, ne quis aliquem invidioſo Janſeniani nomine inſimularet, niſi Eccleſiaſtico Judicio convictus eſſet, proſcriptas quinque Propoſitiones, aut ſaltem ex illis aliquam propugnaſſe? Ita enim Ille ad Belgii Epiſcopos die 6. Febr. 1694.: *Ad extinguenda Theologorum jampridem inter ſe excitata diſſidia, quantùm in Domino poſſumus, præſentibus noſtris Mandatis injungimus, ne ulla ratione quemquam vaga iſta accuſatione, & in-*

Digitized by Google

invidioſo nomine Janſeniſmi traduci, aut nuncupari ſinatis, niſi prius ſuſpectum eſſe legitimè conſliterit, aliquam ex his Propoſitionibus docuiſſe, aut tenuiſſe &c. Iniquum eſt, eum, qui legitimè ſuſpectus non fuerit, invidioſo Janſeniani nomine commaculare: quid dicam, Eum, qui perpetuum bellum Janſenianis omnibus indixit? Nam hercle tam procul abeſt, in Serrium ullam aliquando legitimam Janſeniſmi ſuſpicionem cecidiſſe, ut etiam meridiana luce clarius perſpectum ſit, Illum, ex quo primum de rebus Theologicis judicium aliquod ferre potuit, ad ultimum uſque Vitæ ſpiritum Janſenii, ejuſque Sectatorum infenſiſſimum ſeſe hoſtem prodidiſſe. Tempora recenſeo. Porro anno 1684., cùm honeſtiſſimo Baccalaurei gradu in Pariſienſi Academia exornaretur, Theſeſque publicè ad eam rem propugnaturus, quaſcumque tandem vellet, eligendi facultatem haberet, has maluit, quibus Janſenium, ac Janſenianos maximè impeteret; ac Pontificia Innocentii X., atque Alexandri VII. Oracula adverſus Janſenium emanata, tum Propoſitiones quinque damnatis ex diametro oppoſitas validiſſimè defendit. Eadem iterum ſumſit arma anno 1689., eamdemque pugnam ſtrenuiſſimè pugnavit iterum, cùm publicam Concertationem, quam Sorbonicam vocant, haberet; qua duodecim horarum ſpatio ad ſingula propoſita Objecta, nullo adſiſtente Præſide, ſecundùm ejuſdem Academiæ Inſtitutum, reſpondit: inter quæ Objecta, ut ipſe non ſemel teſtatus eſt, plurima fuerunt ex Janſeniana Doctrina decerpta, & a Janſenianis ipſis, quos Is probè noverat, non arguendi gratiâ, ut ſæpe fit, ſed data opera, principe ſtudio, & vero animo prolata, inculcata, magnificata. Anno deinde 1690. ineunte, cùm Licentiati honore inſigniretur, celebri Fidei Formulæ, quam ex Alexandri VII. Præſcripto Conventus ille doctiſſimorum Hominum uſu ac Legibus conſecravit, ſolemniter ſubſcripſit. Ecquid præterea quærit, ac poſcit Eccleſia, ut quis omnem a ſe Janſeniſmi ſuſpicionem, ſi qua etiam antea laboraſſet, prorſus amoveat, eliminet, diſpellat? Aſt hìc non ſtetit Janſeniſtarum Oſor acerrimus, in quem nihilominus tot ejus Adverſarii temerè congerunt maledicta. Nihilo enim placatior, nec unquam a propoſito ſuo recedens, quem altè prima ætate in Janſenium, ejuſque Gregales animum imbiberat, ad extremam uſque ſervavit: nullamque unquam paſſus eſt occaſionem abire, qua niſu omni, atque conatu illos inſectaretur. Nonne Apoſtolicas hac de re editas Conſtitutiones conſtanti pectore, & catholico ardore inflammatus acerrimè vindicavit? Nonne Alexandri VII. Formularium & Comitiorum Generalium Cleri Gallicani de eo Decreta libentiſſimè recepit, approbavit, commendavit? Nonne apertiſſimè edocuit, firmiſſimiſque Argumentis confirmavit, a damnata Janſenii

nii Doctrina Auguſtinianam, atque Thomiſticam alieniſſimam eſſe, planeque abhorrere; ut iis fortiſſimum, quo ſe tegere ac tueri conabantur, clypeum eriperet? Nonne in publicis Prælectionibus, quas in Patavino Gymnaſio diutiſſimè habuit, quoties ca, de quibus agebatur, ſinebant, Janſenium, ac Janſenianos perpetuò exagitavit? Negas hæc omnia verò? En tibi, ut reliqua mittam, *Auguſtinus vindicatus* : evolve, lege : quid enim? Nimirum reperies iſthic in totum Caput decimum octavum, ceu in quoddam publicum tabularium, coacervata, probata, laudata quæcumque in Janſenium ſive Apoſtolica Sedes, ſive Gallicana Eccleſia lato judicio pronunciaverat. En *Schola Thomiſtica vindicata*. Quid animadverſione undecima? Lege : *Nulla Dei Præcepta Juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent, vires eſſe impoſſibilia, Gratiamque, qua poſſibilia fiant, non deeſſe. Eccleſiæ Fidem agnoſco, pro qua ſanguinem fundere, votum mibi eſt*. Audin'? Sanguinem fundere paratus eſt : pro quo? Pro Eccleſiæ Fide, qua nulla Dei Præcepta impoſſibilia eſſe agnoſcit, & profitetur. An non univerſi Janſeniani ædificii fundamentum plane ſubruit, fundituſque evertit? Aſt ad Thomiſticæ Scholæ ſenſum, quo Gratiæ efficacis, atque humanæ Libertatis mira conjunctio aptiſſimè cum Catholica Eccleſia explicatur, [quemque ſibi ii falsò tribuunt, & jactant] quaſi ad tutiſſimam arcem ſeſe recipiunt Janſeniani? Ab hac eos luculentiſſimis ille Argumentis, pluribuſque Authoritatum Momentis, quibus immenſum utriuſque ſenſus diſcrimen tota Animadverſione quadrageſima ſecunda evincit, tanquam firmiſſimis armatorum præſidiis exturbat, expellit. En tandem, quod præſtat omnibus, quod Summo Dei Opt. Max. beneficio ſervatum eſt, quodque inſtructiſſimi Armamentarii loco eſſe poteſt, *Diſputatio quarta de variis Humanæ Naturæ Statibus*, quæ eſt de Natura reparata in hoc primo Volumine hujus noſtræ Editionis. Nihil hìc obſcurum, nil tectum, nil ambiguum : clara omnia, omnia aperta, omnia certa : nullus hic invidiæ, livori nullus, nullus obtrectationi aditus patet. Hìc Serrii animum ab omni Errorum labe puriſſimum, atque integerrimum, quaſi in editiſſima ſpecula lucidiſſimo radiorum lumine illuſtrata, propiùs intuemur. Incluſum imis pectoribus ignem adverſus omnes Janſenianos produnt alibi quædam veluti ſcintillæ; hìc tota ſe explicat, atque effundit flammæ magnitudo. Janſenium alibi, aliud fere agens, ac veluti tranſeundo, levi prælio laceſſit; collato hìc pede, viribus omnibus, atque copiis invadit, aggreditur, oppugnat, expugnat. Hæc inanis jactantiæ, aut oſtentationis cauſsâ ne a me dicta exiſtimes. Haud longè a nobis poſita enarro: ipſe potes oculis tuis cernere; certior ipſe fieri; ipſe ſtatuere, an vera ſint, quæ nimiùm fortè videri poſſumus extuliſſe. Lege, perlege :

Digitized by Google

lege : nullum aliud a me judicium expectes : a te magis judicium tuum expectabo. Videbis enim jam ipſe per te, quanam Argumentorum vi & copia, quanta perſpicuitate atque evidentia, quanto robore atque conſtantia ſingulas ſingillatim damnatas Janſenii Propoſitiones inſectetur, & urgeat : ut omnes juſtiſſimo a S. Sede anathemate perculſas eſſe tueatur; ut non in ſenſu tantùm obvio, quem verba præſeferunt, ſed in ipſius etiam Janſenii ſenſu, quem hæreticum eſſe, ex propriis ejus documentis palam colligi, certiſſima ratione demonſtrat; ut Janſenianis omnibus, eorumque Fautoribus viam omnem præcludat; ut nullum, quà evadant, effugium relinquat. Hoc tu vocas, æquiſſime Cenſor, a Janſenianis partibus eſſe? Hunc tu Janſeniſtam tam apertè conclamas? Huic tu in Janſeniana illa tua Bibliotheca locum aſſignas; quo nullus fortè fuerit magis Anti-Janſenianus? Fortè & tu Janſenianus es, qui in Janſenianam Bibliothecam inſtruendam, adornandam, conſarcinandam tantum operæ, laboris, ac diligentiæ collocaſti? Neque tamen hìc continere me poſſum, quin effrænem adeo Hominum audaciam vehementiſſimè deteſter, diriſque omnibus devoveam. *Ecquis enim* [verbis utar Authoris noſtri, hoc *Tom.* 1. *Tract.* 3. *de Hum. Nat. Stat. Diſp.* 4. *Prælect.* 1.] *petulantiam illam ferat, qua Homunciones plerumque inſcientes, & ignari Viros ſæpius eruditos, ac pios invidioſo Janſeniſtæ nomine traducunt ob id unum, quòd in Divinæ Gratiæ Controverſiis Auguſtini Dogmata tenaciùs æmulentur, & a Molinianis laxitatibus prorſus abhorreant; cùm aliàs a Janſenii Erroribus procul ita abſint, ut abeſt Moliniana ab Auguſtini Doctrina? Sciant, ſciant quotquot Viros eruditos, ac pios iis Titulis infamant, pœnis ſe Canonicis adverſus Sanctæ Sedi contumaces taxatis eſſe ſubjiciendos.* Quòd ſi Doctorum, piorumque Virorum famæ turpiſſimo iſto Janſeniani nomine detrahere, res eſt iniquiſſima, & graviſſimis pœnis plectenda; quid, ſi eorum, quos nullum conſtet infenſiorem hoſtem habuiſſe, quàm Janſenium & Janſenianos, eoſque nullo non Vitæ ſuæ tempore inimiciſſimè, atque infeſtiſſimè inſectatos fuiſſe? Quid, ſi hæc illis Nota per calumniam inuratur, qui prope ſingularem erga Apoſtolicam Sedem reverentiam, venerationem, cultum, atque obedientiam profitentur? Quid, ſi non verbo, quod prætervolat, ſed calamo, & typis, quæ diutiſſimè perſeverant? Quid, ſi non Religionis zelo, ſed ulciſcendi cauſſa?

Quoniam verò ſuperiùs de Noriſiana Hiſtoria mentionem fecimus, quam pari audacia inter Hæreticorum Libros præſtantiſſimus Cenſor conjecit, audi quæſo, cordatiſſime Lector, ingenioſiſſimam acutiſſimi Collectoris ratiocinationem, qua ſe ductum ſignificat, ut eam inter Janſenianorum Opera collocaret. Audi affictam illi

f No-

Notam, & Ingenium demirare. Hæc porro habet ille Tom. I. pag. 257. num. XXXII. poſtremæ Editionis: *Hiſtoria Pelagiana, & Diſſertatio de Synodo Quinta Œcumenica &c. Authore P. M. Henrico de Noris Veronenſi Auguſtino* (rectiùs Auguſtiniano) *Patavii 1673. Hiſtoire du Pelagianiſme avec une Diſſertation ſur le V. Concile Œcumenique. Nota. Que cette Hiſtoire de l'Hereſie Pelagiane composée par le Cardinal de Noris, a eté par trois fois deferée au Sain Siége, mais qu'elle n'a jamais eté condamnée.* Hoc eſt: *Hæc Hiſtoria Hæreſis Pelagianæ, a Cardinali Noriſio elucubrata, tribus vicibus ad Sanctæ Sedis Tribunal delata fuit; nec tamen fuit unquam proſcripta.* Hinc itaque feſtivè colligit eruditus Bibliothecæ Author [neque enim aliud quidquam in judicii ſui præſidium affert] inter damnatos Janſenianos Libros eandem juremeritò recenſeri debere. Præpoſteram adeo conſecutionem neminem profectò hactenus audiviſſe reor; quin nec auditurum impoſterum, ne dixerim ab illo, qui in Theologicis rebus ita ſe eruditum, verſatumque putet, ut judicium de iis ferre valeat [ita enim de ſe gloriabundus is opinatur] ſed nec ab infimo Dialecticæ Tirone. Delata fuit jam tertiò Noriſiana Hiſtoria ad ſupremum S. Sedis Tribunal [certè ut ad examen vocaretur, atque ſin minùs catholicè ſentiens reperta fuiſſet, proſcriberetur] nec tamen unquam proſcripta fuit, vel damnata? Nullâ itaque Cenſurâ digna ab Apoſtolica Sede fuit habita: ni fortè velit eidem S. Sedi probroſum nævum affingere, ceu de rebus ſuis minùs ſollicitæ, nimiâque in magni momenti negotio oſcitantiâ laboranti. Hæc ſanè, hæc legitima conſecutio videri cuique debet, qui in meridie minimè cæcutiat, imaque ſummis omnia non vertat. Quid ergo tu, Cenſor egregie, inter hæreticos, vel de Hæreſi Janſeniana ſuſpectos Libros, ut Frons præſefert Bibliothecæ tuæ, Noriſianam Hiſtoriam inſeris? Num fortè vel authoritate majorem, vel pro catholica tuenda Fide ſtudioſiorem, aut occulatiorem ipsâ Romanâ Sede te jactas; ut quos Illa Libros non utique ſemel, vel bis, ſed ter etiam [ut ipſe fateris] de Hæreſi, vel Errore expoſtulatos minimè proſcripſit, tu inter proſcriptos reponas; eamque tibi vindices authoritatem, ut hæreticâ infecta labe ea Opera decernas, atque pronunties, quæ Summi Eccleſiæ Hierarchæ, jam tertiò interpellati, uti talia minimè agnoverunt, nec declarare omnino voluere? Facinus iſtud eſt Sanctæ Romanæ Sedi apprime injurium, Tribunaliſque ſupremi vel Intelligentiæ, vel Vigilantiæ, vel Authoritati ſummopere contumelioſum. Quo vel uno [etſi cætera deeſſent omnia, quibus ſparſim ſcatet Bibliotheca illa tua, acerbi animi indicia] quonam in pretio haberi illa debeat, æquis rerum Æſtimatoribus ſatis ſuperque fit manifeſtum.

ſtum. Quamobrem nil ſane mirandum, humaniſſime Lector, ſi Bibliothecæ Janſenianæ Scriptor ſuis præjudiciis omnimode occupatus Serrianam Congregationum Hiſtoriam, aliaque plurima celeberrimorum Scriptorum Opera, nec proſcripta unquam, nec ad Romanum Tribunal delata, in Janſenianorum, Bajanorum, Quæſnellianorum Librorum Catalogum pro arbitrio intruſerit; cùm & ea eodem probro reſperſerit, quæ licet tertiò accuſata, cenſuræ tamen Notam hactenus nullam pati ab Apoſtolica Sede meruerunt. *Dat veniam Corvis, vexat cenſura Columbas.* [*Juven. Sat. 2. v. 63.*] Valeat igitur cum illa ſua Janſeniana Bibliotheca doctiſſimus Decolonia: quem quidem illius Authorem fuiſſe, quàm mallem me ignoraſſe! Quòd enim inter Janſenianos Doctorem Serrium Janſeniſtarum hoſtem acerrimum apertiſſimumque recenſuerit, ejus inſcitiam, vel inconſiderantiam condemno: quòd nomen ſuum reticuerit, ſive ut publicam vitaret invidiam, ſive, quòd eum puderet, illuſtres tot Viros iniuſtis criminationibus inceſſiſſe, prudentiam, ſagacitatem, conſilium laudo.

Sed ſatis mirari non poſſum Veneti Collectoris, ſeu Foliorum, quæ literaria nuncupant, Conſarcinatoris oſcitantiam; qui nomen, quod Author ipſe diligentiſſimè celavit, retegendum, ac evulgandum temerè exiſtimarit. Nec ei tum venit in mentem, id illum ſine gravi cauſſa non feciſſe, dum ſemel atque iterum ſuppreſſo hocce Opus inſignis Authoris nomine prodiiſſe adnotavit? Hæc enim ejus Elogii verba, quod dedit ad diem vigeſimam primam ſuperioris Aprilis num. *16: Nel dì* 17. Settembre *dell' anno decorſo* 1741. *è morto in Lione di Francia il R. P. Domenico Decolonia della Compagnia di Gesù, Soggetto aſſai dotto, e celebre nella Repubblica de' Letterati. Egli era nato in Aix a'* 25. *d' Agoſto del* 1660. Deinde, poſt varia ejus Opuſcula enumerata, ita concludit: *Finalmente non men degna di ricordanza, e di lode ſi è la Biblioteque Janſeniſte* &c. *cioè Biblioteca Janſeniſtica, o ſia Catalogo de' principali Libri Janſeniſti, ovvero ſoſpetti di Janſeniſmo, che ſono comparſi dacchè nacque queſta Ereſia, con un Catalogo degl' Autori Quietiſti. 1722. in 12. ſenza nome di Autore, e di luogo. Il Libro però è ſenza fallo del P. Decolonia, il quale più volte l' ha accreſciuto, e riprodotto in Lione, inſieme con la Biblioteca Anti-Janſeniſtica, tenendo nondimeno ſempre ſoppreſſo il nome dell' inſigne Autore.* Anne ſatis non habuit ad celebris Authoris ſui famam, quam is ſibi in literaria Republica pepererat, conſervandam, tot ejus Orationes, Præfationes, Tragædias, de Taurobolico Monumento Diſſertationem, de Chriſtiana Religione Libellum, Lugdunenſis Civitatis cùm Antiquitates, tum literariam Hiſtoriam, Rhetoricas Inſtitutiones, omnium pene ſtudioſorum

Adoleſcentum manibus attritas, aliaſque, ſi quæ extant, ejuſdem Opellas, ſive latino, ſive gallico ſermone conſcriptas, quas ille proprio præfixo nomine ediderat, recenſere? Quid opus fuit & Janſenianam Bibliothecam ejus nomini aſſerere, quod, niſi is uſque latere ſecumque conſepeliri voluiſſet, haud paſſus eſſet, iterata toties ejus Operis Editione, occultare? At benevolus Collector multum inde ad ejus laudum, gloriæque cumulum acceſſurum fuiſſe putavit. Neque ego quidem hujus laudi, gloriæque inviderem, ſi titulo digna ſuo, hoc eſt, damnatæ Doctrinæ Libros, ac Janſeniana fæce imbutos illa tantummodo contineret. Sed cùm alios præterea videam probatæ Fidei Scriptorum Libros, quos nefas eſt cum iis commiſceri, per ſummum dedecus in unum collectos; quibus laudibus eam Bibliothecam, ſive Catalogum, dignam eſſe judicabo? Præpoſtera nimiùm laudatio eſt, ex qua non ullus ei, quem laudes, honos, decus, aut commendatio, ſed dedecus, probrum, atque ignominia conſequantur. Hunc ego certè laudatorem habere nollem; nec ſe ei illi multùm, opinor, ea ratione deberet, ſi adhuc in vivis ageret, inſignis ille Decolonia, dum ſe tam male laudatum a Veneto Foliorum Collectore animadverteret: quin eum certò certiùs exiſtimo, ut famæ ſuæ meliùs conſuleret, publico Scripto Collectoris hujus inconſiderantiam emendaturum eſſe; quo ſeſe Bibliothecæ Authorem manifeſtè negaret. Sed & miror vehementer, neminem adhuc repertum eſſe, qui hoc idem præſtiterit, ut honorem tanti Scriptoris in tuto poneret, quod Illemet certiſſimè præſtitiſſet, ſi præpoſterum hocce præconium, antequam e vivis migraret, ſibi tributum, typiſque vulgatum aliquando noviſſet. Quapropter admonitum vellem hujuſmodi Collectorem, ut deinceps accuratiori criterio in exſcribendis Foliis uti velit, ſi fortè hoc ab iis, quorum ſtudio tenetur, illi permiſſum fiet; eaque duntaxat, quæ verâ ſunt digna laude, eliminatis Partium affectibus, commendet unicè; quæ verò talia non ſunt, vel recenſere penitus Opera abſtineat, vel recenſere ſi velit, a laudibus omnino temperet. Ita enim nedum honori, ſed & commodo ſuo, vel illorum, quibus eo in munere inſervit, magis utique, decentiùſque proſpiciet. Sed ad alia ſuperiora jam redeo.

Ne doctiſſimis æquè, ac elegantiſſimis iſtis Magiſtri Serrii Prælectionibus, quas diu Literati plurimi exoptaverant, careres, tuiſque commodis, quantùm vires meæ ſufficerent, humaniſſime Lector, inſervirem, ingentes quoſque labores [qui quanti fuerint, mihi ipſe ſolus ſum teſtis] libentiſſimè ſuſcepi: id ego unum a Te viciſſim efflagito; ut operam, ſtudiumque noſtrum gratum, & acceptum pro tua benignitate habere velis; eis verò bono, æquoque animo fruaris. Id enim ſi conſequi poſſim, ſanè labo-

labores omnes maximo compenſatos eſſe fructu exiſtimabo. Interea verò enixè commendo tibi, iterumque commendo, ut poſthumos hoſce clariſſimi Theologi fœtus attento animo perlegas, non ut improbes [ſi quæ fortè palato tuo minùs ſapiant] ſed ut approbes quæcumque ab æquis rerum Æſtimatoribus [quæ plurima certè ſunt] approbanda repereris. Non te commoveat ſtilus quandoque acer: hic etenim, crede mihi, Naturæ Hominis potius, quàm noxiæ Arti tribuendus eſt: vel ſi Arti tribuere malis, hoc cogita, ſeriòque conſidera; Eum, ut recitaret, iſta ſcripſiſſe; non ut vulgaret. Nonnunquam porro ea interdum Audientes oblectant, quæ fortè Legentibus minùs arrident. Cæterùm minora hæc ſunt, ut, ſi cum reliquis comparentur [quæ & multa, & optima eſſe, inficiari prudens nemo poterit] conturbare animum valeant. Tu verò macte animis eſto, poſthume magni Parentis Fili: i lætus in turbam, publicamque lucem ne reformides. De Genere tuo ſciſcitanti Serrianæ te Sobolis germen eſſe, cæteris haud fortè ignobilius, liberè dicito. Si quos tamen Ariſtarchos offenderis [quos plurimos futuros eſſe ne dubites] enixè eos roga, quin & vehementer obſecra, ut antequam invidioſo, & liberis Viris minùs utique digno, calamum & linguam Officio admoveant, tot ipſi pari doctrina & eruditione refertos edere Libros nitantur, quot Serrius vulgavit: tum verò in Illum quantùmlibet ſtilum acuant, probra quæque jaciant, cenſoriam virgam exerceant, notas affingant, calumnias inurant: cuncta patienter excipiemus, omnia æquo pacatoque animo ſuſtinebimus, veniamque dabimus ultro. At, ſi ſe impares tanto labori ſubeundo ingenuè fateantur, a tam improbo æquè ac periculoſo conſilio protinus abſcedant; venerando Nomini parcant; ac in mortuum ſævire ulteriùs ne pergant.

INDICULUS

Scriptorum, & Editionum, quorum Teſtimonia in hoc primo Volumine proferuntur.

CUM ob varias, quæ hac noſtra ætate circumferuntur, Operum Editiones, Patrum præſertim, celebriorumque Scriptorum, contingat ſæpenumero, nedum Librorum, Sermonum, Epiſtolarum, Quæſtionumque ordinem inverſum, verùm etiam ipſamet Sententiarum verba quandoque immutata, nonnunquam etiam Titulos, Capita, Numeroſque variatos obſervari; unde ſive in Locorum adnotationibus, ſive in Teſtimoniorum prolatione in recens impreſſis Libris peccatum eſſe non ſemel ab iis putatur, quibus aliæ fortè Editiones occurrunt; idcirco, ut hacce cenſura præſens Opus eximeremus, placuit hic exhibere Authorum Editiones, quibus in adnotandis, promendiſque Sententiis uſi fuimus. Quæ itaque ad præſens Volumen attinent, hìc ſubjicimus, idem pari diligentia impoſterum præſtituri, ſi qui alii in reliquis Voluminibus laudandi Scriptores occurrerint. Utinam omnes poſthac Librorum Editores Exemplum imitari non pigeat.

Abbas Uſpergenſis, vide Conradus		
Abulenſis, vide Toſtatus		
Ado Viennenſis Chronicon	*Pariſiis*	1561
B. Albertus Magnus	*Lugduni*	1651
Albitius Card. — de Inconſtantia Fidei	*Amſtelodami*	1683
Alcimus Avitus in Biblioth. mag. Vet. PP.		
Alexander Alenſis	*Venetiis*	1575
Alphonſus Salmeronius	*Coloniæ*	1612
S. Ambroſius	*Pariſiis*	1686
Ambroſius Catharinus — Opuſcula	*Lugduni*	1542
Annonius Monachus de Geſt. Franc.	*Pariſiis*	1514
S. Anſelmus Cantuarienſis	*Pariſiis*	1544
Antoninus Moraynes — vide in Indiculo Vol. II		
Ariaga	*Lugduni*	1669
Ariſtoteles	*Lugduni*	1549
Arnobius — in Biblioth. vet. PP.		
S. Athanaſius	*Coloniæ*	1686
Athenagoras — in Biblioth. vet. PP.		
S. Auguſtinus	*Pariſiis*	1689
Baronius — Annales	*Venetiis*	1705
S. Baſilius Magnus	*Pariſiis*	1518
Ven. Beda	*Coloniæ*	1688
Bellarminus vide Robertus		
S. Bernardus	*Venetiis*	1726
Berno Augienſis — in Biblioth. vet. PP.		
Beſſarion — in Concilio Florentino, vide Concilia		
Beyerlink — Theatrum Vit. Hum.	*Venetiis*	1707
Bibliotheca Magna veterum Patrum [niſi aliter notetur]	*Coloniæ*	1618
Boetius	*Amſtelodami*	1668
S. Bonaventura	*Lugduni*	1668

Cano

Cano, *vide Melchior*		
Caſſiodorus	*Venetiis*	1729
Catharinus, *vide Ambroſius*		
Cæleſtinus Sfrondatus — Nodus Prædeſtinationis	*Romæ*	1696
S. *Chryſoſtomus*, *vide Joannes*		
Cicero	*Lugduni*	1585
Clemens Alexandrinus	*Pariſiis*	1590
Concilia apud Labbæum, *vide Labbæus*		
Concilium Tridentinum	*Romæ*	1732
Conradus Ab. Uſpergenſis — Chronicon	*Baſileæ*	1569
Cornelius, *vide Janſenius*.		
S. *Cyprianus*	*Venetiis*	1728
S. *Cyrillus Alexandrinus*	*Coloniæ*	1546
S. *Cyrillus Hieroſolymitanus — in Biblioth. vet. PP.*		
S. *Dionyſius Areopagita — in Biblioth. vet. PP.*		
Dionyſius Halicarnaſſæus	*Lipſiæ*	1691
S. *Epiphanius*	*Pariſiis*	1564
Euſebius Cæſarienſis	*Coloniæ*	1688
Euſebius Pamphilius [niſi aliter notetur]	*Baſileæ*	1523
Flavius, *vide Joſephus*		
Flavius Vopiſcus — in Aureliano — inter Script. Hiſt. Auguſt.	*Francofurti*	1638
S. *Fulgentius Ruſpenſis*	*Lugduni*	1622
Galenus	*Venetiis*	1625
Gelaſius Rom. Pont. 1 — *in Biblioth. vet. PP.*, & *apud Labbæum*		
Gennadius Maſſilienſis. — de Eccleſiaſt. Dogm. — in App. Tom. 8. *Oper. S. Auguſt.*		
Graveſonius	*Venetiis*	1727
S. *Gregorius Magnus*	*Pariſiis*	1705
S. *Gregorius Nazianzenus*	*Coloniæ*	1690
S. *Gregorius Nyſſenus*	*Baſileæ*	1571
S. *Gregorius Taumaturgus — apud Nyſſenum*		
S. *Hieronymus*	*Pariſiis*	1693
S. *Hilarius*	*Pariſiis*	1693
Honoratus Tournely	*Venetiis*	1731
Hugo Etherianus — in Biblioth. vet. PP.		
Janſenius Cornelius Yprenſis Epiſcopus	*Lovanii*	1611
S. *Ignatius martyr — in Biblioth. vet. PP.*		
S. *Joannes Damaſcenus*	*Pariſiis*	1712
Joannes Diaconus — inter Opera S. Gregorii Magni.		
Joſephus Flavius	*Aureliæ Allobrogum*	1611
S. *Irenæus Martyr*	*Venetiis*	1734
S. *Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus*	*Pariſiis*	1580
S. *Iſidorus Peluſiota — in Biblioth. vet. PP.*		
S. *Juſtinus martyr — ex Typographeio Hieronymi Commelini*		1593
Labbæus Concilia	*Venetiis*	1728
Lactantius Firmianus	*apud Vindelinum*	1472
Leonardus Leſſius — Opuſcula	*Antverpiæ*	1626
Livius Titus	*Patavii*	1707

Ludo-

Ludovicus de Comitibus — vide in Indiculo Vol. II		
Ludovicus Molina	*Venetiis*	1602
Macrobius — vide in Indiculo Vol. II		
Magiſter Sententiarum, vide Petrus Lombardus		
Marius Mercator — apud Natal. Alexand. Tom. 3. pag. 589.		
Marius Victor — in Biblioth. vet. PP.		
Martinus Roa — Lo ſtato dell' Anime del Purgatorio	*Roma*	1635
Melchior Canus	*Patavii*	1714
S. Methodius — apud S. Epiphanium		
Molina, vide Ludovicus		
Moraynes, vide Antoninus		
Natalis Alexander — Hiſt. Eccleſ.	*Pariſiis*	1699
Nazianzenus, vide Gregorius.		
Nemeſius — in Biblioth. vet. PP.		
Nyſſenus, vide Gregorius.		
Nicephorus — apud Natal. Alexand. Tom. 3. pag. 55.		
Optatus Milevitanus — in Biblioth. vet. PP.		
Origenes	*apud Juntas*	1536
Ovidius	*Patavii*	1712
Petavius	*Venetiis*	1721
Petrus Lombardus	*Roma*	1570
Photius — vide in Indiculo Vol. II		
Philoſophus, vide Ariſtoteles.		
Philo Judæus	*Coloniæ Allobrog.*	1613
Plinius ſecundus Hiſtoricus	*Venetiis*	1571
Plinius Cæcilius ſecundus alter	*Lugduni*	1693
S. Proſper — in Biblioth. vet. PP. & inter Oper. D. Aug. in App. Tom. 10.		
S. Prudentius Tricaſſinus Epiſc. — in Biblioth. max. vet. PP.	*Lugduni*	1677
Rabbi Moyſes — vide in Indiculo Vol. II		
Regino monachus Prumienſis — Annales	*Bononiæ*	1521
Rituale Romanum	*Venetiis*	1686
Roa, vide Martinus		
Robertus Bellarminus — Controv.	*Venetiis*	1721
Rupertus Abbas	*Coloniæ*	1577
Salmeronius, vide Alphonſus		
Sfrondatus, vide Cœleſtinus		
Sigebertus Glembacenſis — Cronographia in corp. Oper. illuſtr. vet. Scriptorum	*Francofurti*	1613
Solinus — vide in Indiculo Vol. II.		
Suarez, ſeu Suareſius	*Lugduni*	1617
Svetonius	*Baſileæ*	1542
Tacitus — apud Natal. Alexand. Tom. 3. pag. 61.		
Tertullianus	*Venetiis*	1701
Taumaturgus, vide Gregorius		
Theatrum vitæ Humanæ, vide Beyerlink		

Digitized by Google

Theodoretus	*Coloniæ*	1567
Theophylactus — in Biblioth. vet. PP.		
S. Thomas Aquinas	*Romæ*	1570
Toſtatus	*Venetiis*	1596
Tournely, vide Honoratus.		
Varro — apud Lactantium.		
Vaſquez, ſeu Vaſqueſius	*Lugduni*	1631
Virgilius Maro	*Venetiis*	1537

NOTA

Ad paginam 104. *lin.* 16. *error irrepſit : non enim ſub Pontificatu Clementis VIII. ſed Pauli V. damnatæ fuerunt binæ illæ Raymundi Lulli Propoſitiones ; ut refert Cardinalis Albizius in ibidem laudato Opere pag.* 523 : *qui error loco ſuo emendari non potuit, quòd Libro illo tunc carebamus.*

PE-

Digitized by Google

PETRUS GRIMANI
DEI GRATIA
DUX VENETIARUM &c.

U*Niverſis, & ſingulis notum facimus, hodie in Conſilio Noſtro Rogatorum captam fuiſſe partem tenoris infraſcripti; videlicet*: Sopra l'iſtanze, che ci furono fatte da *Tommaſo Bettinelli Librajo, e Stampatore di queſta Città*, ſiamo diſceſi a permettergli la Stampa nello Stato Noſtro del Libro Intitolato: *Prælectiones Theologicæ, Dogmaticæ, Polemicæ, Scholaſticæ, habitæ in celeberrima Patavina Academia a Patre Magiſtro Jacobo Hyacintho Serry, in unum collectæ a D. Camillo Manetti Utinenſi I. V. D., cui accedunt ejuſdem Authoris Opuſcula varia aliàs edita, ſed perquàm rara*; ed a concedere a lui ſolo, o a chi avrà cauſa da lui, ad eſcluſione d'ogn'altro, il Privilegio per anni otto, da intenderſi principiati dal giorno della preſente, della Stampa, e vendita di un tal Libro, tanto in queſta Città, quanto in qualunque altro luogo dello Stato Noſtro, a condizione, che ſia impreſſo in buona carta', e perfetti caratteri, bel margine, e diligenti correzioni, da eſſer prodotti nel Magiſtrato de' Riſſormatori dello Studio di Padova in riſcontro li primi, ſuſſeguenti, ed ultimi Fogli, e che ſiano preſentate nelle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova le ſolite copie. Reſta perciò a' Stampatori tutti, e Librari, ed a qualſiſia altra Perſona, così di queſta Città, come di qualunque altra Città del Dominio Noſtro, che cauſa, o facoltà non aveſſe da eſſo *Tommaſo Bettinelli*, proibito il vendere per detti anni otto lo ſteſſo Libro in poca, o molta quantità, il farne ſeguir le riſtampe in eſtero Stato, anche con l'abuſiva Edizione di Venezia, e introdurlo nello Stato, ſotto pena della perdita degl'Eſemplari, e di Ducati cinquecento da eſſere applicati un terzo all'Accuſatore, un'altro terzo al Magiſtra-

giſtra-

giſtrato, o Reggimento, che faceſſe l'eſecuzione, ed il rimanente al Privilegiato. Sotto le medeſime pene ſia pure vietato ad ogn'uno per gl'eſpreſſi anni otto di contraffare il Libro ſudetto in qualſivoglia ſua parte, ſotto preteſto di reſtrizione, correzione, aggiunta, o mutazione di Titolo: Perilchè commettiamo, tanto al Deputatoalla Eſtrazione de' Libri dalla Dogana di non licenziare dalla medeſima, ò da altro luogo, ov'eſiſteſſero, quelli, che non foſſero corriſpondenti agl'eſibiti nelle pubbliche Librarie; quanto al Segretario, di non rilaſciare Mandato; dovendo intenderſi tutti perduti, e confiſcati, ed incorſo il Traſgreſſore nelle pene come ſopra. A chiara intelligenza d'ogn'uno vogliamo inoltre, che nel principio, o nel fine del Libro predetto ſia in aggiunta delle ſolite Licenze regiſtrata la preſente, come ſtà e, giace. *Quare Auctoritate hujus Conſilii mandamus omnibus, ut ita exequi debeant.*

Datæ in Noſtro Ducali Palatio die XXX. Auguſti Indictione V. MDCCXLII.

1742. 6. Settembre.

Gl'Illuſtriſſimi, ed Eccellentiſſimi Signori Riſformatori dello Studio di Padova hanno al ſopradetto *Tommaſo Bettinelli Librajo, e Stampatore di Venezia*, conceſſo il riferito Privilegio.

(*Alviſe Mocenigo Secondo Riſ.*

(

(*Daniel Bragadin Kav. Proc. Riſ.*

Agoſtino Bianchi Segretario.

NOI

N. 238.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova

AVendo veduto, per la Fede di Reviſione ed Approvazione del P. *Fra Paolo Tommaſo Manuelli Inquiſitore di Venezia*, nel Libro Intitolato: *Prælectiones Theologicæ Dogmaticæ Polemicæ Scholaſticæ habitæ in celeberrima Patavina Academia a P. M. F. Jacobo Hyacintho Serry Ord. Præd. Doctore Sorbonico, ac primario ibidem Sacræ Theologiæ Profeſſore* &c. non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Tommaſo Bettinelli Stampatore di Venezia*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 6. Giugno 1742.

(

(*Zuanne Querini Kav. Rif.*

(*Daniel Bragadin Kav. Proc. Rif.*

Regiſtrato in Libro a carte 38.

Agoſtino Bianchi Segretario.

ELEN.

Digitized by Google

E L E N C H U S

TRACTATUUM DISPUTATIONUM, ET PRÆLECTIONUM

unà cum ſuis Argumentis,

Quæ in hoc primo Volumine exhibentur.

TRACTACTUS PRIMUS
DE TRINITATE

PRÆLUDIUM.

Ex D. Auguſtini Monito tria Viro Theologo in Trinitatis Myſterii indagatione conſideranda proponuntur, atque explicantur.

DISPUTATIO PRIMA

Adverſus Hæreticos, & Schiſmaticos.

PRÆLECTIO PRIMA.

Veteris Teſtamenti Authoritate Trinitas Perſonarum in Deo adverſus Judæos, Sabellianos, alioſque Hæreticos demonſtratur.

II.

Sabellianorum, & Socinianorum in Trinitatem impietas novi Teſtamenti Authoritate profligatur.

III.

Sabellianorum Momenta adverſus Divinarum Perſonarum Trinitatem refelluntur.

IV.

Reliqua recentium Sabellianorum, ſeu Socinianorum Sophiſmata exſufflantur.

V.

Dei Filii cum æterno Patre Conſubſtantialitas adverſus Arianos aſſeritur, propugnatur.

VI.

Chriſti æterni Patris Filii Divinitas ipſorum etiam Gentilium, & Judæorum Chriſtiani Nominis Hoſtium Teſtimonio comprobatur.

VII.

Flavii Joſephi de Chriſto nobile Teſtimonium vindicatur.

VIII.

Filii Divinitas probatur Authoritate Patrum Concilio Nicæno ſuperiorum.

IX.

Spiritus Sancti Divinitas contra Eunomianos, & Macedonianos Hæreticos demonſtratur.

X.

Macedonianorum Momenta contra Spiritus Sancti Divinitatem refelluntur.

XI.

Initia, & progreſſus Erroris Græcorum circa Proceſſionem Spiritus Sancti exponuntur.

XII.

Defenditur Proceſſio Spiritus Sancti a Filio ex Scripturis, & utriuſque Eccleſiæ (Græcæ atque Latinæ) Definitionibus.

XIII.

Proceſſio Spiritus Sancti a Filio Patrum, ac præſertim Græcorum, Authoritate demonſtratur.

XIV.

Græcorum Argumenta adverſus Spiritus Sancti a Filio Proceſſionem refelluntur.

XV.

Reliquæ Græcorum Objectiones ad trutinam revocantur, ac diſſipantur.

DIS.

DISPUTATIO ALTERA

Adverſus Raymundum Lullum, alioſque Theologos.

PRÆLECTIO PRIMA.

TRinitatis Myſterium nulla poſſe naturali ratione demonſtrari; hocque ipſa naturali ratione quàm luculenter evinci, propugnatur.

II.

De Divinis Proceſſionibus veterum, recentiorumque Theologorum Placita referuntur.

III.

Per quam cognitionem generetur Divinum Verbum, explicatur.

IV.

Agitur de Proceſſione Spiritus Sancti.

V.

Relationes Divinas ex proprio conceptu perfectionem dicere, demonſtratur.

TRA-

TRACTATUS SECUNDUS
DE MUNDI OPIFICIO, PRIMIS PARENTIBUS, ET PARADISO TERRESTRI.
DISPUTATIO UNICA
PRÆLECTIO PRIMA PRÆLUDIALIS.

IN Divinorum Naturæ Operum indagatione tria Viro Theologo Principii loco ponenda eſſe, ſtatuitur: Primò; eorumdem notitiam ex Sacris Literis non eſſe curioſiùs petendam, ſed ea potius naturali ratione inveſtiganda: Secundò; quæ naturali ratione probantur, ſi quo fortè modo ſacris Literis repugnare videantur, cum Divina Revelatione fore concilianda: Tertiò; ſi nullo pacto conciliatio fieri poſſit, naturalem rationem, quæ Sacris Literis adverſatur, tanquam fallacem abjiciendam, & Divinæ Revelationi penitus inhærendum.

II.

Mundum fuiſſe a Deo conditum, non per dierum naturalium intervalla, ſed brevi temporis tractu, ac pene momento, cum D. Auguſtino aſſeritur, propugnatur.

III.

Objectiones contra præcedentem Aſſertionem diluuntur.

IV.

Non Verno, ſed Autumnali tempore conditum fuiſſe Mundum, evincitur.

V.

Præadamitarum Erroris Origo, Syſtema, & Fundamenta referuntur.

VI.

Catholica Veritas contra Præadamitarum Errorem ſtatuitur, vindicatur.

VII.

Præadamitici Syſtematis Momenta refelluntur.

VIII.

VIII.

Agitur de Hevæ formatione, & literalis de ea Scripturæ Senſus propugnatur.

IX.

Moyſis Narrationem de Primorum Parentum tentatione, non figuratè, ſed juxta literæ ſenſum intelligendam eſſe, defenditur.

X.

Paradiſum Terreſtrem corporeum fuiſſe, ſenſibilem, & aſpectabilem locum, in peculiari ac determinata Terræ, quam incolimus, parte ſitum; non verò tertium Cœlum, vel in toto, qua late patet, Terrarum Orbe extenſum, propugnatur.

XI.

Incertum omnino eſſe, an Paradiſus Terreſtris etiamnum extet, definitur.

XII.

De bina Paradiſi Terreſtris Arbore (Scientiæ & Vitæ) diſſeritur.

XIII.

Num Solis Terræ Fructibus, an etiam Carnibus, Piſcibuſve ante univerſale Diluvium Homines veſcerentur, non ita de facili definiri poſſe affirmatur: poſteriori tamen Opinioni probabilitas major adſcribitur.

Digitized by Google

TRACTATUS TERTIUS
DE VARIIS HUMANÆ NATURÆ STATIBUS

PRÆLUDIUM.

Varii Humanæ Naturæ Status explicantur.

DISPUTATIO PRIMA
DE NATURA PURA

PRÆLECTIO PRIMA.

Gratiam ſanctificantem, cum qua creatus eſt primus Homo, ita Humanæ Naturæ fuiſſe indebitam, ut ſine illa condi omnino potuiſſet, nedum ſpectato Dei ſupremo Dominio, ſed ne læſa quidem ſuavi ejus Providentia, propugnatur.

II.

Baji, & Janſenii Momenta adverſus præcedentem Aſſertionem refelluntur.

III.

Immunitatem a morte, cæteriſque Naturæ incommodis non adeo fuiſſe debitam Hominis conditioni, ut abſque illa Hominem Deus condere nequiviſſet, adverſus Janſenium, & Bajum propugnatur.

IV.

In Statu Naturæ puræ, ſi in eo Hominem condere Deo placuiſſet, nullam fuiſſe Concupiſcentiam Rationi perduellem ſtatuitur.

V.

Objectiones contra præcedentem Aſſertionem diluuntur.

DIS-

DISPUTATIO SECUNDA
DE NATURA INNOCENTE, SEU DE ORIGINALI JUSTITIA

PRÆLECTIO PRIMA.

Primum Hominem in Gratia Sanctificante fuiſſe conditum; nec tamen hoc Fidei Dogma eſſe, propugnatur.

II.

Divinæ Gratiæ per ſe & ab intrinſeco efficacis neceſſitas in Statu Innocentiæ ad perſeverandum in accepta Juſtitia, ſecundùm D. Auguſtini Principia demonſtratur.

III.

Gratiæ efficacis in Statu Innocentiæ neceſſitas luculentiùs evincitur.

IV.

Efficacis Gratiæ neceſſitas in Statu Innocentiæ Rationibus Theologicis comprobatur.

V.

Janſenii Momentum adverſus Gratiæ per ſe & ab intrinſeco efficacis neceſſitatem in Statu Innocentiæ ex Auguſtino deſumptum pro virili proponitur, ſolutione in ſubſequentem Prælectionem remiſſa.

VI.

Satis fit Argumento Janſenii ſuperiùs expoſito contra efficacis Gratiæ neceſſitatem in Statu Innocentiæ.

DIS-

DISPUTATIO TERTIA
DE NATURA LAPSA, SEU DE PECCATO ORIGINALI

PRÆLECTIO PRIMA.

Peccati Originalis Dogma ex veteri, & novo Teſtamento comprobatur.

II.

Peccati Originale Fides Patrum veterum Traditione, aliiſque rationum Momentis evincitur.

III.

Pelagianorum, atque Socinianorum Momenta ex Scriptura & Ratione petita contra præcedentem Aſſertionem refutantur.

IV.

Pelagianorum & Socinianorum Momenta adverſus Catholicum Originalis peccati Dogma ex veterum Patrum Auguſtino ſuperiorum Authoritate petita diluuntur.

V.

Parvulos cum Originali peccato morte ſublatos Animi pœnas perſentire, interno videlicet dolore, ingentique triſtitia ob amiſſam Beatitudinem affici, propugnatur.

VI.

D. Auguſtini Sententia de ſenſibilibus Infantium abſque Baptiſmate decedentium pœnis a Cenſuris, atque Calumniis vindicatur.

VII.

Alia D. Auguſtini Momenta de ſenſibilibus Infantium pœnis expenduntur, & adverſus malignos Obtrectatores vindicantur.

VIII.

D. Auguſtini Sententia de pœna Senſus Pueris ſine Baptiſmo decedentibus infligenda cæterorum Patrum Authoritate confirmatur.

IX.

Sententia de ſenſibili pœna Infantibus non baptizatis infligenda rationibus Theologicis roboratur.

X.

X.

Satis fit Adverſariorum Momentis ex Authoritate petitis adverſus poſitam, ac propugnatam de ſenſibilibus Infantium pœnis D. Auguſtini, aliorumque Patrum Sententiam.

XI.

Adverſariorum Momenta in Cauſſa Infantium ex Ratione deſumta expenduntur, ac refutantur.

XII.

Impugnatur Beatitudo illa naturalis, quam Parvulis ſacro Baptiſmate non-ablutis poſt diem Judicii Theologi quidam tam imprudenter, quàm liberaliter adpromittunt.

XIII.

Objecta Catharini, & Sfrondrati adverſus præcedentem Aſſertionem confutantur.

XIV.

Naturam Humanam Protoparentis culpa nedum gratuitis Innocentiæ Donis fuiſſe ſpoliatam; verùm etiam in naturalibus Dotibus ita vulneratam ac læſam; ut vires poſtmodum longè debiliores ad bonum peragendum habuerit, quàm prius in feliciſſimo illo Statu poſſidebat, Summorum Pontificum, & Conciliorum Definitionibus demonſtratur.

XV.

SS. Auguſtini & Thomæ Sententia de vulnere per peccatum Originale Humanæ Naturæ inflicto expenditur, declaratur.

XVI.

Satis fit Objectionibus contra læſionem naturalium Donorum a peccato Originali Humanæ Naturæ illatam.

DIS-

Digitized by Google

DISPUTATIO QUARTA
DE NATURA REPARATA

Adverſus Cornelium Janſenium Yprenſem Epiſcopum.

PRÆLECTIO PRIMA.

Janſenianæ Hiſtoriæ primùm Synopſis exhibetur : tum Hæreticos minimè dicendos eſſe propugnatur, qui damnatam Janſenii Doctrinam catholicè ejurantes, hæreticum tamen ſenſum in quinque proſcriptis Propoſitionibus Janſenium minimè adoptaſſe contendunt : qui tamen temeritatis, ac pertinaciæ crimine non abſolvuntur.

II.

Propoſitionem primam ex quinque damnatis Janſenium in hæretico ſenſu verè propugnaſſe, defenditur.

III.

Primam ex quinque proſcriptis Janſenii Propoſitionibus nedum a Sacris Conciliis in anteceſſum anathemate fuiſſe confixam ; verùm etiam a D. Auguſtino, cujus ille ſe diſcipulum profitebatur, reprobatam, ac data opera confutatam, demonſtratur.

IV.

Secundam Janſenii Propoſitionem in ſenſu hæretico fuiſſe ab eo traditam, & a SANCTA SEDE meritò condemnatam, aſſeritur, propugnatur.

V.

Tertiam Propoſitionem in ſenſu damnato verè Janſenium uſurpaſſe ; eamque rite & juſtè fuiſſe ut hæreticam a SANCTA SEDE proſcriptam, evincitur.

VI.

Quartam Janſenii Propoſitionem & in Facto, & in Jure Pontificia Cenſura fuiſſe rite & juſtè confixam aſſeritur primò : tum ſubinde eorum Error detegitur, ac impugnatur, qui ex hujuſce Propoſitionis Proſcriptione præſidium aliquod, ad tuendam Molinianam Doctrinam validiſſimo Thomiſtarum ariete pulſatam, eruere ſibi putant.

VII.

VII.

Superius de quarta Janſenii proſcripta Propoſitione Argumentum continuatur : atque in quo ſitus fuerit Maſſilienſium Error, uti & in qua Propoſitionis parte Janſenius hæreticè ſenſerit, declaratur.

VIII.

Quintam Janſenii Propoſitionem ab APOSTOLICA SEDE proſcriptam verè Janſenium in hæretico ſenſu propugnaſſe, demonſtratur.

IX.

Quintæ proſcriptæ Janſenianæ Propoſitionis occaſione de Divina ſalvandorum Hominum Voluntate diſſeritur : Auguſtinus a Molinianorum Calumnia vindicatur : Janſenii hallucinatio detegitur : generaliſque illa Salutis Omnium Voluntas in Auguſtiniano, & Thomiſtico ſenſu, eliminatis Molinæ, ejuſque Aſſeclarum interpretamentis, Catholicè aſſeritur, propugnatur.

X.

Adverſus quintam Janſenii Propoſitionem, Chriſtum Dominum non pro ſolis Prædeſtinatis, ſed pro omnibus omnino Hominibus mortem oppetiiſſe, multoſque ex iis perire, pro quibus Sanguinem ipſe fudit, Sacrarum Scripturarum, Conciliorum, & ipſiuſmet Auguſtini, quo Duce adeo fidit Janſenius, Authoritate, nec non rationibus Theologicis luculenter oſtenditur.

XI.

Janſenii Momenta, quibus quintam damnatam Propoſitionem ſuam tueri nititur, ad examen vocantur, ac refelluntur : tum quid de Janſenii Perſona ſentiendum ſit, declaratur.

TY-

T Y P O R U M

Pag.	lin.	*Errata* *ita*	*emendanda*
13	19	iſtud	iſtum
25	22	Jeſus Chriſti	Jeſu Chriſti
	23	Jeſus Chriſti	Jeſu Chriſti
32	42	meliore	meliores
33	31	comprobetur	comprobentur
35	23	nullum	ullum
38	35	Erythræas	Erythras
39	11	Valeriani	Aureliani
	12	in Valeriano	in Aureliano
41	42	in incerto	in incœpto
	43	Authorem	Authores
43	12	multa	multa miranda
44	25	Cavachillus	Tanaquillus
46	12	Jeſum eſſe	Jeſum non eſſe
72	36	novo	nono
	40	novi	noni
162	13	arbitratus eſſe	arbitratus eſt
184	40	apponit	opponit
190	1	Alcanii	Aſcanii
	9	quo	qui
124	7	Divinarum	Divinorum
200	21	præſtabimur	præſtabimus
201	40	Epiſt. 6r.	Epiſt. 61. Vet. Edit., nunc 38
219	6	illi	illis
258	25	iradice	radice
270	8	nihili	nihil
280	36	poſſe	potuiſſe
284	15	ſubruunt?	ſubruunt.
286	35	accedat	audeat
324	11	pœna	pœnam
333	40	Doni	Boni
350	13	Deum	Deus
357	28	Spiritus	Spiritu
358	34	gravis	granis
366	25	Nunc	Hunc
385	36	expiſcarunt?	expiſcati ſunt?
407	21	de	Dei
448	28	primæve	primævæ
456	17	exiſtente	excitante
472	31	Concilii	Conſilii

D E

Digitized by Google



DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO

PRÆLUDIUM.

Ex D. Auguſtini Monito tria Viro Theologo in Trinitatis Myſterii indagatione conſideranda proponuntur, atque explicantur.

EST illa D. Auguſtini, quæ me de Trinitate ad primum Sententiarum Librum dicere inſtituentem plurimùm movet, digniſſima Vox: *Nec periculoſius* [quàm in Trinitate] *erratur alicubi, nec laborioſius aliquid quæritur, nec fructuoſius aliquid invenitur; Lib.* 1. *de Trinit. cap.* 3.

Et ſanè patens errandi periculum plus ſatis oſtendit Errantium numerus. Nullum enim Chriſtianæ Religionis Myſterium eſt, in quo Plures inveniuntur erraſſe. Imò, ſi rectè calculum pono, totis quatuor prioribus Chriſtiani nominis Sæculis, queis tot

Hæreſibus Eccleſia jactata eſt, Omnes, paucis exceptis, in Trinitate aberrarunt. Quod quidem quo fato, quave ratione contigerit, diligentiùs inveſtiganti id demum venit in mentem, quod non ita inſipienter excogitatum exiſtimabitis: ortum id ſcilicet non modò ex ſacroſancti hujuſce Myſterii altitudine; verùm etiam ex priſtina Fidelium, quibus tunc primùm univerſa coaluit Eccleſia, converſatione, ac Religione. Quum enim Unitate Naturæ, ac Trinitate, ſeu diſtinctione Perſonarum ſtet tota hujuſce Myſterii altitudo; aliunde verò tota ex Judæis, atque Gentilibus ad Fidem ex priſtina Secta recens converſis Eccleſia coaleſceret; factum inde, ut Judæi, uni ac ſolitario colendo Deo jampridem aſſueti, Trinitatem Perſonarum in Deo ægrè admodum ferrent; Gentiles e contrario, Deorum multitudine antea delectati, ſupremi Numinis Unitatem difficillimè paterentur. Quare priſtinis Sectæ ſuæ præjudiciis occupati varias, pro ſuo quique genio, contra Unitatem Naturæ, & Trinitatem Perſonarum Hæreſes procudentes, Judaiſmi, ac Gentilitatis reliquias in Eccleſiam intulerunt. Quocirca a Theodoreto non ſemel obſervatum eſt *Lib.* 1. *Hæret. Fabul.* priorum Sæculorum Hæreticos pene omnes aut priſtina Religione, aut certè proxima Origine Judæos, atque Gentiles exſtitiſſe.

Quærendi labor, ac difficultas nihilo minor eſt in hocce ſacroſancto Myſterio, quàm errandi periculum: ac ſi Democrito ſtatuere libuit, veritatem puteo concludi, ac deliteſcere, unde non ſine ingenti labore deducatur; nulla verbi invidia dixerim ego, quæ nobis in hacce Theologica Tractatione quærenda veritas eſt, hanc non qualicumque, ſed Mulieris Samaritanæ puteo contineri; de quo ſacer Evangelii Textus appoſitè monet *Joan. cap.* 4.: *Neque in quo haurias habes; & puteus altus eſt.* Ecquid enim tam ab humana Ratione, ſenſuque disjunctum, quàm ſine corruptione fœcunditas, ſine diviſione numerus, ſine ſolitudine unitas? Quid tam humanam, ac etiam Angelicam Intelligentiam excedat, quàm Proceſſio æterno quodam fluxu erumpens, & tamen immota; ſemper antiqua, & ſemper nova; perfecta ſemper, & ſemper incipiens? Quid tam mortalibus incomprehenſum, quàm Filius a Patre genitus, & Patri coævus; productus, nec tamen factus; non ex materia, atque ſubjecto, nec tamen ex nihilo; prodiens a principio, manens intra principium? Id ſcilicet eſt, in quod intendens quondam aliàs Ingeniorum Aquila Auguſtinus poſt diuturnam meditationem ſacro quodam horrore correptus, Mentiſque exilitatem tanti Myſterii altitudini prorſus imparem tandem expertus, effuſus in lacrymas exclamavit: *Mira profunditas, Deus meus; mira profunditas! Horror, & tremor eſt intendere in eam; horror honoris, & tremor amoris. Lib.* 12. *Confeſ. cap.* 14.

Verùm in tanto errandi periculo, tantoque quærendi labore addit nobis animos, quod ultimo tandem loco adjicit Auguſtinus inquiens:

quiens: *Nuſpiam, quàm in Trinitatis Myſterio, fructuoſius aliquid invenitur*. Nec immeritò quidem: ut enim per mare naufragiis ac periculis celebre, devectæ merces ſummo præ ceteris pretio æſtimantur; nullaque ſalubrior eſt unda, quàm quæ puteo altè deſoſſo hauritur lento molimine; ita nec menti jucundior, nec utilior Eccleſiæ veritas ulla, quàm quæ in tanta errandi facilitate, in tanta quærendi difficultate a viris Theologis invenitur. Ac ſicuti prudentum æſtimatorum judicio præſtat, vel unam quæ ſupra Naturam eſt, veritatem intelligentia aſſequi, quàm ceteras quaſque Naturæ ambitu comprehenſas; quòd videlicet illæ iſtas plurimùm antecellunt; ita in veritatum ſuperni Ordinis indagatione pluris eſt vel unam de Trinitate, quæ totius ſuperni Ordinis fons & origo eſt, animo comprehendere, quàm ceterarum quarumcumque ſtudio delectari.

Injùrius itaque Viris Theologis fuerim, ſi ſacrum iſtud Opus aggreſſuros hortatore eos egere putarem; & officii ſui mea illos admoneret Oratio. Ipſi ſponte ſua exardeſcunt, meque ipſo tacente, tractandi argumenti dignitas plus ſatis accendit. Suam, ut bene ſpero, attentionem præſens errandi periculum detinebit; diligentiam, quærendi labor & difficultas exacuet; alacritatem reportandus fructus uberrimus excitabit. Quod ſi tria iſta non moveant, nulla publici colloquii adhortatio, nulla Oratoris facundia permovebit.

De Sacroſancto itaque hocce Myſterio cum infenſiſſimis illius hoſtibus pro demandato nobis officio decertabimus primò; quo quidem nedum Eccleſiæ univerſim ſumtæ catholica dogmata adverſus veteres, recentioreſque Hæreticos impiè blaſphemantes propugnabimus; verùm etiam Schiſmaticorum Græcorum de Spiritus S. Proceſſione errores detegemus, calumniaſque eorumdem Eccleſiæ Latinæ inuſtas exſufflabimus: tum catholicorum quorumdam Theologorum circa Trinitatem opinationes refutabimus, reſpuemuſque.

DISPUTATIO PRIMA

Adverſus Hæreticos, & Schiſmaticos.

PRÆLECTIO PRIMA.

Veteris Teſtamenti auctoritate, Trinitas Perſonarum in Deo adverſus Judæos, Sabellianos, alioſque Hæreticos demonſtratur.

Demandatam mihi provinciam obiturus, Trinitatis Fidem in primis vindicandam aggredior; primamque icciro Exercitationem inſtituam contra Judæos & Sabellianos, a quibus Divinarum Perſonarum Trinitas impeti ſolet. Eſt enim illa prudentum Theologorum ſummo conſenſu ſtatuta docendi methodus, ut in omni Theologica Tractatione ea fundamenti loco ponant, quæ de Myſterio quovis credenda atque aſſerenda, Religio monet. Quum enim ex Fidei Capitibus Theologicæ veritates, velut e principiis, enaſcantur; id prius ſtatuendum firmandumque eſt, quod Catholica Fides docet, quàm fluentes inde Concluſiones Theologicæ deriventur.

De hoc itaque Fidei noſtræ Capite omnium maximo difficillimoque, ſermonem mihi nunc habituro id ſtatim occurrit animo, quod aliàs Auguſtinus obſervavit: ita ſcilicet ſupremi Numinis, cujus afflatu Scripturæ Sacræ conditæ ſunt, ſingularem Providentiam hominibus proſpexiſſe, ut Sacroſanctæ Triadis revelationem pro varia conditione temporum Fidelium animis accommodarit. Aliter enim ſub Lege, aliter ſub Gratia Trinitatis Myſterium revelatum eſt: ſubobſcurè primùm, & arcano quodam verborum involucro, ſacrificiorumque velamine; poſtmodum explicatiùs, & eliminatis ambagibus. Sacræ hujus, ac verè Divinæ Œconomiæ rationes ſi quærimus, tres illico ſeſe offerunt; quarum duas ſubminiſtrat Apoſtolus; tertiam Theodoretus: *Lex*, inquit Apoſtolus *ad Galat.* 3. *pædagogus noſter fuit in Chriſto: ut ex fide juſtificemur. At ubi venit fides, jam non ſumus ſub pædagogo*. Pædagogiæ itaque inſtar fuit, Legis veteriſque Teſtamenti revelatio, qua non formati viri, ſed pueri inſtituerentur; quorum icciro tenuitati ſe accommodabat Divini Numinis Providentia: at excuſſo tandem ſub Gratia pædagogiæ tyrocinio, quæ

prius

prius guttatim ſtillabatùr infirmis animis, ſuperna Veritas fluminis inſtar cumulatè diffuſa eſt.

Accedit & illud *ad Hebræos cap.* 1. *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula.* Dignum itaque videbatur, ut alia Prophetarum eſſet, alia Chriſti de Trinitate revelatio: alia ſervorum, alia Filii. Illi ſub figuris quibus degebant, & involucris myſteria credebant potius, quàm aperirent. Iſte hac ipſa, in qua genitus eſt, luce myſteria reſeravit. Illi ut prudentes Œconomi ſacrum theſaurum parce diſpenſabant; iſte profudit, ut hæres a Patre datus. Illi ut internuncii arcana velut inſuſurrarunt; iſte libera & alta voce propalavit, utpote Patris Verbum in ipſo ſacrorum Arcanorum ſinu recumbens. Unde & ejus illa vox fuit: *Venit hora, quum non jam in proverbiis loquar vobis, ſed palam de Patre annunciabo vobis.* Joann. 16.

Tertiam hujus diſcriminis rationem addit obſervatione digniſſimam Theodoretus *lib.* 2. *de Græcarum affectionum curatione*, cur parciùs, & ſubobſcuriùs Hebræis olim SS. Trinitatis revelatio facta ſit, quàm poſtmodum Chriſtianis: Ne videlicet Hebræi, auditâ palam ex ore Moyſis Divinarum Perſonarum Triade, propoſitam ſibi Deorum multitudinem arbitrarentur, indeque cauſſam arriperent, in Politheiſmum impietatemque Ægyptiacam declinandi.

In cujus rei exemplum obſervat Apoſtolus 2. *ad Corinth.* 3. Moyſem nonniſi velo quodam obtectum verba Legis ad Judaicum populum loqui ſolitum fuiſſe, *ut non intenderent filii Iſrael in finem ejus;* ut Græcus Apoſtoli textus habet. Ecquis vero finis legis eſt, in quem ne intenderent filii Iſrael, Moyſes præcavebat, niſi Trinitatis notitia, in qua & noſtra, & Iſraelitarum ſalus poſita eſt? De qua Chriſtus *Joannis* 17. *Hæc eſt*, inquit, *vita æterna: ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Nondum* (tunc temporis) *propalata erat Sanctorum via, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum;* inquit Apoſt. *ad Hebræos cap.* 9. quia eo tunc velo obtectum erat Tabernaculum, quod nonniſi moriente Chriſto, veluti revelata jam myſteriorum omnium veritate, ſciſſum eſt a ſummo uſque deorſum, ut loquitur Evangelium.

Verùm tametſi prudenti Œconomia pro temporum illorum conditione Trinitatis revelatio temperata ſit; ita tamen huic firmandæ Catholicæ veritati etiam ſub Lege proviſum eſt, ut eam ſin minùs carnales, at ſaltèm ſpirituales Judæi, & qui verè ſunt Abrahæ filii, internoſcere facilè poſſent; Deique unius ac trini fidem, qua nobiſcum juſtificarentur, ex veteris Teſtamenti Libris haurire. Graviora

viora ex iis Libris momenta ſeligam, vindicando probandoque Trinitatis Myſterio magis opportuna, quibus Judæorum perfidia, ſin minùs frangi ac pulſari, eorumdem ſaltem pervicacia retundi poterit.

Offert itaque ſe primò Scripturarum in limine ad Myſterii Trinitatis probationem, quod legitur *Geneſis* 1. *In principio creavit Deus cælum & terram: Terra autem erat inanis & vacua..... & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*. Quo loco, etſi *principii* nomine, mundi ac temporis exordium intelligant Patrum aliqui; *Verbum* nihilominùs, in quo Deus mundum condiderit, intelligendum exiſtimant longè plures; Tertullianus *lib. contra Praxeam cap.* 5. & Auguſtinus *lib.* 11. *Confeſſ. cap.* 8. Nec immeritò: nam & hoc ipſum (omnia ſcilicet in Verbo, ſeu Dei Filio eſſe condita) ſignificat ſæpè numerò Gentium Apoſtolus *ad Hebræos* 1.: *Noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula*: & ad Coloſſenſes: *Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in Cœlis & in Terra, viſibilia & inviſibilia*.

Nec verò minus Eccleſiæ Patribus arridet ea ſententia, quæ Spiritum illum Domini, de quo Moyſes loco laudato, aquis primitùs incubantem, tertiam Trinitatis Perſonam interpretatur. Ita nempè Tertullianus *lib. de baptiſmo cap.* 3. Ambroſius *lib.* 1. *Hexaemeron cap.* 8. Auguſtinus *lib.* 13. *Confeſſ. cap.* 5. & 7. Hieronymus *in quæſtionibus Hebraicis*. Quin etiam ita plane Eccleſia Catholica interpretatur, quæ eo veluti Sacramento Spiritus S. aquis primigeniis incubantis præfiguratam docet ſanctitatis infuſionem luſtralibus aquis fieri ſolitam piis illis de more precibus, quibus ſacris Baptiſmatis fontibus benedicitur.

Ne porrò eo ſe argumento minùs urgeri Judæi reponant, quod ex Eccleſiæ Patrum interpretatione potiùs, quam ex ipſo Scripturæ contextu vim omnem ſuam repetere videatur; ſecretiora eo in oraculo rimantur viri hebraicæ linguæ doctiſſimi, quibus non ex interpretatione ad arbitrium quæſita, ſed ex ipſo Scripturæ nativo ſenſu revinci poſſint. Id enim obſervatu dignum, quo loco latinè legimus: *In principio creavit Deus cælum & terram*; ita hebraicè legitur: *Bereſcith barà Elohim eth haſciamaim, veeth haaretz*; quaſi quis lapſa latinitate diceret: *In principio creavit Dii cælum & terram*: pluralis etenim numeri formam habet *Eloim*; non ſingularis. Eccur verò Scriptura ſacra, cujus ſine myſterio nequidem unus eſt apex, plurale nomen præter hebraicæ grammaticæ leges ſingulari verbo copulaſſet, niſi ut in uno Creatore Deo tres Perſonas innueret; Divinæque Naturæ unitatem cum Perſonarum Triade ſociaret?

Id

Id ipſum planè ad ejuſdem Capitis calcem juxtà Vulgatam ipſam Verſionem, uti & juxta Textus Hebraici fidem obſervare licet : *Faciamus*, inquit Deus, *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram* : & continuò ſubditur : *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam* : ubi alterna illa pluralis, & ſingularis numeri uſurpatio ; *faciamus hominem .... creavit*, ſeu *fecit hominem*, plurale quidpiam in uno Deo, Perſonarum ſcilicet Trinitatem, non obſcurè ſignificat. Quo quidem aliàs Argumento Baſilius Magnus *Homil. 9. in Hexameron*, & Theodoretus *Quæſt. 19. in Gen.* Sabellianos exagitarunt. Sed & illud multò diſertiùs, ac etiam invictum, quod *Gen. cap.* 3. legimus ; ubi Deus Adami veſaniam irridens, qua Divinam ſimilitudinem petulantiùs ambiverat : *Ecce* (inquit per ironiam) *Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum, & malum*. Quæ loquendi ratio plures in Deo Perſonas innuit, quarum uni Adamum ſimilem evaſiſſe, per ironiam dictum eſt. Nec enim reponi commodè poteſt, quod tantâ fidentiâ aliorum Oraculorum occaſione Judæi reſpondent ; Deum nempe more Principum, demonſtrandæ authoritatis cauſâ, plurali interdum numero de ſe ipſo locutum eſſe. Etſi enim captari utcumque Cavillatio illa poſſet, ſi Deum ita loquentem legeremus : *Ecce Adam ſimilis nobis factus eſt* ; dum tamen ait : *Quaſi unus ex nobis factus eſt*, plures profectò in Deo Perſonas citra dubitationem inſinuavit, quarum uni ſimilis factus ſit Protoparens noſter.

Ab infideli Adam ad fidelem Abraham properemus. Trinitatem totius noſtræ Religionis, & Fidei Caput potiſſimum Abrahamo credentium Parenti revelatam inveniemus percelebri illa Viſione, qua Deum trinum & unum, humana ſpecie indutum, intueri & excipere meruit. Rem ita legimus *Geneſi* 18. *Apparuit ei Dominus in convalle Mambre ſedenti in oſtio Tabernaculi ſui, in ipſo fervore diei. Qumque elevaſſet oculos, apparuerunt ei tres Viri ſtantes prope eum; quos quum vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio Tabernaculi, & adoravit in terram. Et dixit : Domine, ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſervum tuum*. At hæc mutuò conferamus. *Apparuit ei Dominus humana utique ſpecie indutus .... apparuerunt ei tres Viri .... cucurrit Abraham in occurſum eorum, & ait : Domine ſi inveni gratiam coram oculis tuis*. Concilient iſta, ſi poſſunt, qui Deum, uti Naturâ, ſic & Perſonâ unum effutiunt : erit illis profectò Oraculum iſtud Sphingis Thebanæ Enigmatibus obſcurius. Nos commodè conciliamus, dum tres Perſonas Divinas trium Virorum ſpecie indutas, unum Naturâ Deum ac Dominum profitemur. Novit id oculatiſſimus Auguſtinus, & in Trinitatis hoſtes retorſit *Lib. 2. de Trinit. cap.* 11, : *Quod*

tres

tres Viri [Abrahæ] *viſi ſunt, nec quiſquam in eis vel forma, vel ætate, vel poteſtate major cæteris dictus eſt, cur non hic accipiamus viſibiliter inſinuatam per creaturam viſibilem Trinitatis æqualitatem, atque in tribus Perſonis unam eamdemque Subſtantiam?* Nihil minùs eidem perfidiæ Judaicæ, ac Sabellianæ revincendæ congruit, quod *Geneſ.* 19. legere eſt : *Pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem a Domino de Cœlo*. Certè *pluit Dominus a Domino*, Deum de Deo perſpicuè denotat; Filium ſcilicet a Patre procedentem, a quo ſicut Naturam eamdem, ac poteſtatem accepit; ſic etiam eamdem, ut Schola loquitur, operationem ad extra. Non me fugit, recentiores nonnullos Scripturarum Interpretes exiſtimare, verbis illis *pluit Dominus a Domino* duas Trinitatis Perſonas minimè deſignari, Filium nimirum, & Patrem; quaſi Filius, accepta a Patre æterno virtute, ignem & ſulphur depluerit ſuper Sodomam & Gomorrham; ſed unum potius iis vocibus contineri ajunt; quo ſignificetur duntaxat, Dominum a ſe ipſo pluiſſe; hoc eſt, pluviam illam igneam, & ſulphuream non ex cauſſis naturalibus, nec modo naturali, ſed Domini Dei vindicis Omnipotentiâ deſuper immiſſam eſſe. Verùm, quanquam ille ipſe verborum illorum ſenſus eſſe poſſit, quem ii excogitarunt Interpretes, ſtare nihilominus etiam ſenſum alterum a nobis inſinuatum, ex eo liquet, quod Patres veteres bene multi eum Scripturæ locum *pluit Dominus a Domino* de duplici Perſona in Deo exiſtente, Patre nimirum & Filio, ignem & ſulphur ſuper Sodomam & Gomorrham depluentibus intellexerint. Præſertim verò Juſtinus martyr *in Dialogo cum Triphone*; Irenæus *Lib.* 3. *adverſus Hæreſes cap.* 6. Athanaſius *Lib. contra Gregales Sabellii*; Hilarius *Lib.* 4. *de Trinit.* Quin etiam in Concilio Sirmienſi iis anathema dictum eſt, qui eum Scripturæ Locum aliter, quàm de Patre, & Filio intelligendum arbitrarentur. Ita quippe *anathematiſmo* 16. apud D. Hilarium *Lib. de Synodis* : *Si quis Dictum illud* pluit Dominus a Domino, *non de Filio, & Patre intelligat; ſed ipſum Filium a ſe dicat pluiſſe : anathema ſit. Pluit enim Dominus Filius a Domino Patre*. Stat igitur invictum & iſtud veteris Teſtamenti Oraculum.

Jam verò, dum uſurpata a Patribus veteris Teſtamenti loca profero adverſus Trinitatis Hoſtes, præterire omnino non poſſum diſertiſſimum illud Oraculum, quod ab ipſo Chriſto contra Judæos ita appoſitè prolatum eſt, ut os illis, tametſi ſua ipſorum indole multùm loquacibus, occluſerit : *Congregatis Phariſæis* [refert Matthæus *capite* 22.] *interrogavit eos Jeſus dicens : quid vobis videtur de Chriſto? Cujus filius eſt? Dicunt ei, David. Ait illis : Quomodo ergo David in ſpiritu vocat eum Dominum dicens : dixit Do-*

Dominus Domino meo : ſede a dextris meis; donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo Filius ejus eſt? Et nemo poterat (ſubjungit Evangeliſta) *ei reſpondere verbum; neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare*. Siccine Judæis adeo querulis & impudentibus occluſum os, niſi ineſſet ſacro huic Oraculo vis plane decretoria, omnique cavillatione ſuperior? Ita ſane. Enimvero, dum inquit Regius Vates: *Dixit Dominus Domino meo : ſede a dextris meis*; duas ſine dubio Perſonas, Patrem nimirum & Filium, nobis exhibet : unum ad alterius dexteram ſedentem; unum ab altero ante ſæcula genitum : *In ſplendoribus ſanctorum ex utero ante Luciferum genui te*.

Nec eſt, quod Judæi reponant, verba illa Davidis eſſe Salomonem alloquentis, non Dei. Eo quippe confugere Judæi ſolent, ut Pſalmum illum de Davide & Salomone ſecum invicem colloquentibus intelligendum omnino velint, non de Deo Patre, Deique Filio. Quis etenim ſibi finxit unquam, Davidem Salomonis hoſtes ad ejus pedes proſtraviſſe, ut æquo jure ei dicere poſſet: *Sede a dextris meis; donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?* Quis Salomonem a Davide *in ſplendoribus ſanctorum genitum* dicat? Quis Salomonem *ante Luciferum genitum* effutiat? Quis Salomonem *Sacerdotem æternum ſecundum ordinem Melchiſedech* fabuletur, ut hæc in eum Pſalmi illius verba cadere poſſint: *In ſplendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te : Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech?* Ineptum igitur, inſulſumque eſt illud Judæorum effugium.

Immenſus ſim, ſi quæ ex aliis Pſalmis repeti poſſunt ad Trinitatis probationem, accurate percenſere velim. An non tres Perſonas, ac ſuis etiam characteribus deſignatas exhibet Pſalmus 32. *Verbo Domini Cæli firmati ſunt; & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum?* In quem locum Hieronymus inquit: *Trinitatis majeſtas maniſeſtiſſime declaratur : Dominus, Verbum, Spiritus Sanctus*. An non eaſdem Perſonas indigitat *Pſal. 66. Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus?* Quæ verba ita reſumit idem Hieronymus: *Benedicat nos Deus, Deus Pater; Deus noſter, Filius; ipſe enim Deus noſter. Et vocabis, inquit, nomen ejus Emmanuel; ideſt, nobiſcum Deus, Deus noſter : benedicat nos Deus, Spiritus Sanctus. Videte Myſterium Trinitatis in uno verſiculo comprehenſum*.

Attamen ut fatear, quod res eſt, qualiacumque illa ſint veteris Teſtamenti Scripturarum Oracula, quibus antiqua Judæo-

rum de unica in Deo Perſona aberratio refelli poſſit ; levioris tamen momenti ſunt , ſi cum novi Teſtamenti Oraculis conferantur , quæ in Sabellianos eodem cum Judæis errore implicitos ab antiquis Eccleſiæ Patribus proferuntur . Hæc in ſequenti Theologica Prælectione in medium advocabimus ; & nefariam Sabellianorum Hæreſim , in Germania & Polonia ante annos prope ducentos denuo ſuſcitatam , Deo volente , confutabimus.

Digitized by Google

PRÆLECTIO II.

Sabellianorum ac Socinianorum in Trinitatem impietas, Novi Teſtamenti auctoritate profligatur.

SAbellianiſmum, ſacroſanctæ Triadi injuriam Hæreſim, præſenti, ut ſpopondimus, exercitatione confutaturi, Imperatorum morem imitabimur, qui hoſtium ſtationes, vires ac numerum explorare antea ſolent, quam bellum inferre: quo & oppugnari felicius, & ſuperari commodius poſſint. Sabellianiſmus itaque, quo ſacroſancta Divinarum Perſonarum Trinitas de medio tollitur, ab impia, ut ita dixerim, Triade, vertente ſæculo tertio ſumſit exordium; Praxea ſcilicet, Neſtorio, & Sabellio: quorum hæc una communiſque ſententia fuit (Epiphanio teſte, *Hæreſ. 62.*) Eumdem eſſe Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum, ita ut ad eamdem Hypoſtaſim tres appellationes convenirent. Unam iccirco eamdemque Divinam Perſonam, *Patrem* vocitari, quia creavit; *Filium* dici, quia redemit; *Spiritum S.* quia ſanctitatem intulit humano generi. Quo ex capite conſequens erat, Patrem (ſi Perſonam ſpectes) æquo jure ac Filium, incarnatum ac paſſum eſſe: quandoquidem una utriuſque Perſona ab eis dicebatur. Unde & Sabelliani Patropaſſiani per deriſum a Patribus appellantur; Athanaſio ſcilicet *Lib. de Synbodis*; Auguſtino *Tract. 36. in Joannem*; Optato Milevitano *Lib. 5. adverſus Parmenianum*; & Mario Mercatore, auctore S. Auguſtini coævo, *in Diſſertatione de duodecimo Anathematiſmo Neſtoriano*.

A Sabellio in Montani diſcipulos permeavit idem error: diſcipulos dico, non Magiſtrum ipſum, qui & ætate Sabellio prior erat, & de tribus Perſonis cum Eccleſia Catholica recte ſenſit, Epiphanio judice, *Hæreſi* 48. quum adverſo Montani diſcipuli Trinitatem in unius Perſonæ anguſtias coarctarent, ſi credimus Hieronymo *Epiſt. 37. alias 54. ad Marcellam*.

A Montani diſcipulis in Priſcillianiſtas diffuſus eſt error ſæculo quarto; ac tandem a Priſcillianiſtis, longo interjecto temporis ſpatio, in nonnullos Lutheri diſcipulos, quos blaſphemæ in Trinitatem Magiſtri voces audaciores fecerant; nempe Michaelem Servetum, Valentinum Gentili, & Lælium Socinum ſæculo decimo ſexto. Horum primus relictis in Tranſylvania impietatis Sectatoribus non paucis, pronunciante tandem ac judicante Calvino ipſo, Ge-

nevæ flammis addictus eſt. Factum quidem bene; at factum fortaſſe melius, ſi eodem accenſo rogo Judex ipſe una cum reo abſumtus eſſet. Alter, nempe Valentinus Gentili undecimo poſt Servetum anno Bernæ apud Helvetios extremo ſupplicio affectus, erroris hæredes longe plures in Polonia reliquit. Poſtremus Lælius Socinus Baſileæ, aut (ut aliis placet) Tiguri animam egit impietatibus famoſus, Antitrinitarius communiter appellatus, a quo recentes Sabelliani, Sociniani vulgo dicuntur.

Iſthæc præmonere libuit antequam in eos omnes arma vertamus; ut hinc intelligant univerſi, veteres idemtidem Hæreſes ex infauſtis cineribus demum noſtris temporibus excitari; adeoque viris Theologis vitio dandum non eſſe, ſi in iis confutandis operam ponant: immo vero longe felicius in iis debellandis tempus inſumi, quam ſi, ut moris quibuſdam eſt, raucas inutileſque omnino in Scholis Theologicis habeant concertationes.

En itaque quibuſcum nobis manus in præſentia conferendæ veniant. Quamquam autem iiſdem, quibus Judæos exagitavimus, argumentis ex veteri Teſtamento petitis confutati cenſeri poſſint cum recentiores, tum veteres Sabelliani Divinarum Perſonarum diſtinctionem abnegantes; aliis tamen ad menſuræ cumulum ex novo Teſtamento, cui ipſimet fidem adjungunt, delibatis, multo luculentius profligantur.

Quid enim in novo Teſtamento frequentius, quid apertius inculcatur, quam diſtinctarum Trinitas Perſonarum in unius Naturæ ſimplicitate ſubſiſtens? Decretorium illud in primis, & ab omni ambiguitate defæcatum, quod habet dilectus Chriſti Diſcipulus *Epiſt.* 1. *cap.* 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo; Pater, Verbum & Spiritus Sanctus; & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra: ſpiritus & aqua & ſanguis; & hi tres unum ſunt.* Jam ſi tres ſunt, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, quomodo unum tantum tribus nominibus ob diverſa munia inſignitum, juxta Sabellium & Socinianos? Et quidem, ſi dilecti Diſcipuli mentem paullo intimius perpendamus, vacat omnis effugii locus. Is enim probandum ſibi ſumit eo loci, Chriſtum & verum Deum eſſe, & verum Hominem; ut fidelium animos adverſus Simonianos, Ebionitas, Cerinthianos, aliaſque id genus peſtes quæ jam tunc Eccleſiam infeſtabant, datis Epiſtolis communiret. Hanc etenim Epiſtolam morti proximus ſcripſit Joannes, ceteris Apoſtolis martyrio ſublatis, dum annum ipſe ageret prope centeſimum. Id porro ut probet, obſervat, tres eſſe in terra teſtes, qui Chriſtum nobis verum Hominem in Cruce paſſum teſtificentur; *ſpiritum, aquam & ſanguinem:* ſpiritum inquam, quem Chriſtus Cruci ſuffixus emiſit; aquam & ſanguinem, quæ ex

ex ejus jam demortui latere effluxerint : ac rurſus viciſſim tres in Cælo teſtes eſſe obſervat, qui Chriſtum eumdem, & Deum & Dei Filium conteſtentur; Patrem videlicet, Verbum & Spiritum Sanctum: *Patrem* inquam, cujus de Chriſto illa vox fuit, dum in Jordane tingeretur: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: Filium, ſeu Verbum, quod ubique teſtimonium perhibuit de ſe ipſo: *Spiritum Sanctum*, qui eidem quum in Jordane baptizaretur, ſub Columbæ ſpecie ſuffragatus eſt. Poſita hac dilecti Diſcipuli probatione, inquio ego: Si tres illi, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus qui teſtimonium in Cælo dant, una eademque Perſona eſſent triplici dumtaxat nomine inſignita, ut Sociniani contendunt, tres utique Divinitatis Chriſti teſtes eſſe non poſſent. Eo plane modo, quo (ſi magna parvis componere licet) Marcus Tullius Cicero pro triplici teſte in judicio haberi non poſſet, quòd una triplicis nominis perſona ſit. atque ita tota vis probationis a dilecto Diſcipulo ex triplici teſte petita labaſceret.

Mirum! quantum ſeſe hoc loco torqueant Sabelliani, potiſſimum recentiores, qui ſæculo decimoſexto Germaniam & Poloniam infeſtarunt, ut laqueum iſtud effugiant. Totam illam dilecti Diſcipuli phraſim: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo*, cenſoria virgula notant audaciores Ariſtarchi; eamque addititiam, & a privato quopiam ſacro Textui inepte aſſutam obtendunt. Hujuſque ſui reſponſi duo præſertim proferunt argumenta, in quibus eventilandis parumper excurrere liceat. Primo ergo addititiam iccirco volunt totam illam Joannis periodum, quod a Græcis Exemplaribus jam ante Hieronymi tempora procul abfuerit tota illa de Trinitate periodus: ſecundo, quod eam antiqui Sabellianæ & Arianæ hæreſis impugnatores, Eccleſiæ cauſſam orantes, alto ſilentio prætermiſerint; non utique prætermiſſuri, ſi vere genuinam agnoviſſent, unde tam elegans pro aſſerenda veritate repeti poſſet argumentum.

Repono ad primum: Quod a Græcis aliquibus Exemplaribus olim abfuerit tota illa de Trinitate periodus, non imus inficias: ſed cauſſam ſi quærimus, in promtu eſt; nimirum a quibuſdam defuiſſe, quod eam ſuſtulerint Hæretici; quod etiam aliis in locis Scripturæ Sacræ, uti & Sanctorum Patrum, contigiſſe compertum eſt eruditis; & teſtatur Hieronymus ipſe quem appellant, in Prologo mox citando. Cur porro ſuſtulere viri nequiſſimi, niſi quia errori revincendo efficaciſſimam agnoſcebant? Neque tamen ab omnibus Græcis Exemplaribus abfuiſſe periodum illam, Hieronymus monet; ſed ſolum ab aliquibus, in quæ nefarias & interpolatrices manus intulerant Hæretici depravatores. Quinimmo in Prologo Canonicarum Epiſtolarum non ſine ſtomacho in infideles Translatores invehitur,

tur S. Doctor, quos *multum erraſſe in Fidei veritate compertum eſſe* affirmat, dum *tria illa dumtaxat vocabula, hoc eſt, aquæ, ſanguinis & ſpiritus in ſuis editionibus poſuerunt, Patris, Verbi & Spiritus Sancti teſtimonium omittentes*. Sed non longe ab hac ætate noſtra Robertus Stephanus in Notis adornatis anno 1550. phraſim hanc in novem Manuſcriptis Codicibus Græcis inveniſſe ſe profitetur; quorum duo ætatem Hieronymi ſuperarent. Quin & Eraſmus priorem emendans errorem, hunc Verſum S. Joannis poſteriori ſuæ novi Teſtamenti editioni inſeruit. Ac ſi unum Richardum Simonium intemperantis criterii virum exceperis, ſoli nunc rejiciunt Sociniani. En primum ſat bene occluſum & occupatum, Socinianorum effugium.

Jam quod alterum attinet ab iis vulgo jactatum; Patres ſcilicet veteres, Arianæ ac Sabellianæ Sectæ debellatores eum de Trinitate verſiculum ignoraſſe, altoque ſilentio prætermiſiſſe; hoc ipſum plerique Theologi noſtri falſi poſtulant; & Athanaſium ſimul, & Auguſtinum verſiculum illum recitaſſe contendunt: Athanaſium quidem *Lib. de unita Dei Trinitate*, & *in diſputatione* cum Ario habita in Concilio Nicæno: Auguſtinum vero *Lib. 2. Quæſt. Evangelicarum*. At cum bona venia dicam, perperam Theologos illos & imperite hoc facere; quum illud potius ſcire debeant, libros illos ab iis jactatos apocryphos eſſe, & Athanaſio perinde ac Auguſtino falſo ſuppoſitos; uti viris criticæ ſcientiæ peritis exploratiſſimum eſt. Quare ea Theologorum iſtorum reſponſione miſſa, repono ego, nihil plane referre, ſi Veteres, Arianæ ac Sabellianæ Sectæ debellatores, iſtud Joannis Oraculum ſilentio miſerint; nec poſſe ex eo ſilentio colligi, ſpuriam eſſe atque addititiam periodum illam; quum D. Cyprianus, Ariana & Sabelliana hæreſi longe ſuperior, illud idem Joannis Oraculum recitaverit *Lib. de unitate Eccleſiæ:* Caſſiodorius itidem *in Complexionibus ad epiſtolas* per virum eruditiſſimum Scipionem Maffejum publicatis: ac tum poſtea D. Fulgentius *Lib. Reſponſionum contra Arianos*: aliique deinceps Catholici tractatores. Quid ergo veterum Patrum ſilentium obſtat? Hoc perpreſſi Sabelliani ad aliud momentum confugiunt, ut hujuſce Joannis teſtimonii, quod inficiari omnino non poſſunt, vim & auctoritatem imminuant. Quare hodierni Græci Textus fidem appellant, ut Hieronymum vulgatæ Verſionis ex parte auctorem incuſent, quaſi perperam verterit: *Et hi tres unum ſunt*; quum potius vertere debuiſſet: *Et hi tres in unum ſunt:* ϗ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἓν εἰσιν: unde affectus potius atque concordiæ inter Perſonas Divinas, quàm Naturæ unitas colligatur. Addunt iidem, Patrem, Verbum & Spiritum Sanctum eodem plane modo unum quidpiam a dilecto Diſcipulo pronunciari, quo ſpiritus, ſanguis & aqua unum eſſe dicuntur: *Tres ſunt unum*; at

iſthæc

Digitized by Google

iſthæc non eſſentia atque natura, ſed conſenſione dumtaxat unum eſſe perſpicuum eſt: quidni ergo & eo dumtaxat modo Pater, Verbum, & Spiritus S. unum erunt? Ita illi, ut Oraculi hujus vim omnem infringant. Sed ſunt hæc mera præſtigia, quibus illudere veritati moliuntur. Demus enim, quod primo loco ponunt; vertendum fuiſſe ad amuſſim: *Et hi tres in unum ſunt*; non autem: *Et hi tres unum ſunt*; perinde omnino eſt, ſi Scripturarum loquendi modum attendamus; unus idemque plane ſenſus redit. *Ego ero illi in Patrem; & ipſe erit mihi in Filium*, inquit Pater æternus de Chriſto, *Heb.* 1. An ergo non eſt ille vere Pater; non eſt iſte vere Filius? *Eſto mihi in Deum protectorem* legitur *Pſalm.* 70. An ergo iccirco non eſt ille vere Deus, non eſt vere protector? Abſit. Sed mirandum omnino venit, illos Græci Textus buccinatores ab ejus demum fide aberrare, dum alterum nobis cavillum obtrudunt; ajuntque, Patrem, Verbum & Spiritum Sanctum eo plane modo a dilecto Diſcipulo unum quid vocitari, quo ſpiritum, aquam & ſanguinem unum eſſe definivit. Nihil quippe Textus Græcus habet de illa ſpiritus, aquæ & ſanguinis unitate. Abſunt a Græco Textu etiam pervulgato verba illa: *Et hi tres unum ſunt*; dum de ſpiritu, aqua & ſanguine ſermo eſt; tametſi legantur omnino, dum de Patre, Verbo & Spiritu Sancto ſermo venit. Quin etiam quindecim Codices Græcos ac perantiquos ſummo ſtudio contulerunt Lovanienſes, ubi ea perinde verba obſervantur in prima periodi parte.

Demus nihilominus addititia non eſſe, ſed plane germana poſtrema illa laudatæ periodi verba; quandoquidem in vulgata Verſione, quam nobis Synhodus Tridentina authenticam dedit, ſine controverſia continentur. Demus etiam id ſibi voluiſſe dilectum Apoſtolum, tres in Deo Perſonas unum quid eſſe unitate teſtimonii, quod de Chriſti Divinitate tulerunt, uti plane ſpiritus, ſanguis & aqua unum quid appellantur unitate teſtimonii, quod nobis de Chriſti humanitate & paſſione reddidere: nihil hinc contra nos; nec eſt inſtituti hujus noſtri difficultas hæc, qualiſcumque tandem ſit, quum illud Joannis Oraculum ad id tantùm advocemus in præſentia, ut trium Perſonarum diſtinctionem contra Sabellianos & Socinianos adſtruamus; non ut Divinæ Naturæ unitatem contra Triteitas vindicemus. Qua de re non eſt nobis in præſentia diſceptandum.

Sed nec Triteitis Divinam Naturam dividentibus favet illa Joannis comparatio inter Patrem, & Verbum & Spiritum Sanctum ex una parte, & ſpiritum ſeu animam, aquam & ſanguinem ex altera. Illa enim eſt ſummo prudentum aſſenſu ſtatuta lex, ut comparationum vis ex rerum quæ mutuo conferuntur, conditione ſumatur: alias fideles omnes neceſſario ac infinite perfectos eſſe poſſe licebit aſſerere, propterea quod a Chriſto Domino dictum ſit: *Eſtote perfecti, ſicut Pater*

ter veſter cæleſtis perfectus eſt. Naturæ autem Divinæ conditio poſtulat, ut re ipſa ſit una: pluralitas enim Deorum, nullitas Deorum eſt. Natura autem ſpiritus ſeu animæ, aquæ & ſanguinis id non poſtulat, ſed refugit potius. Quare pari omnino modo non ſunt unum; nec integra in omnibus eſt comparatio. Maxime quum laudatus paullo ante Caſſiodorius in vulgatis noviſſime *Complexionibus* omnem comparationis æquivocationem ſuſtulerit, Joannis periodum ex antiqua Vulgata ſeu ex Itala ita reddens: *Teſtificantur in Cælo Pater & Filius & Spiritus Sanctus; & hi tres unus eſt Deus*. Sed pergamus ad reliqua novi Teſtamenti Scripturarum Oracula, quibus Divinarum Perſonarum Trinitas atque diſtinctio comprobatur: neque enim ita poſſumus in ſingulis immorari.

Hoc igitur Fidei noſtræ Caput diſertius adſtruit dilectus idem Chriſti Diſcipulus in Evangelio. Cæleſtes illos teſtes, qui Chriſti Divinitati teſtimonium perhibent, clarius apertiuſque diſtinguit *Capite* 8. Evangelii ſui; treſque in Deo Perſonas eſſe plane definit: *Solus non ſum*, inquit eo loci Chriſtus, *ſed ego, & qui miſit me Pater. Et in lege veſtra ſcriptum eſt, quia duorum hominum teſtimonium verum eſt. Ego ſum, qui teſtimonium perhibeo de me ipſo, & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me Pater*. Quem locum contra Gregales Sabellii mire proſequitur Athanaſius. Et quidem non modo ſolum ſe eſſe negat eo loco Chriſtus Dominus; ſed & ſeſe ab eo a quo miſſus eſt, diſtinctum ait: ac quaſi id ipſum firmandæ veritati ſatis non eſſet, Legis ſuffragium advocat, quæ fidem non unius tantum, ſed duorum teſtimonio adjungendam decernit. Quæ profecto ludicra probatio videretur, ſi non duo, ſed unus idemque teſtis eſſet, Pater & Filius, ſoloque nomine diſtinguerentur.

Accedit alterum ex eodem dilecto Diſcipulo contra Sabellianos, unicam in Deo Perſonam admittentes variis nominibus inſignitam, luculentiſſimum teſtimonium *ex cap.* 14. *Evangelii* deſumtum: *Ego rogabo Patrem*, inquit Chriſtus, *& alium Paraclitum dabit vobis*. En utique Filium, qui Patrem rogat. Quis porro ſemetipſum rogat, ac non potius alterum? Rogat autem, ut alium Paraclitum donet: heic ergo Patrem, Filium & Paraclitum diſtinctos habemus. Rurſus *eodem Capite: Paraclitus autem*, ſubjungit Chriſtus, *Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo......* Quis porro mittit ſe ipſum, aut quis in ſui ipſius nomine mittitur? Vel ergo Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum ſecundum Perſonas inter ſeſe diſtingui neceſſe eſt; vel putida battologia ea Scripturarum Oracula laborabunt.

Dilecto Diſcipulo ſuccinit Matthæus *cap.* 28. ubi Chriſtus Diſcipulos ſuos Fidei ſatores mittens inquit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti*. Qua loquendi ratione tres illos, Patrem ſcilicet, Filium & Spiritum

tum Sanctum non nomine tantum, ſed & Perſona diſtinctos eſſe ſine dubio ſignificat. Quis enim quidpiam Ciceronis e. g. nomine agendum imperans ita ediceret: *Sic dicito: in nomine Marci & Tullii & Ciceronis?* Numquid id prorſus abſurdum non eſſet? Ita planè propoſitionem Evangelicam nobis abſonam faciunt, qui Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unam triplicis dumtaxat nominis Perſonam eſſe fabulantur.

Sed & apertiùs Gentium Apoſtolus *ad Epheſ.* 2. Sabellianis jugulum petit, dum inquit: *Quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in uno Spiritu ad Patrem.* Quî enim fieri poſſet, ut per Filium haberetur acceſſus ad Patrem, ſi Filius ipſe Pater eſſet, ſolâ nomenclaturâ diverſus? Quo pacto in Spiritu Sancto haberetur acceſſus ille ad Patrem, ſi minimè a Patre, niſi fortè nomine, Spiritus ille ſecerneretur? Sint certè tot illa Scripturarum Oracula ſenſu vacua neceſſe eſt, ſi quod nobis de Trinitate venditat Hæreſis Sabelliana, veritate niteretur; Trinitas ſcilicet nominum, non Perſonarum. Veniam dabitis ſpero, ſi a cæteris momentis proferendis ſuperſedeo. In infinitum progrederer, ſi ſingula diſtinctiùs proſequi vellem. Nec tam Scripturarum ſelecta loca laudanda forent, quàm tota ex integro Scriptura in medium proferenda; inquit enim meritò D. Auguſtinus: *Omnis Scriptura veteris ac novi Teſtamenti, ſi catholicè intelligatur, hoc inſinuat, quod Pater & Filius & Spiritus Sanctus unus ſit Deus ejuſdem ſubſtantiæ uniuſque eſſentiæ.* Quare in refellendis Sabellianorum momentis ſequenti Prælectione, Deo dante, induſtriam noſtram exercebimus.

Digitized by Google

PRÆLECTIO III.

Sabellianorum Momenta adverſus Divinarum Perſonarum Trinitatem refelluntur.

SATIS in antehabitis in aſſerendo probandoque Trinitatis Myſterio ſtudii ac laboris impendimus. Tempus eſt, ut ad diſſipandas, ſi quæ ſunt in oppoſitum, Sabellianorum argutias animum convertamus. Ne porro in ea adimplenda provincia in immaturam meſſem falcem intempeſtivè mittamus, non ea nunc diſpungemus argumenta, quæ vel Filii, vel Spiritus Sancti Divinitatem ſpeciatim oppugnant; de quibus ſuo ſubinde loco adverſus Arianos & Macedonianos diſputando ſermo erit; ſed ea dumtaxat argumenta reſolvemus, quæ Perſonarum Divinarum Trinitatem ea ratione tantùm oppugnant, quòd hæc ipſa Trinitas cum Divinæ Naturæ unitate ſtare non poſſe videatur. Sunt enim hæc præſentis diſputationis propria ac veluti cognata argumenta. Primam igitur ex veteri Teſtamento aciem inſtruunt priorum temporum Sabelliani, ut Divinarum Perſonarum Trinitatem oppugnent. Deus, inquiunt illi, ubique paſſim, nedum unicum, ſed & ſolum in Scripturis ſemetipſum appellat: *Deut.* 32. *Videte quod ego ſim ſolus; & non ſit alius Deus præter me*: *Iſaiæ* 44. *Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens Cælos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum.* Jam, ſubjungunt illi, ſi Deus nedum unus, ſed & ſolus vocitatur, profectò uti in Natura, ita & in Perſona unus eſt: quomodo enim ſolus eſſet, ſi tres ejuſdem Naturæ atque ſubſtantiæ Perſonæ eſſent?

Auget hujus argumenti robur Theologorum illa pervulgata ac trita philoſophandi ratio. Hi enim iccirco plures in Deo Perſonas ponunt, quòd a Deo ſolitudo, veluti ſummum dedecus, ſemovenda ſit; aliàs Deum nec ſummè felicem futurum, nec veram amicitiam habiturum ajunt, niſi plurium ejuſdem Naturæ Perſonarum ſocietate frueretur. Ita quippe argumentatur Doctor Angelicus 1. *par. quæſt.* 31. *artic.* 3. Si igitur è contrario ſolum ſe Deus ipſe paſſim appellat Sacris in Litteris, has omnes Theologorum argumentationes ac probationes demolitur, ſeque ipſum in Perſona prorſus, uti & in Natura unicum profitetur. Suppetias ex novo Teſtamento quærunt Sabelliani, ut hoc ipſum diſtinctiùs & explicatiùs adſtruant. Illud *Joann.* 17. jactant maximè, ubi Chriſtus Deum Patrem allocutus unicam æterni

terni Patris Perſonam Deum videtur agnoſcere : *Hæc eſt autem*, inquit, *vita æterna ; ut cognoſcant te, ſolum Deum verum*. Soli itaque Deo Patri Divinitatem Chriſtus adſcribit, dum illum ſolum verum Deum profitetur; neque ſeſe, aut Spiritum Sanctum in ejuſdem Divinitatis conſortium admitti patitur. Ita Sabelliani ubique paſſim argumentantur.

At hæ meræ nugæ ſunt, ſubtili arte compoſitæ. Nihil enim ex iis veteris Teſtamenti Oraculis initio objectis extundi poteſt, niſi Deum in Natura quidem, non tamen in Perſona *ſolum* appellari. Aut certè, quod idem eſt, ſolum eſſe Deum, ut Deos commentitios & alienos excludat ; non ut conſortium plurium ejuſdem Naturæ verè Divinæ Perſonarum excludat. Id palam aperteque ſignificat ſingulare Dei ſtudium, ut Judæos ab Idololatria, cui ex contracta quondam in Ægypto conſuetudine adhærebant indeſinenter, avocaret. Id probant Scripturæ contextus objecti, ſi paulò penitius attendantur. Ita quippe objectus *Deuteron.* locus habet : *Ubi ſunt Dii eorum, in quibus habebant fiduciam? De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum. Surgant & opitulentur vobis, & in neceſſitate vos protegant. Videte, quòd ego ſim ſolus ; & non ſit alius Deus præter me*. Quaſi dicat : Unus ego ſum Deus, qui opitulari vobis poſſim ; non illi, quorum opem. & auxilium imploratis, falſi quidem & commentitii.

Quid Patres horum locorum Interpretes appellem numero infinitos? Juſtinum, Irenæum, Tertullianum, Lactantium, Euſebium; qui in ſuis contra Gentiles lucubrationibus adornatis loca hæc contra fabuloſa momenta contorſerunt. Res in immenſum abiret, voſque nimiùm defatigarem, ſi omnia ſingillatim in medium proferrem. Ceterùm qui ſolitudinem a Deo uti ſummæ illius felicitati perfectæque amicitiæ repugnantem rejiciunt, Perſonæ ſolitudinem intelligunt ; cum qua perfecta amicitia ſtare non poteſt, utpote quæ plures inter perſonas debet eſſe.

Neque verò aliud ſibi vult decantata illa, & a Sabellianis ad nauſeam uſque jactitata Chriſti ad Patrem oratio : *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum verum Deum*. Unde D. Athanaſius *Orat.* 4. *adverſus Arianos* eam Chriſti Orationem exponens inquit : *Cum Pater ſolus Deus, & verus appellatur, non ad exauctorationem ejus appellatur, qui dicit : ego ſum veritas ; ſed ad demolitionem eorum, qui ex natura tales non ſunt, qualis eſt Pater & Patris Verbum ; neque verò Dii ſunt*. Imo verò Chriſtum eumdem cum Patre Deum eſſe ſignificat locus ille, ſi penitius perpendatur : ait enim : *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum* ; ſic ut filius Deo Patri ſocietur potius, quàm Divinitatis titulo defraudetur.

Quid ni quoque Sabellianis dialecticarum argutiarum amantiſſimis reponamus, voculam *ſolus*, quæ in hac Chriſti propoſitione negotium faceſſit, verſatilem admodum, ac variis ſenſibus obnoxiam eſſe. Enimverò, ſi mihi datis veniam, ut in eo Dialecticæ ſpineto tantillum excurram, ea propoſitio, quæ ex Chriſti Domini Oratione efformari videtur *Solus Pater eſt Deus* duplicem ſenſum juxta Dialecticæ leges habere poteſt: primò; ut vocula illa *ſolus* propoſitionis hujuſce ſubjectum afficiat, nempe *Patrem*; iſtumque ſenſum reddat: *ſolus Pater eſt Deus*; hoc eſt: *Qui ſolus eſt Pater*, *eſt Deus*: qui certè ſenſus a Sabellianiſmo procul abeſt. Secundò; ut vocula *ſolus* prædicatum propoſitionis afficiat, nempe Deum; iſtumque propterea ſenſum referat: *Solus Pater eſt Deus*; hoc eſt: *Pater eſt Deus ſolus*. Quod iterum innoxie, & citra omnem Sabellianiſmi ſuſpicionem accipi poteſt; non quaſi nulla Perſona Deus ſit præter Patrem; ſed quod illæ ipſæ Perſonæ, quæ cum Patre Divinam Naturam habent, nonniſi unus ſoluſque cum Patre Deus haberi debeant. Filius enim eſt alius quidem a Patre; non eſt tamen alius Deus ab eo; atque hoc pacto in fumum abit prima illa Adverſariorum hallucinatio.

Verùm levis eſt illa veterum Sabellianorum adverſus Trinitatem vellicatio, ſi cum Socinianorum, quibus idem ille communis eſt error, hoſtili apparatu conferatur. Quidquid enim argutiæ Dialecticæ; quidquid ſophiſmatum fæces contra veritatem adverſus ſacroſanctum Myſterium ab iis nefariè congeſtum eſt, ſingula hæc ſummo olim ſtudio conſarcinavit Michael Servetus in peſtifero libello adverſus Trinitatem edito; cujus exempla univerſa, agente Calvino ipſo, Genevæ flammis abſumpta ſunt, tribus dumtaxat incendio ſubductis; quorum unum in Chriſtianiſſimi Regis Bibliotheca aſſervatur etiamnum; quodque mihi ante annos circiter quinquaginta legere contigit, dum Pariſiis ſtudiorum cauſſà degebam. Eadem illa in Trinitatem conſarcinata ſophiſmata videre eſt in Actis Pſeudoſynodi Antitrinitariorum anno 1568. habitæ Claudianopoli in Tranſylvania ipſo præſente Tranſylvaniæ Principe, ut infauſta aſpidum ora ſuâ ſuprema auctoritate ac patrocinio reſoveret. Sedebant in ea congregata Synagoga Præſides Georgius Blandrata, & Franciſcus Davidis apud Albam Juliam cum reliquis in ea congregatis; qui univerſa in patrocinium erroris argumenta inter colloquendum adducta publicis actis conſignarunt. Selectiora ego, quantum potero, in hac exercitatione diſpungam. Cætera, quæ Dialecticis ſpinis, ac tribulis ſubrigeſcunt, in ſequentibus refutabo.

Præfantur igitur in primis, ſibique audientiam faciunt inſulſo iſto, atque veſano paralogiſmo, quo priorum Sæculorum de Trinitate Traditionem demoliri ſibi putant. Quæ doctrina, inquiunt, in Orbe vulgata eſt ſtatim poſt Chriſti in Cælos aſcenſum, talia eſt, & anti-

antichriſtiana: ita quippe Paulus ominabatur *Actor. cap.* 20. *Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi: Et ex vobis ipſis exſurgent viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe.* Quin etiam dilectus Apoſtolus inquit *Epiſt.* 1. *cap.* 2. *Antichriſtus venit: nunc Antichriſti multi facti ſunt.* Porro, addunt illi, quæ Perſonarum Trinitatem doctrina prædicat, ſtatim poſt Chriſti aſcenſum in orbe vulgata eſt: falſa itaque, atque antichriſtiana doctrina eſt. Ita plane vaferrimi diſputatores: cumque nos decretorium vindicandæ Trinitatis repetamus argumentum, propterea quòd ſtatim poſt Chriſti aſcenſum a viris Apoſtolicis prædicari cœpta ſit; hinc illi e contrario oppugnandi cauſſam arripiunt, injecta in primos Evangelii Prædicatores erroris accuſatione, atque perfidiæ.

Gratias Superis immortales. Jam ergo fatentes reos habemus, fatentes, inquam, Tranſylvanos doctrinam de Trinitate Perſonarum ſtatim a Chriſti aſcenſu in Orbe chriſtiano fuiſſe prædicatam: perperam igitur hac ſaltem in parte novitatis incuſatur Eccleſia. At, inquiunt illi, quæ ſtatim in Orbe chriſtiano prædicata doctrina eſt, hæc uti falſa, & antichriſtiana ab Apoſtolis Paulo nimirum, & Joanne ſugillatur. Quaſi verò id de omni doctrina etiam ab Apoſtolis, Viriſque apoſtolicis prædicata intelligendum ſit. Si ſic eſt, ſemetipſos, uti fallaces, & Antichriſtos Apoſtoli produnt; univerſaque Religionis Chriſtianæ myſteria certo jure negari poterunt: cum ſtatim poſt Chriſti aſcenſum in Orbe chriſtiano ſint prædicata. Quidni & ipſum Baptiſma pari ratione repudiandum ducunt? Cur Chriſti reſurrectionem, ipſumque ad Cælos aſcenſum tenent? Et Spiritus Sancti in Apoſtolos ſtupendum illapſum? Nonne hæc omnia ab Apoſtolis regreſſo ad Cælos Chriſto Judæis, atque Gentilibus prædicata fuere? Vah veſanam improborum hominum cogitationem!

Quod itaque a Paulo, & Joanne dictum eſt, privata quædam dogmata reſpicit, quæ ſuborti tunc primùm Antichriſti nonnulli prædicarunt, Simon, Cerinthus, Ebion, aliique male feriati tenebriones, qui primo chriſtiani nominis ſæculo in Eccleſiam eruperunt. Inter dogmata igitur initio vulgata ex iis petendum diſcrimen eſt, a quibus primitus prodiere: aliàs eâdem falſitatis notâ omnia laborabunt. Siquæ vero ab iis prædicata fuiſſe conſtiterit, quos prædicandæ veritatis adminiſtros Dominus deſtinavit, ſit ille non ſolùm mente, ſed ſenſu captus oportet, qui hæc uti falſa, & antichriſtiana rejecerit. Jam ad alia properemus. Ea Præfatione præmiſſa, opus aggrediuntur Tranſylvani lepido ſanè ſophiſmate. Attendite, Viri Theologi, ut ingenium demiremini. Unus verus Deus invocari a Fidelibus debet per Filium, Dei & hominum mediatorem: at Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus invocari nequeunt per Filium: aliàs idem per ſe ipſum invocaretur, idemque

ſui

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

ſui ipſius mediator eſſet: Pater itaque, Filius & Spiritus Sanctus ſimul non ſunt unus verus Deus. En Achilæum, ut Hæretici Tranſylvani putant, adverſus Trinitatem argumentum. Quocirca Georgius Blandrata inter recentiores Sabellianos famoſiſſimus in actis Pſeudoſynodi Claudiopolitanæ teſtatur, hoc ſeſe argumentum Calvino Genevæ propoſuiſſe, nec ab illo umquam fuiſſe ſolutum. Hoc idem Petrus Melius Catholicorum eo in congreſſu partes agens a Serveto quoque, & Valentino Gentili Calvino propoſitum narrat, nec tamen ab illo ſolutum. Tantum erat Calvinianæ ſubtilitatis acumen.

Quis verò non videat, purum putumque ſophiſma iſtud eſſe, & variatæ ſuppoſitionis vitio laborare; quo nullum in arte dialectica majus eſt. In majori quippe propoſitione, dum dicitur: *Unus verus Deus*: *τὸ unus verus Deus* non ſupponit communiter pro quacumque Perſona Divina, quaſi quæcumque Perſona Divina per Filium debeat invocari; ſed ſingulariter tantùm ſupponit pro ea Perſona, quæ Pater eſt: hæc enim a nobis invocari per Filium debet. In concluſione verò cum dicitur: *Ergo Pater*: *τὸ unus verus Deus* communiter ſupponit, non ſingulariter.

Sed age, & miſſis Dialecticæ regulis alia ratione ac via enervemus illum Socininianum Achillem. Unus verus Deus, inquiunt argutatores, invocari a fidelibus debet per Filium, mediatorem Dei, & hominum. Bene eſt. At dum ſubjungunt: *Sed Pater & Filius & Spiritus Sanctus invocari non poſſunt per Filium, aliàs Filius per Filium invocaretur, quod eſt prorſus abſurdum*; mera æquivocatio illa eſt, quæ facilè ſolvitur, ſi dicamus, Filium, ut ſubſiſtit in Divina Natura, unà ſimul cum Patre & Spiritu Sancto invocari per Filium ipſum, ut in humana Natura ſubſiſtit. Quod utique tam parum repugnat, quàm non repugnat, Filium in aſſumpta Natura mediatoris officio functum eſſe, nedum apud Patrem & Spiritum Sanctum, ſed apud ſemetipſum, ut in Divina ſubſiſtentem Natura: quæ certa eſt Patrum doctrina; Irenæi *lib.* 3. *adverſus hæreſes cap.* 20. Cirilli *lib.* 12. *Theſau. cap.* 10. Chryſoſtomi *Homil.* 7. *in Epiſt.* 1. *ad Timoth.* Auguſtini *lib.* 9. *de Civit. Dei cap.* 15. aliorumque plurium SS. Patrum, quos hic recenſere longum eſſet.

Nec eſt, quod obtrudant importuniùs Sociniani, media ab utroque, ut ajunt, extremo debere diſtingui. Sit ita profectò ſi volunt: at Chriſtus ab utroque etiam extremo ſecernitur, cum is Deus ſimul & Homo ſit; nullum vero extremorum utroque ſimul titulo potiatur; neutrum utramque ſimul Divinam, & humanam Naturam habeat.

Urgent tamen illi multo validiùs, & quidem argumento ex ipſa Dei

Dei Natura petito. Si plures, inquiunt illi, Perſonæ Divinæ ſunt, & quidem re ipſa inter ſeſe diſtinctæ, nulla illarum erit ſimpliciter, & infinite perfecta. Si etenim diſtinguuntur Perſonæ, utique diſtinguuntur per aliquam perfectionem, quæ ita eſt in una Perſona, ut non ſit in alia; atque ita unaquæque carebit ea perfectione, quæ reperitur in altera; Deuſque iccirco non erit: nec enim Deus poteſt aliqua perfectione carere.

Huic argumento vim addit Doctoris Angelici ratiocinatio, qua Politheiſmum, ſeu pluralitatem Deorum oppugnat 1. *part. quæſt.* 11. *ar.* 3. Si enim, inquit ille, plures Dei forent, nullus planè Deus eſſet, quia nullus eſſet infinitè perfectus, utpote quòd quilibet Deorum illorum ea perfectione careret, qua alter ab ipſo diſtingueretur: Quæ ratio mutatis terminis pluribus Perſonis parvo negotio poteſt accommodari; ut eas in Deo non dari demonſtretur.

Ejuſdem pariter futilitatis argumentum eſt iſtud, quod diu multorum Theologorum torſit ingenia; quo pacto fieri tandem poſſit, ut Perſona quælibet Divina infinita gaudeat perfectione; cùm tamen illarum quælibet alterius perfectione perſonali careat. Nec enim Filius Paternitatem habet, nec Pater Filiationem; cum potius ea de cauſſa ſibi invicem opponantur.

Sunt qui nodum hunc diſrumpere mallent, quam diſſolvere, atque iccirco reponunt, proprietates relativas (quarum una ita eſt in una Perſona, ut non ſit in alia) qua ratione relativæ ſunt, nullam perfectionem præſeferre. Qua de re ampla nobis erit ſuo loco dicendi materies, dum quæſtionem hanc ex inſtituto agitabimus. Verùm quia aliam tunc temporis viam inituri ſumus, eamque ſententiam longe eſſe a Doctoris Angelici mente demonſtrabimus; iccirco illud nonnullorum Theologorum ſuffugium nobis occluſum agnoſcimus.

Alii aliò confugiunt, ut nodum extricent: ajunt ſcilicet, unamquamque Perſonam Divinam infinitè perfectam eſſe, etſi una alterius perfectione careat, quia perfectionem habet æquivalentem. Non habet, inquiunt illi, Filius Paternitatem, habet nihilominus Filiationem, quæ tantæ in Filio perfectionis eſt, quantæ in Patre Paternitas; viciſſimque non habet Pater Filiationem, habet nihilominus Paternitatem, quæ tantæ in Patre perfectionis eſt, quantæ in Filio Filiatio; eoque titulo ſunt ambo æquè perfecti. Valeat utcumque poterit ea Reſponſio: non is tamen ego ſum, qui eam magnopere probem. Ad ſalvandam enim infinitam Divinarum Perſonarum perfectionem ſatis, meo quidem judicio, non eſt, ſi habeant unam æquivalentem alteri perfectionem, niſi eamdem omnino habeant.

Quare, eo miſſo reſponſo, repono ego, eſſe unamquamque Perſonam

ſonam ſimpliciter infinitam, habentemque unamquamque totam alterius perfectionem, non quatenus invicem opponuntur Perſonæ, ſed quatenus in Natura ſunt unum. Non habet itaque Pater, ut Pater eſt, Filiationem; neque Filius, ut Filius eſt, Paternitatem; uterque tamen eamdem perfectionem habet, ut Deus eſt. Quare tametſi ea propoſitio ſit falſa: ***Pater eſt Filius:*** & iſta viciſſim: ***Filius eſt Pater;*** utraque tamen iſta veriſſima eſt: ***Pater eſt Deus, qui Filius eſt***: ***Filius eſt Deus, qui Pater eſt***: eoque titulo Perſonæ Divinæ, tametſi invicem ſint a ſe diſtinctæ, ut Perſonæ; ex æquo tamen dicendæ ſunt infinitè perfectæ, quatenus Deus ſunt.

Neque obeſt Doctoris Angelici ratiocinatio, qua plures Deos eſſe non poſſe demonſtrat; quia, ſi plures Dii eſſent, unus illorum alterius perfectione careret. Stat enim inconcuſſa illa ratio; quia diverſa hypoteſis illa eſt: etenim, ſi plures Dii forent Natura, uti & Perſona diſtincti, unus nullo pacto nullave ratione alterius perfectionem haberet: aſt ubi plures dumtaxat Perſonæ dicuntur eſſe, quarum tamen una ſit eademque Natura, unaquæque Perſona alterius obtinet perfectionem, ſin minus uno titulo, ſaltem altero; hoc eſt, ſin minus vi relationum, per quas opponuntur, ſaltem ratione Naturæ, in qua ſunt unum.

At non ne [inquies fortè] Perſona Divina reduplicative uti Perſona, eſt infinita? Quomodo ergo plures Perſonæ Divinæ eſſe poſſunt, cum duo infinita a ſe invicem diſtincta eſſe nequeant? Reſponſio in promptu eſt: Perſonam Divinam ſcilicet reduplicative uti Perſonam, infinitam eſſe non ſimpliciter, & abſolute; ſed in ordine ſuo, videlicet relativo; cum Divinæ Perſonæ abſolutæ non ſint, ſed relativæ. Ex quo profectò ſequitur, plures Perſonas ejuſdem ordinis relativi eſſe non poſſe; e. g. non plures Patres, non plures Filios: quamquam præter Perſonam unius ordinis relativi altera alterius ordinis relativi eſſe poſſit; hoc eſt præter Patrem poſſit eſſe Filius; præter Patrem & Filium poſſit eſſe Spiritus Sanctus.

Cætera recentium Sabellianorum contra Trinitatem Sophiſmata proſequi non eſt animus; ſed amplam, quæ ſuperſunt, futuræ exercitationis academicæ materiam miniſtrabunt.

PRÆ-

PRÆLECTIO IV.

Reliqua recentium Sabellianorum, ſeu Socinianorum ſophiſmata exſufflantur.

VETUS illa fuit, & a Tertulliano ſæpius objecta Philoſophis, criminatio, Hæreſes omnes a Philoſophia ſuboriri. Quod a me, ſi umquam aliàs in Hæreſum confutatione notatum eſt, id præſenti potiſſimùm Diſertatione, dum de Socinianorum argutiis refellendis ago, fatali experimento comprobatum fateri meritò poſſum. Id enim præ cæteris quibuſvis Hæreticis in recentioribus Sabellianis, ſeu Socinianis obſervare eſt, quòd cum alii veritatis hoſtes Ariſtotelicæ Philoſophiæ præſidium identidem implorarint; iſti in oppugnando Trinitatis Myſterio vires ſuas omnes, momenta rationum omnino ſingula eo ex fonte unicè derivarint. Quo fit, ut dum hodie ad illorum confutandas argutias ex hocce Theologico Suggeſtu dicere debeo, non tam Theologi, quàm Philoſophi, imò Dialectici perſonam induere cogar. Induam tamen non illibenter, cum adimplendi officii ratio poſtulet. Adeſte igitur animis, & attenta mentis acie Socinianæ ſubtilitatis acumen diligentiùs obſervate. Hocce paralogiſmo Trinitatis Myſterium ſtatim pulſant: Unus verus Deus eſt Pater Jeſus Chriſti; at Pater, Filius, Spiritus Sanctus non eſt Pater Jeſus Chriſti; aliàs Chriſtus Spiritum Sanctum, imò & ſe ipſum Patrem haberet: non igitur Pater Filius, & Spiritus Sanctus eſt unus verus Deus.

Quis, rogo vos, paralogiſmum iſtum ludis, ac cachinnis omnibus non excipiat; in quo quidem variatur ſuppoſitio? *Unus verus Deus eſt Pater Jeſu Chriſti*: ſic ſanè verum; non Deus, ut communiter ſupponit pro quacumque perſona, quæ in Divina Natura ſubſiſtit; ſed Deus dumtaxat, ut ſingulariter ſupponit pro determinata Perſona, quæ in Divinis Pater eſt. Quemadmodum & hoc argumentum abſonum eſſet ob ſuppoſitionis variationem: *Verus homo eſt Pater Alexandri Magni*; *at Cæſar non eſt Pater Alexandri Magni*; *ergo Cæſar non eſt verus homo*. Abſona planè conſequutio illa eſt; quia in majori propoſitione: *Verus homo eſt Pater Alexandri Magni*, communiter pro quocumque homine non ſupponit, quaſi quicumque verus homo eſt, Alexandri Pater eſſe debeat; ſed pro uno dumtaxat homine ſupponit, Philippo ſcilicet Macedonum Rege.

Pergunt ſubtiliſſimi Theologaſtri: Pater, Filius, & Spiritus San-

Digitized by Google

ctus ſunt alius, alius, & alius, ſecundum Eccleſiæ Romanæ profeſſionem : at Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus Sanctus eſt Deus : igitur Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſunt alius, alius, alius Deus; adeoque Deus unus non ſunt, ſed tres omnino.

Verùm non advertunt imprudentes, variari etiam hìc apertiſſimè ſuppoſitionem. In majori quippe propoſitione, dum dicitur : *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt alius, alius, & alius*; τὸ *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus* pro Perſonis dumtaxat ſupponunt, quatenus relationis proprietatibus diſtinguuntur : hoc enim dumtaxat ſenſu ſunt alius, alius, & alius : In minori verò propoſitione dum additur : *Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus Sanctus eſt Deus*, pro iiſdem ſupponunt, non quatenus invicem opponuntur, & diſtinguuntur; ſed quatenus in Natura, & Eſſentia ſunt unum. Non enim habent, quòd Deus ſint, niſi ratione Naturæ, & Eſſentiæ, quæ in in illis eſt una. Difficultatem ita ſolvit Doctor Angelicus 1. *part. quæſt.* 31. *artic.* 3.

Mirari verò ſubit, Calvinum adeo tardioris Minervæ fuiſſe, ut hoc ſibi quondam aliàs a Georgio Blandrata propoſitum argumentum enodare nequiverit. Sed hoc fuit juſti Dei vindicis alta profunditas, ut qui Theologiam Scholaſticam flocci fecerat, profanæ Philoſophiæ laqueis caperetur. Quamobrem vos monitos volo, quotquot adeſtis ſtudioſi Juvenes, ne tantum recenti Divinæ Scientiæ addiſcendæ methodo concedatis, ut Scholaſticam penitus contemnendam, ac procul penes Indos, & Garamantas relegandam putetis.

Sed Sophiſtas noſtros nec vel momento dimittamus. Urgent illi porro, ſicque argumentantur : Quidquid in Deo eſt, eſt de intrinſeca ratione Eſſentiæ Divinæ; ſed Trinitas Perſonarum non eſt de intrinſeca ratione Eſſentiæ Divinæ : ergo Trinitas Perſonarum in Deo non eſt. Minorem ſic probant : Si Trinitas Perſonarum eſſet de intrinſeca ratione Eſſentiæ Divinæ, de quocumque prædicatur Eſſentia Divina, prædicaretur & Trinitas : uti planè de quocumque prædicatur Humanitas, prædicatur & Rationalitas; quia Rationalitas eſt de intrinſeca ratione Humanitatis : ſed de quocumque prædicatur Eſſentia Divina, de eo tamen non prædicatur Trinitas Perſonarum; e. g. de Patre prædicatur Eſſentia Divina dum dicimus : *Pater eſt eſſentialiter Deus*; de quo tamen non prædicatur Trinitas Perſonarum : quandoquidem non dicimus : *Pater eſt Trinitas*.

Nos nihil iſta moramur. Damus ultro citroque concedimus, nihil in Deo eſſe, quod non ſit de intrinſeca ratione Eſſentiæ Divinæ : Dicimus tamen, quod, ut ſit de Eſſentia Divina, neceſſe non eſt, ut de quocumque prædicatur Eſſentia Divina, prædicetur & Trinitas explicitè, atque directè; ſed ſatis eſt, ſi indirectè, & implicitè prædicetur. Ita porro ſe habet res in præſentia:

tia: quamquam enim dici non poſſit: *Pater eſt Trinitas*; dici tamen poteſt, ac debet: *Pater eſt Deus, qui Trinitas Perſonarum eſt*.

Stant nihilominus in incerto Sociniani, nec deſpondent animos; ſed copias ſuas hoc argumento rurſus inſtaurant inter omnia decantatiſſimo, ex Logicis Inſtitutionibus delibato. Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe; ſed Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſunt idem cum tertio, nimirum cum Eſſentia Divina, a qua minimè diſtinguuntur: ſunt igitur idem inter ſe; nec idcirco reapſe a ſe invicem diſtinguuntur. Quod quidem altero argumento confirmant, quod expoſitorium Dialectici vocant: Hic Pater eſt hic Deus; hic Deus eſt hic Filius; ergo hic Pater eſt hic Filius: atque ita inter Perſonas nulla eſt re ipſa diſtinctio.

At telum hoc rubigine obtectum penitus fateri neceſſum eſt. Principii namque hujuſce Dialectici, quo tota ſuperſtruitur ars ſyllogiſtica, triplicem expoſitionem Theologi proferunt. Primam: Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe, ſi ſint eadem uni tertio tam re, quàm ratione; non ſi re tantùm ſint eadem, minimè verò ratione; uti exemplo actionis, & paſſionis compertum eſt: Actio enim, & paſſio ſunt idem in motu, nec tamen ſunt idem inter ſe; quia re tantùm, non ratione in motu ſunt idem. Porro Perſonæ Divinæ, tametſi re ipſa cum Eſſentia ſint idem, non ita tamen ratione. Ita planè Divus Thomas 1. *part. quæſt.* 28. *artic.* 3. ad 1.

Alteram addit ſubtiliſſimus Cajetanus: Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe ſecundùm eamdem rationem, ſecundùm quam ſunt idem in uno tertio; non verò ſecundùm aliam rationem. Jam verò Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſunt idem in Eſſentia Divina ſecundùm rationes abſolutas, quas important; non ſecundum relativas: igitur & inter ſe ſunt unum ſecundùm abſolutas, non verò ſecundùm relativas rationes.

Tertiam ſubjunxerim ego: Quæ ſunt eadem uni tertio finito, & limitato, ſunt eadem inter ſe; non quæ ſunt eadem uni tertio illimitato, & infinito, & pluribus realiter diſtinctis communicabili; qualis profectò eſt Eſſentia Divina. Id ſimilitudine accommodatiſſima illuſtratur: Quæ ſimul præſentia ſunt uni tertio, ſunt ſibi invicem præſentia, dum tertium illud finitum, ac limitatum locum occupat; ſecus ſi tertium illud infinitum locum occuparet. Nec enim e. g. quæ præſentia forent corpori infinito, ſibi invicem præſentia forent: neque res omnes temporaneæ per varia intervalla temporum exiſtentes propterea ſibi invi-

 cem

cem præſentes ſunt; quamquam omnes ſint æternitati præſentes; quia æternitas duratio infinita eſt, omnium temporum differentias complectens, imo ſuperans univerſas. Cum itaque Divina Eſſentia infinita ſit, atque illimitata, pluribus re ipſa diſtinctis communicabilis, poſſunt plures perſonæ eidem realiter identificari, tametſi inter ſeſe diſtinctæ maneant.

Quod porro ſubjungunt Sociniani argumentum expoſitorium, ludicrum omnino eſt. Argumenti enim expoſitorii legem hanc Dialectici ſtatuunt, ut nullus in eo terminus communis, aut univerſalis occurrat: e. g. Argumentum hoc verè expoſitorium eſt: hoc artefactum eſt lignum, hoc lignum eſt ſcamnum; igitur hoc artefactum eſt ſcamnum: ſunt enim omnes termini ſingulares; verùm dum dicitur: *hic Pater eſt hic Deus*; *hic Deus eſt hic Filius*; ergo *hic Pater eſt hic Filius*; τὸ *hic Deus* eſt terminus communis; totaque idcirco ruit argumenti moles.

A Logicis ad Metaphiſica greſſum faciunt Trinitatis hoſtes: Metaphiſicæ principium eſt, Perſonam reddere Naturam individuam, alteri Perſonæ ſeu Suppoſito incommunicabilem: itaque ſi Pater Perſona eſt, Naturam ſuam individuam non poteſt alteri Perſonæ, Filio nimirum, ac Spiritui Sancto communicare: quid ergo Trinitatis Myſterium?

At nec illi acutiores Metaphiſicos, quàm Dialecticos ſeſe exhibent: Perſona enim naturam individuam reddit incommunicabilem juxta modum perſonalitatis; adeo ut ſi Perſonalitas abſoluta ſit, naturam faciat alteri abſolutè incommunicabilem; ſi verò ſit Perſonalitas relativa, naturam incommunicabilem facit in eadem linea relationis; etſi in altera relationis linea poſſit utique communicari. Sic ergo Pater æternus, quia Perſona eſt relativa, non poteſt Naturam alteri Patri communicare; poteſt tamen Filio, qui in alio eſt ordine relationis.

Verùm reponunt illi; Quid aliud apud Metaphyſicos notat Perſonæ nomen, quàm naturæ rationalis individuam ſubſtantiam? & certè Pater, ut Pater, cum accidens non ſonet, neceſſariò ſubſtantiam ſonat. Si ergo Filius eſt alia Perſona a Patre, erit quoque alia ſubſtantia: atque idcirco conſubſtantialis Patri dici non poterit; ac ſic quoque ruit Myſterium Trinitatis.

At nodum illi in ſcirpo quærunt: nec enim Viri Theologi deſunt, qui tres in Deo ſubſtantias agnoſcere non reformident, ſi ſubſtantiæ nomine ſubſiſtentia intelligatur. Cæterùm quia id admittere reformidabat olim D. Auguſtinus, ne Arianis præberet calumniæ cauſſam *lib.* 5. *de Trinit. cap.* 8. & 9. idcirco alteram ſolutionis viam inire ſatius eſt. Dicendum itaque, Perſonam in Divinis abſolutam non eſſe, ſed relativam, adeoque ſubſtantiam di-

cere

cere non abſolutè, atque ſimpliciter, ſed ſubſtantiam cum determinato, ut ajunt, relationis modo. Quapropter conſequens non eſt, tres in Deo dari ſubſtantias, quia tres in Deo dantur Perſonæ; ſed ſubſtantiam omnino unam cum alio tamen, & alio relationis modo.

Urgent illi tamen, eâque Triade Perſonarum, quarum una procedat ex alia, Divini Numinis ideam everti contendunt. Quid enim, (inquiunt illi) Dei nomine venit in mentem, niſi ens a ſe, ens primum, quod ab alio nullo eſſe poteſt? Jam ſi ita eſt, (inquiunt) qua tandem ratione Filius, & Spiritus Sanctus Deus erunt, ſi a Patre ſpiratione, & generatione procedunt?

Gerræ profectò, gerræ, eæque vaniſſimæ. Quamquam enim Deus abſolutè, & ſimpliciter ſumptus omni prorſus modo ſit ens a ſe, adeo ut a nullo poſſit eſſe, ſeu tamquam a cauſſa, ſeu tamquam a principio; relativè tamen, & reſtrictive acceptus, ſeu Deus Filius, & Deus Spiritus Sanctus ab alio poteſt eſſe, ſin minus ut a cauſſa, at ſaltem ut a principio eamdem Naturam communicante: quia ſic nulla eſt dependentia Perſonæ procedentis: uti planè Attributa Divina, quæ Deus ipſe ſunt, ab Eſſentia Divina, tamquam a cauſſa virtuali abſque ulla dependentia promanant.

Solutis jam præcipuis Socinianorum ſophiſmatibus, quibus Trinitatis Myſterium, ac in eo maximè Perſonarum diſtinctionem impetere ſoliti ſunt; diſpendium operæ faciam, ſi inſolutam prætermiſerim quorumdam recentium Theologorum argutiam, qua non ipſam quidem Divinarum Perſonarum diſtinctionem oppugnant (id enim Catholicus nullus Theologus attentavit) ſed rationem D. Thomæ, veterumque Theologorum, qua eam Divinarum Perſonarum diſtinctionem communiter probant, futilitatis arguere moliuntur. Ita porro illi ſibi videntur ſubtiliter diſputare. Idcirco maximè probat Doctor Angelicus, Perſonas Divinas re ipſa inter ſeſe diſtinctas eſſe, quia inter ſeſe relativè opponuntur; at ratio illa caſſa prorſus, futiliſque omnino eſt: oppoſitio enim relativa eſt omnium minima, uti vice verſa oppoſitio contradictoria eſt omnium maxima.

Optandum tamen, ut qui miſera illa argutia D. Thomæ, omniumque veterum Theologorum rationem vellicare, atque infringere aggrediuntur, dialecticas inſtitutiones pauld diligentiùs evolviſſent. Obſervaſſent enim qualemcumque oppoſitionem inducere diſtinctionem extremorum inter quæ datur; ita tamen, ut ea diſtinctio in eo ſit ordine rerum, in quo eſt oppoſitio; hoc eſt; ſi oppoſitio ſit in re ipſa, diſtinctionem realem inferat extremorum oppo-

oppoſitorum; ſi ſit in mente dumtaxat, diſtinctionem ſolùm mentalem, ſeu rationis inducat.

Aſſerta nunc, ac probè vindicata Divinarum Perſonarum inter ſeſe diſtinctione, quo Capite Myſterii Trinitatis pars prima ſita eſt, reliquum eſt, ut earumdem Divinarum Perſonarum conſubſtantialitatem, ſeu Naturæ, ut Schola loquitur, identitatem, quo Capite pars hujuſce Myſterii altera poſita eſt, aſſeramus, ac vindicemus. Quapropter de Filii cum æterno Patre conſubſtantialitate adverſus Hæreſim Arianam in ſequentibus diſputationibus diſceptabimus.

PRÆ-

PRÆLECTIO V.

Dei Filii cum æterno Patre conſubſtantialitas adverſus Arianos aſſeritur, propugnatur.

TAMETSI demonſtrata in ſuperioribus Diſertationibus Chriſti Domini, ac Dei Filii Divinitate, ejuſdem cum æterno Patre conſubſtantialitas aſſerta quoque, atque probata videri poſſit; quandoquidem duos Natura, atque ſubſtantia diſtinctos Deos eſſe impoſſibile eſt; fuit tamen quorumdam audacia (ut hoc quoque argumenti genus paulò diſtinctiùs tractaremus) qui cum Filii Divinitatem tot Scripturarum Oraculis aſſertam fateri vel inviti cogerentur, Divinitatem novo portento partiti ſunt; unamque Patri particulam, alteram Filio deputarunt. Quos data opera exagitat D. Auguſtinus *lib. de Hæreſ.* Divinitatis gradus, neſcio quos, fabricati ſunt alii; altioremque Patri, inferiorem Filio aſſignarunt. Quæ fabularum portenta, tametſi multiplici argumentorum varietate confutari facilè poſſent; nos illud unum in præſentiarum arripimus, quod inſtitutæ adverſus Arianos diſputationis maximè proprium eſt: illud, inquam, quo Filium conſubſtantialem Patri demonſtrabimus, prolatis Scripturarum teſtimoniis longè multis. Ad rem igitur, ne plus æquo in præludiis immoremur.

In hoc genere teſtimoniorum, conſubſtantialitatem Filii cum æterno Patre comprobantium, illuſtre admodum, ac prorſus invictum illud eſt, quod extat *cap. 2. Epiſt. ad Philip.* ubi de Chriſto ſic Apoſtolus loquitur: *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens.* Quo loco triplici ex capite Chriſti Divinitas, ejuſdemque cum æterno Patre æqualitas, & conſubſtantialitas demonſtrantur: Primò; quia Chriſtus eſſe dicitur in forma Dei; hoc eſt, in Natura Divina ſubſiſtens: ſic enim communiter Patres interpretantur. Secundò; quia ſine rapina, hoc eſt, ſine rei alienæ uſurpatione, æqualem ſe Deo Patri exiſtimavit. Tertiò; quia ſemetipſum exinanivit Servi formam accipiendo; ſi enim Chriſtus nihil præter humanum habuiſſet, Servi formam abſque ſui innanitione induiſſet; cum creatura quælibet nativa ſui ſorte Dei ſerva ſit. Et en, niſi mea me fallat opinio, abſolutiſſimam conſubſtantialitatis Chriſti cum Deo Patre probationem.

Ea tamen extitit veterum, ac recentium Arianorum audacia, ut

Digitized by Google

ut ex hoc ipſo Apoſtoli teſtimonio probare contra niterentur, non eſſe Filium æterno Patri coæqualem, atque conſubſtantialem. Contendebant enim veteres Ariani (apud S. Auguſtinum *lib. 2. contra Maximinum cap. 5.*) ac ſubinde Servetus *lib. 2. de Trinit.* nec non Miniſtri Tranſylvani *lib. 2. cap. 6.* Pauli verba in hunc ſenſum eſſe flectenda: *Qui cum in forma Dei eſſet*; hoc eſt, in forma externa ob mirabilium ſcilicet operum patrationem omnibus conſpicua; *non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo*; hoc eſt: non rapiendam arbitratus eſt æqualitatem cum Deo, ſeu non eſt arbitratus, ſe propterea Deo æqualem eſſe; quod rapinæ genus fuiſſet; *ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens*, quam ſcilicet ſuæ conditioni, & ſorti unicè debitam agnoſcebat. Cui interpretationi Eraſmus quoque ſubſcribit pro ſua in Sectam Arianam propenſione.

Ne porro ſine quodam magni nominis ſuffragatore horrendum adeo portentum obtrudant, decantant neſcio quid ex Tertulliano, ut ajunt ipſi, *lib. de Trinit.* ubi ait: quod *quamvis* (Chriſtus) *ſe ex Deo Patre Deum eſſe meminiſſet, numquam ſe Deo Patri aut comparavit, aut contulit.*

At vaniſſimis hiſce, corruptiſſimiſque interpretibus cum Auguſtino reponere liceat: *Mira ſunt, quæ dicitis; nova ſunt quæ dicitis; falſa ſunt, quæ dicitis; mira ſtupemus; nova cavemus; falſa convincimus.* Mira, inquam, illa ſunt. Quis etenim non miretur, nefarios homines illos Scripturæ verba violare, falſare, corrumpere, ut ſuis illam ſenſibus accommodent? Cum enim dicat Apoſtolus: *Chriſtus non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo*; quo planè ad literam ſignificatur, Chriſtum non arbitratum eſſe, ſe rapinam admiſſurum, ſi ſe Deo Patri æqualem exhiberet, cum re ipſa talis ſit; iſti eo violato Scripturæ contextu, e contrario legunt, non rapiendam arbitratus eſt æqualitatem cum Deo; quaſi verò non ſint illæ phraſes oppoſitæ. Quàm meritò igitur ſacrilegis illis corruptoribus diceret Paulus Apoſtolus, quod aliàs Auguſtinus Pelagio reponebat: *Crede verba mea, & evaneſcat calumnia tua.*

Nec minus nova eſt altera hujuſce interpretationis laſcivia, Chriſtum externam dumtaxat Dei formam habuiſſe ob mirabilium operum patrationem, ut de hac ſola loquutus Apoſtolus intelligatur dum ait: *qui cum in forma Dei eſſet*: De interna videlicet ſubſtantiali forma, quæ veram, propriamque Divinæ Naturæ communionem ſecum ferat, interpretantur priſci Eccleſiæ Patres, Athanaſius, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Ambroſius, Cyrillus, Hieronymus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Hilarius; quos meliores interpretes novimus, quàm quoſcumque Socinianos, vel Arianos.

Sed

Sed & falſa illa perinde, ac nova interpretatio eſſe convincitur. Eodem quippe ſenſu Dei formam Chriſto tribuit Apoſtolus, quo ſervi, hoc eſt hominis, formam. Quis verò ita deſipiat, ut Chriſto externam dumtaxat Humanitatis formam, non veram ipſam hominis Naturam adſcribat? Deindè Chriſtum in Dei forma fuiſſe ait Apoſtolus antequam formam ſervi acciperet: *cum in forma Dei eſſet, formam ſervi accepit*: Sed antequam ſervi, ſeu hominis formam acciperet, non poterat eſſe in externa illa Dei forma per mirabilium operum patrationem; cum antequam eſſet homo, miracula nulla patraverit, quibus externam illam Dei formam acquireret: erat igitur in interna propriaque Dei forma, ſeu in Divina Natura ſubſiſtebat; atque ita Deus perinde uti Pater, erat. Perperam verò nobis Tertulliani auctoritatem obtrudunt, *lib. de Trinit.* Nec enim Tertulliani liber ille eſt, ſed Novatiani Hæretici, uti criticæ ſcientiæ periti probant divi Hieronymi teſtimonio *lib. 2. contra Ruffinum*, & *lib. de Scriptoribus Eccleſiaſt.* imo nec Tertulliani liber ille eſſe poteſt; cum in eo Sabelliani data opera confutentur, quos diu poſt Tertullianum exortos eſſe, nemo neſcit. Quamquam tamen ſi penitius perpendatur, qui ex eo libro locus objicitur, Filii cum Patre conſubſtantialitatem nequaquam oppugnat; imo potius adſtruit: cum illud ex Deo Patre Deum eſſe ſignificet: ſed id unum innuit, *Chriſtum Dei Filium numquam ſe Patri comparaſſe, aut cum illo ſe contuliſſe*; videlicet quo ad dignitatem principii proceſſionis, Patri ſingularem, ac propriam; qua nempe ſecundum humanum concipiendi modum Pater cenſeri quodammodo poteſt Filio major, ordine videlicet proceſſionis, non Naturæ dignitate: uti in ſequentibus ex Patrum ſententia confirmabimus.

Huic inconcuſſo, & ab omni Arianorum cavillatione vindicato teſtimonio, ut Filii Divinitas, ejuſdemque cum æterno Patre conſubſtantialitas comprobetur, ſimillimum alterum accedit *Joan. cap.* 5. momentum, ubi uſque adeo Chriſtus ſe æterno Patri æqualem prædicavit, ut ob id ipſum a Judæis ad necem quæſitus ſit: *quærebant*, inquit Evangeliſta, *Judæi eum interficere, quia non ſolum ſolvebat Sabbathum; ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo*. Quod alteri ejuſdem Evangeliſtæ teſtimonio geminum eſt, *cap.* 10. ubi narrat; Chriſtum lapidibus oppetendum fuiſſe ab iiſdem Judæis, quòd ſe Deum feciſſet; unde illos ità Chriſtum alloquentes inducit: *de bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia: quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum*. Quid iis amabò teſtimoniis diſertius, ut Chriſtum Divinitatem, & cum æterno Patre æqualitatem ſibi vindicaſſe demonſtretur?

At hæc nihilominus ſolita dicacitate teſtimonia cavillantur blaſ-

phemi obtrectatores Sociniani. Inquiunt etenim, eam quidem Judæorum de Chriſto fuiſſe opinionem, quòd ille Dei æqualitatem ambiviſſet, Deique titulum eſſet æmulatus; quamvis tamen longè aliter ille de ſe ipſo ſentiret. Porro ex Judæorum de Chriſti opinione efficax aliquod repeti nequit argumentum. Et verò, ſubjungunt illi, Chriſtum ad necem Judæi quærebant duplici de cauſſa : tum quia ſolveret Sabbathum; tum quia æqualem ſe Deo faceret : Porro falſa erat hæc de Chriſto Judæorum opinio, quòd Sabbathum a Moyſe religioſe præceptum ſolviſſet ille : quid ni & falsò pariter ſint opinati, eum ſibi Divinitatem arrogaſſe?

Verum, inquio ego ex oppoſito, ſi ea Judæorum de Chriſto exiſtimatio (quòd ſcilicet eſſe Deum ſeſe, ac Dei Filium prædicaſſet) falſa erat, cur eam Chriſtus non illico retudit? Quoties enim falſa de ipſo Judæorum animos ſubibat opinio, hanc ille protinus repellebat. Cur impactam calumniam non illico repulit? Cur eis videri maluit Divinitatis prædo, ac Divinorum titulorum æmulator? Cur ad mortem ſe peti paſſus eſt, quòd ſeſe Filium Dei feciſſet, ſi id ab ejus animo procul erat? Sic etenim Judæi clamabant : *nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit. Joannis cap.* 19. Cur interroganti Caiphæ : *tu es Chriſtus Filius Dei benedicti?* perfracte reſpondit : *ego ſum.* (*Marci cap.* 14.) Vera igitur erat hæc de Chriſto Judæorum opinio, quòd & verus Deus, Deique Filius haberi vellet. Porro ſi vera erat, atque ab ipſomet Chriſto comprobata, cur non ex ea efficax repetamus argumentum? Diſſimilis longè erat altera de Sabbathi per Chriſtum violatione Judæorum exiſtimatio. Eam quippe toties diſſipavit ille, quoties hanc ei calumniam irrogarunt; multiſque probavit, non idcirco violari a ſe ſabbathum, quòd in eo aut miracula ederet, aut opera miſericordiæ exerceret. Fruſtra igitur eo ſe ſcuto tegunt recentes Ariani, ut telum iſtud effugiant.

Accedit illud demum *ex cap.* 10. Joannis celebratiſſimum, atque luculentiſſimum teſtimonium, quo Charybdim ſimul, & Scyllam vitari monet Auguſtinus *Tract. 36. in Joannem : ego* (inquit Chriſtus apud Joannem) *& Pater unum ſumus :* quo Oraculo ab Arii, & Sabellii erroribus æquo jure liberamur. Si enim Patris, & Filii eſſet una Perſona, ut ajebat Sabellius, non diceret Chriſtus Dominus : *ego & Pater ſumus.* Si non eſſet una Natura, ut ajebat Arius, non diceret Chriſtus Dominus *ſumus unum*; quod unitatem Naturæ ſonat.

Preſto eſt Arianorum reſponſio; id a Chriſto Domino de affectuum, non de Naturæ unitate dictum eſſe. Decantatiſſima, atque omnibus obvia reſponſio a veteribus Arianis olim allata, & a recentioribus Tranſylvanis, Servetianis, Socinianis non recocta modò,

ſed

Digitized by Google

ſed ad nauſeam uſque venditata. Quantum autem a veritate ſit aliena, multa demonſtrant. Enim verò uſque adeo perſpicuum eſt, Chriſtum hoc loco de Naturæ unitate, atque conſubſtantialitate fuiſſe loquutum, dum ait *: ego, & Pater unum ſumus*; non de unitate affectuum; ut Judæi ipſi, quantumvis animo rudes, id facilè perceperint, eumque idcirco lapidibus oppetere voluerint, quòd ſibi eo verbo Divinitatem arrogaſſet. Cum etenim dixiſſet Chriſtus : *ego & Pater unum ſumus;* illico *ſuſtulerunt* (inquit Evangeliſta) *lapides Judæi, ut lapidarent eum;* addideruntque : *de bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia; quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum*. Eo itaque verbo ſe unum cum Patre Deum eſſe ſignificavit unitate Naturæ. Quo circa Arianos lepidè carpit Auguſtinus : *Ecce Judæi intelligunt, quod non intelligunt Ariani:* Chriſtum ſcilicet eo verbo ſibi Divinitatem tribuiſſe, eamdemque cum Patre Naturam, atque ſubſtantiam. Quin etiam Chriſtus ipſe propoſitionis hujuſce ſenſum aperuit, dum Judæorum furorem ſedaturus, non mirandum eſſe inquit, quod ſeſe Filium Dei nominaſſet : *Vos diciris* : *Quia blaſphemas* : *quia dixi, Filius Dei ſum?* Idem eſt igitur, Chriſto ipſo interprete, *ego & Pater unum ſumus*, ac *Filius Dei ſum*. Unitas igitur Naturæ, non affectuum duntaxat verbis illis expreſſa eſt. Sed nec illud omittendum, quod Athanaſius *Orat. 4. contra Arianos* obſervat, juſtos omnes piæ voluntatis affectu, atque concordia unum eſſe cum Deo, nec tamen idcirco juſtum nullum inventum eſſe, cujus ex ore vox illa prodierit: *ego & Pater unum ſumus*. Quidpiam itaque multò altius, multò dignius ſonat illa Chriſti Domini celeberrima vox. His momentis coronidem imponet obſervatio longè graviſſima, ex qua argumentum ad hominem adverſus Arianos petere liceat. Æternitatem uni vero Deo ita propriam Ariani quique ſeu veteres, ſeu recentiores eſſe volunt, ut qua perfidia Filio conſubſtantialitatem cum Patre negant, eidem quoque æternitatem eripiant. Hinc Chriſtum antequam in utero Virginis homo fieret, nullatenus extitiſſe palam apertèque contendebant. Hinc illud apud eos volitabat axioma decantatiſſimum : *erat aliquando, quando non erat* : hoc eſt, tempus erat, quo necdum Chriſtus ullo pacto erat. Si ergo palam oſtendero, Chriſtum Dominum diu antequam utero Virgineo conciperetur, imo ante mundi conſtitutionem, atque ex ipſa æternitate ſubſtitiſſe re ipſa; an non argumento erit, Deum æternoque Patri conſubſtantialem eſſe? Id porro per gradus oſtendo. Imprimis Chriſtum Dei Filium diu ante extitiſſe, quàm mundo illuceſceret, evincit, quod de ſe ipſo (*Joan. cap.* 8.) inquiebat : *antequam Abraham fieret, ego ſum*. Erat itaque antequam utero Virgineo conciperetur; longe quippe poſt Abraham conceptus eſt homo. Sed & altiùs originem ſuam petit Chriſtus

Joann. 17. ubi paſſioni proximus ita Deum Patrem adprecabatur: *Nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum claritate, quam habui priuſquam mundus eſſet, apud te:* cui concinens Præcurſor ſanctiſſimus Judæis identidem prædicabat: *qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt; Joann.* 1. Paulus quoque *ad Coloſſenſes* 1. *omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt: & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.* Erat ergo Chriſtus ſecundum Perſonam ex ipſa æternitate, atque ita Deus, æternoque Patri conſubſtantialis.

Quid plura? Creandi vim, atque potentiam uni vero Deo propriam perinde fatebantur Ariani, fatentur & hodie Sociniani; Mundumque hunc Univerſum nonniſi a vero Deo conditum profitentur. Si ergo Chriſtum oſtendero Mundi conditorem, an non argumento velut a poſteriori, & ad hominem, Deum illum evincam? Id porro vel uno teſtimonio faciam manifeſtum, ut cætera mittam propemodum infinita: *in ipſo* (inquit Apoſt. *ad Coloſſenſes cap.* 1.) *condita ſunt univerſa in Cælis, & in terra, viſibilia, & inviſibilia, ſive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates. Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt.* Stat ergo Chriſti Divinitas, ejuſdemque cum æterno Patre conſubſtantialitas ex Sacris Literis omni momentorum genere demonſtrata. In ſequenti Chriſti Dei Filii Divinitatem ex ipſomet Chriſtiani nominis hoſtium teſtimonio vindicabimus.

PRÆ-

PRÆLECTIO VI.

Chriſti Æterni Patris Filii Divinitas ipſorum etiam Gentilium, & Judæorum, Chriſtiani nominis hoſtium, teſtimonio comprobatur.

QUOD Chriſti Divinitatem Sacrarum Scripturarum Oraculis hactenus comprobatam, nunc tandem Chriſtiani nominis hoſtium, Gentilium ſcilicet, Judæorumque teſtificatione confirmare aggrediar, facit maximè D. Auguſtini monitum ſapientiſſimum *lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 40. ſi qua fortè vera, & Fidei noſtre accommodata dixerunt, maximè Platonici, non ſolùm formidanda non ſunt, ſed ab eis tamquam injuſtis poſſeſſoribus in uſum noſtrum vindicanda*. Et ſanè ſi quid hoſtibus noſtris inſtituto noſtro percommodum excidit, quid ni quæſo id ego confeſtim arripiam; & ad augendas Eccleſiæ Catholicæ vires uſurpem? Neque enim Sacræ Theologiæ Tractatorum in Scholis, quàm litigantium in Foro iniquior conditio debet eſſe; quibus extortum ex adverſa parte ſuffragium tuendæ cauſſæ plus prodeſt, quam ab amico delibatum. Nemo itaque me reprehendat, ſi quam adverſus Arianos litem jampridem inſtruxi, noſtrorum etiam hoſtium, Gentilium ſcilicet, Judæorumque auctoritate redintegrare aggrediar. Erit id profectò ſuſceptæ cauſſæ, totique idcirco Eccleſiæ admodum opportunum, ſi in hacce Academica Exercitatione palam oſtendero, Gentiles ipſos Chriſtiano nomini inimicos Fidei noſtræ dediſſe ſuffragium; ſecretiorique Divini Numinis afflatu factum eſſe, ut Chriſti Divinitas, unde tota Catholicæ Religioni virtus ineſt, a Gentilibus etiam, atque Judæis teſtimonium acceperit.

A Gentilium Vatibus, Sybillis ſcilicet ducam exordium; quæ Chriſti Divinitatem ſuis etiam carminibus prædicarunt. Tametſi igitur is ego non ſim, qui imprudenti criterio excipere velim omnia, quæ ſub Sybillarum nomine carmina venditantur, quæque octo libris continentur *Tom.* 1. antiquæ Bibliothecæ Patrum, in quibus infinita propemodum continentur rationi temporum, & Perſonarum conditioni palam, apertèque contraria; ea tamen velut ſpuria amandare, atque contemnere jure non poſſum, quæ a priſcis olim Chriſtianis, primiſque Eccleſiæ Patribus in Religionis Chriſtianæ commendationem laudata, & in ipſos Ethnicos non ſemel a noſtris contorta ſunt.

Imo

Digitized by Google

Imo mirari ſatis nequeo hac noſtra ætate temporum inventos eſſe, qui dicerent, ea carmina Sybillarum pia Chriſtianorum fraude fuiſſe ſuppoſita; ut ea arte Ethnicis illuderent, & Chriſtianam Religionem adverſus illorum calumnias tuerentur. Quaſi vero? Quænam pietas illa eſt, quæ tantum nefas ſuadere priſcis Chriſti Fidelibus potuit? Quinam illi ſunt, qui primi ea Sybillarum carmina tamquam Chriſtianæ Religioni adſaventia, Ethnicis objecerunt? Num fortè ex infima Chriſtianorum plebe homunculi, ſcituli, blaterones, bambaliones, nugivendi? Imo viri fuere eruditione, atque doctrina præcipui, Religionis Chriſtianæ defenſores diligentiſſimi, atque cautiſſimi: nimirum Origenes *lib. 5. contra Celſum*; Juſtinus Martyr *in Apologia 2. ad Antoninum Imperatorem*; Clemens Alexandrinus *lib. 6. Stromatum*; Lactantius *lib. 1. Divinarum Inſtitutionum cap. 6.* Auguſtinus *lib. 18. de civit. Dei cap. 23.* Quos omnes nemo prudens ſibi finxerit uſque adeo effrontes, aut imprudentes extitiſſe, ut ea Sybillarum carmina Ethnicis objicere voluerint, quæ ſummæ apud eos auctoritatis non fuiſſent. Et certè ſi inaccurato fortè criterio, & imprudenti credulitate ſpuria Sybillarum vaticinia jactitaſſent Patres illi, non uſque adeo deſides, ſuarumque rerum ignari Gentiles extitiſſent, quin eorum illico imprudentiam, jactationemque retudiſſent. At certior erat, atque conſtantior Sybillinorum carminum auctoritas, quàm ut ab Ethnicis in dubium vocari ullo modo poſſet. Illi enim ipſi ſunt, qui ea carmina in manibus diu habuerant, eaque poſtmodum igne abſumpta diligenti inveſtigatione, & publica legatione perquiri, conquiſita examinare, ac demum examinata, ſpuriis nonnullis rejectis, probari, & cuſtodiri curaverant. Idque, quod notandum magis, ante Chriſti adventum, ita volente Deo, ut quæ adverſus eos Chriſtiani ex iis carminibus objectaturi erant, nulla ab eis poſſent impoſturæ ſuſpicione labefactari.

Enim verò Sybillina carmina Tarquinii ſuperbi ætate Romam allata, Syllani temporibus cremato Capitolio conflagraſſe, teſtes ſunt Dionyſius Halicarnaſſeus *lib. 4. Hiſt. Romanæ*; Plinius *lib. 13. Hiſt. cap. 13.* & Caſſiodorus *in Chronico*. Poſtmodum ſeptem circiter annis elapſis reſtituto Capitolio ex Senatus-conſulto tres viros Erythræas delegatos eſſe, qui Romam Sybillina carmina ex vetuſtiſſimis monumentis eruta reportarent, teſtis eſt Varro apud Lactantium *lib. 1. cap. 6.* Nec ab Erythris tantùm, ſed ab aliis quoque Orbis partibus, ab iiſdem Legatis quæſita eſſe carmina Sybillarum, ac Romam delata, auctor eſt Tacitus *lib. 6. Annalium*, qui & inſuper addit, eadem illa juſſu Auguſti Imperatoris fuiſſe recognita, atque purgata. Quod & Svetonius *in Octavio Auguſto cap. 31.* ſuo calculo comprobat; teſtaturque ſimul, Auguſtum Cæſarem, habito

co-

eorum carminum ſingulari delectu, eadem illa duobus forulis auratis ſub Palatini Apollinis baſi condidiſſe; adeo ut primis Chriſtianis ea carmina in Catholicæ Fidei gratiam contra Ethnicos publicè jactantibus nulla impoſturæ calumnia poſſit obtrudi. Unde & re ipſa effectum eſt, ut cum nihil illorum carminum auctoritati reponere Ethnici poſſent, Imperatores Chriſtianis omnibus Sybillinorum Carminum lectionem pœna etiam capitis interdixerint. Teſtem rei profero Juſtinum Martyrem *in Apologia 2. ad Antonin. Pium Imperatorem*; ubi rem prolixè admodum exequitur, nec ſine Ethnicæ perfidiæ deriſione. Ac ne quis eum, utpote Chriſtianum, ſuſpectum eſſe velit, legat, ſi mavult, Imperatoris Valeriani ad Romanum Senatum Epiſtolam apud Flavium Vopiſc. *in Valeriano*; ubi non fuiſſe ſecurum Chriſtianis Sybillinos libros legere, & ſcrutari diſertè teſtatur.

Jam verò his ita præmiſſis, bonoque in lumine poſita Sybillinorum carminum auctoritate, quid pro Chriſti aſſerenda Divinitate ex Sybillinis verſibus reportamus? Multum per omnem modum. Sybillæ Erythrææ omnium celeberrimæ carmen iſtud eſt, a Conſtantino Imperatore in Catholicæ Fidei gratiam memoratum, ut legimus in Conſtantini Oratione ad Sanctorum Cœtum apud Euſebium cap. 18. ab Henrico Valeſio adnotationibus illuſtratum Editionis Cantabrigenſis pag. 700.

E Cælo tunc Rex veniet per ſæcla futurus,
Scilicet ut totum præſens dijudicet orbem.
Viſurique Deum infidi ſunt, atque fideles,

Rurſus audite ſequentia:

Sublimem in carne humana ſanctaque caterva
Cinctum, completo qui tempore judicet omnes.
Horrida tunc tellus dumis ſilveſcet acutis.
Rejicient ſimulacra homines, aurique metalla.
Inferni portas facto ſimul impete rumpent
Squallentes manes, & pura luce fruentur.

En, ſi bene advertitis, vaticinatur Sybilla venturum de Cælo Regem æternum mundi hujus Judicem futurum, adeo ut in carne poſitus Deus a Fidelibus, & Infidelibus cerni poſſit. Quis ille porrò in carne poſitus, niſi Deus noſter Chriſtus?

Item illud longè clariſſimum apud Natal. Alexand.

Unus, & æternus Deus hic, ſervator & idem,
Chriſtus pro nobis paſſus, quem carmina ſignant.

Quæ

Quæ Carmina a Cicerone e Græco idiomate latinè fuiſſe reddita, teſtis eſt ipſemet Conſtantinus cap. 19. apud eumdem Euſebium. Sed & illa eadem Erythræa Sybilla tam artificioſè de Chriſto vaticinata eſt, ut initiales ejus carminum literæ græcam hanc ſententiam redderent, ut notavit D. Auguſtinus *lib.* 18. *de civit. Dei cap.* 23. Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς Σωτὴρ hoc eſt: *Jeſus Chriſtus Dei Filius Salvator*. Carmina hæc ex integro refert Conſtantinus Imperator cum Achroſtico, ut vocant, apud Euſebium *ſub ejus vitæ finem*. Quin & hoc ipſum Achroſticon a Cicerone obſervatum eſſe, utcumque videri poteſt: quippe qui *lib.* 2. *de divinat.* ſe vidiſſe commemorat Sybillæ carmina, quæ initialibus literis ſententiam aliquam ſignificarent.

Nec perſpicuè minus Cumana Sybilla de Chriſti Divinitate pronunciavit. Ea ſiquidem hujuſce Sybillæ carmina, quæ Virgilius Maro Myſteriorum neſcius Salonino Aſinii Polionis Filio perperam accommodat *Egloga* 4., nonniſi de Chriſti Divinitate, ejuſdemque Incarnatione, de ſilentio per Chriſtum falſis Oraculis indicendo, deque nova Lege per ipſum inſtituenda debere intelligi multis oſtendit Conſtantinus Imperator Oratione ad Sanctorum cœtum cap. 20.

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.
Magnus ab integro ſæclorum naſcitur Ordo:
Jam redit & Virgo, *redeunt Saturnia regna:*
Jam nova progenies Cælo demittitur alto.
Tu modò naſcenti puero, quo ferrea primum
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo,
Caſta fave; &c.

Et poſt pauca:

Te duce ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita, perpetuâ ſolvent formidine terras.
Ille Dûm vitam accipiet, diviſque videbit
Permixtos Heroas, & ipſe videbitur illis;
Pacatumque reget patriis virtutibus Orbem.

Et hæc tamen Sybillæ carmina Virgilius ſacrorum Myſteriorum neſcius, Salonio Pollionis Filio per errorem accommodavit. Quæ Chriſto Domino, ſi eum fortè noviſſet, multò certiùs accomodaſſet:

His Sybillarum Oraculis de Chriſto noſtro procul dubio fuſis, ac pronunciatis, addunt plerique noſtrûm, Apollinis Delphici Oraculum longè diſertius, quod certè ſi veritate conſtaret, nihil poſſet luculentius ad Chriſtianæ Religionis confirmationem afferri. Erat, inquiunt illi, ante Chriſti tempora occluſum Apollinis delphici oraculum,

lum, nec ultra conſultantibus uſitata reſponſa dabat. Hujuſce ſilentii cauſſam dederat Quintus frater apud Ciceronem, his præjudiciis occupatus (quam tamen reprobat ipſemet Cicero *lib.* 2. *de Divinat.*) evanuiſſe inquiens vetuſtate loci falſum illum terræ halitum, quo ſolet prophetica mens incaleſcere, eaque ratione fatidicum Apollinem conticuiſſe. Verùm quænam reipſa foret tam alti ſilentii cauſſa, idem ipſe licèt invitus tandem aliquando effari coactus eſt malè mulctatus Apollo. Auguſtus Imperator Apollinis ſtudioſiſſimus eidem obtuliſſe fertur hecatombem, ut ſilentii hujuſce cauſſam reſciret. Hoc autem ab illo Oraculo reſponſum accepit, illuſtre Incarnati Dei teſtimonium

Me puer Hebræus Divos Deus ipſe gubernans
Cedere loco jubet, triſtemque redire ſub Orcum;
Aris ergo dehinc taciti diſcedite noſtris.

Ita referunt Nicephorus *lib.* 1. *hiſt. cap.* 17. Suidas, Cedrenus, quibus & ipſe fidem aliquando præſtiti. Verùm rebus ſubinde maturè diſcuſſis deprehendi, totum id eſſe falſiſſimum; tum quòd nato Puero Hebræo, de quo iis in verſibus ſermo fit, ſeu Chriſto Domino, nunquam Cæſar Auguſtus in Græciam venerit, ut Apollinem Delphicum præſens conſulere poſſet; tum quòd Oraculum Delphicum non illico nato Chriſto conticuerit; ſed ſua quoque reſponſa ad quartum uſque ſæculum conſultantibus dederit, extremumque vale non Auguſto, ſed Juliano Apoſtatæ dederit. Quare nihil ad Chriſti Divinitatem comprobandam ex eo facto velim extundere. Feliciùs longè multò ex Imperatorum Ethnicorum Hiſtoria aliqua delibabo.

Quandoquidem autem de Auguſto Imperatore ſermo incidit, de ſecutis inde Romanis Imperatoribus Ethnicis pauca dicam, qui Chriſti Divinitatem agnoverunt, ac etiam commendarunt. Primus in ordine habendus venit ſine controverſia Tyberius Cæſar, quo imperante Chriſtus Dominus morti traditus eſt. Is etenim de rebus a Chriſto Domino præclarè geſtis a Pilato Judeæ Procuratore, qui ad ipſum vitæ ejus, ac necis acta tranſmiſerat, certior factus retulit ad Senatum Romanum, ut inter Deos Chriſtus referretur; adeo ſcilicet Divinitatem ejus agnoverat. Abnuit Senatus, ſive propter ſupplicii dedecus, quo extinctus eſt Chriſtus, ſive propter Judaicæ Gentis, e qua ortus erat, infamiam, ſive ex ſecreta quadam æmulatione, quòd conſcriptis Patribus inconſultis rem pene totam egiſſet Imperator, ſive etiam, quod credere malim, quia externa ſacra recipi jam vetuiſſet Senatus ipſe, uti legimus apud Livium *lib.* 39. Stetit nihilominus in incerto Tyberius Imperator, Chriſtianoſque ob eam, quam gerebat, de Chriſto opinionem ſingulari benevolentia fovit. Authorem hujuſce

Apotheoſis Chriſti Domini a Tyberio tentatæ habemus Juſtinum Martyrem *in Apolog.* 2. *ad Antoninum Imperatorem*, ac Tertullianum *cap.* 5. & 21. *Apologet.* viros quidem chriſtianos, ſed ea in parte minimè ſuſpectos : quandoquidem hæc illi Senatui, Populoque Romano denunciabant ; & ad illa ipſa Pilati acta, uti Chriſti Divinitati apertiſſimè ſuffragantia liberè provocabant : quorum falſitatem, ſi quæ fuiſſet, Romani certè non ſine ludibrio detexiſſent ; nec ſine Chriſtiani nominis deriſione ſugillaſſent.

De Adriano Imperatore nonnihil Inſtituto noſtro percommodum refert Ælius Lampridius, author licèt Ethnicus : illum ſcilicet Templa ſine ſimulacris juſſiſſe fieri, quæ ille ad hoc paraſſe dicebatur, ut Chriſto Jeſu conſecraret, niſi ſacrorum conſultores deterruiſſent ; veriti nempe, ne ſi id feciſſet Adrianus, ad Chriſti partes, relicto Idolorum cultu, univerſi tranſirent. Extare etiamnum ætate ſua hæc ab Adriano excitata Templa, teſtatur Lampridius ipſe ; hujuſque generis, ſi credimus D. Epiphanio, extitere Templa duo, Tiberienſe, & Alexandrinum ; quæ a Judæis in prophanos uſus converſa fuerant : verùm primum illud a Joſepho comite, alterum ab Athanaſio repurgata, & perfecta ſunt, & Chriſto Domino non tam tributa, quàm reſtituta.

Non abſimile quidpiam de Alexandro Severo narrat idem Ethnicus Author Lampridius in ejus vita : illum quoque Chriſto, uti Deo omnium optimo, Templum extruere, eumque inter Divos ſolemniter cooptare voluiſſe. Quod etſi nefariis conſiliis circumventus executioni non demandavit, non levis eſt tamen Chriſti Divinitatis ab Ethnicis quoque agnitæ (quanquam imperfectè) demonſtratio.

Ab Ethnicis ad Judæos greſſum facio, a quibus identidem Chriſti Divinitatis confeſſionem vis ipſa veritatis extorſit. Atque id in primis obſervatione digniſſimum eſt, priſcos Judæos recentioribus candidiores Meſſiæ venturi Divinitatem in Veteri Teſtamento conſignatam agnoviſſe. Extant veterum Rabinorum collecta teſtimonia, quibus Meſſiam futurum Deum & Hominem prædicarunt : eaque ipſa loca, quibus *Tetagramaton* Dei nomen *Jheova* in ſacris voluminibus ſcriptum eſt, ad Meſſiam congruere docuerunt. Quæ omnia, tametſi probandæ Jeſu Nazareni Divinitatis contra Judæos haud magni momenti videri poſſint, utpote quem illi pro Meſſia non habent ; retundendis nihilominus Arianis, Socinianis, aliiſque hujuſce furfuris tenebrionibus, cum quibus res nobis eſt in hac Diſputatione, decretoria plane ſunt. Si qua enim illis veteri Synagogæ fides eſt, vel Jeſum Meſſiam negare tenentur cum Judæis, vel ejus profiteri, ac venerari Divinitatem nobiſcum compelluntur, ſi eumdem, uti Meſſiam, agnoſcunt.

Sed & adeſt, qui Judæis æquè, atque Arianis opponi poteſt, ex Judæis

Judæis ipſis locupletiſſimus teſtis, idemque celeberrimus Scriptor Flavius Joſephus, cujus de Chriſto Domino teſtimonium *lib.* 18. *Antiquit. cap.* 4. exaratum nulla unquam delebit oblivio, nulla pſeudocriticorum importuna dicacitas vel levi litura notabit: *Eodem tempore fuit* (Flavii Joſephi verba ſunt) *Jeſus, vir ſapiens, ſi tamen virum eum fas eſt dicere. Erat enim mirabilium operum, patrator, & doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt: plurimoſque tam de Judæis, quàm de Gentibus Sectatores habuit. Chriſtus hic erat: quem accuſatum a noſtræ Gentis Principibus Pilatus cum addixiſſet Cruci, nihilominus non deſtiterunt eum diligere, qui ab initio cæperant. Apparuit enim eis tertia die vivus, ita ut divinitus de eo Vates hoc, & alia multa prædixerunt: & uſque in hodiernum diem Chriſtianorum genus ab hoc denominatum non deficit.*

Egregium profectò, atque ære dignum de Chriſti Divinitate, Miraculis, Doctrina, Reſurrectione teſtimonium, utpote a viro & genere, & religione Judæo, atque a Scriptore Apoſtolicorum ferme temporum celeberrimo datum. Sed quia a nonnullis intemperantis criterii viris tanquam Joſephi libris aliena manu additum, & a priſcis olim Chriſtianis pio dolo, ut ipſi loquuntur, aſſutum obtenditur, ad ejus authoritatem, atque veritatem vindicandam ſequentem Academicam Exercitationem deſtinamus.

Digitized by Google

PRÆLECTIO VII.

Flavii Joſephi de Chriſto nobile teſtimonium vindicatur.

FLAVII Joſephi Scriptoris Apoſtolicorum temporum celeberrimi, genere, & religione Judæi, ſplendidiſſimum de Chriſto Jeſu teſtimonium vindicandum aggredior adverſus nonnullos Criticos viros, qui ſpurium illud, addititium, & recenti manu Joſephi libris aſſutum obtendunt. Quare juvat illud ante omnia in memoriam revocare, ut qua de re noſtra futura ſit diſputatio, omnibus innoteſcat. His illud verbis expreſſum eſt *lib.* 18. *antiquit. Judaic. cap.* 4. *Eodem tempore fuit Jeſus, vir ſapiens, ſi tamen virum eum fas eſt dicere. Erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt: plurimoſque tam de Judæis, quàm de Gentibus ſectatores habuit. Chriſtus hic erat: quem accuſatum a noſtræ Gentis Principibus Pilatus cum addixiſſet Cruci, nihilominus non deſtiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertia die vivus, ita ut divinitus de eo Vates hoc, & alia multa miranda prædixerunt: & uſque in hodiernum diem Chriſtianorum genus ab hoc denominatum non deficit.*

In quo quidem vindicando teſtimonio doleo vicem meam, qui cum bellum pro tuenda Chriſtiana Religione ſuſceperim, nunc demum adverſante fortuna Chriſtianorum impetus ſuſtinere cogar. Ex hoc enim ordine illi ipſi ſunt, qui hoc nobis nobile teſtimonium eripere adnituntur; Faber ſcilicet Cavachillus, Caſaubonus, quamquam Calvini gregales, atque inter Catholicos Dupinius, aliique nonnulli; qui, modò criticam artem ſuam exerceant, minùs profectò curant, ſi obliquè ſaltem Judæis patrocinium impendant. Utcumque tamen ſe res habeat, ſtabo in incœpto, & Joſephi de Chriſto nobile teſtimonium contra pauculos illos, ſeu Chriſtiani nominis tantùm (uti priores) ſeu etiam veræ Fidei Profeſſores (uti poſteriores) quos tamen moderatiores fuiſſe mallem, ab importunis cavillationibus vindicabo.

Cur illud Joſephi de Chriſto D. teſtimonium genuinum omnino, atque indubitatum exiſtimem, nec pia, ut aliqui volunt, Chriſtianorum fraude illius libris aſſutum, facit imprimis conſtans, atque perpetuus Codicum omnium Joſephi, ſive exaratorum calamo, ſive typis editorum, in eo retinendo conſenſus. Facit & Euſebii au-

authoritas, qui illud jam a tertio Chriſtiani nominis ſæculo tum in libris Demonſtrationis Evangelicæ, tum in Eccleſiaſtica Hiſtoria tanquam genuinum ejus fœtum, atque legitimum repræſentavit. Expreſſit illud quoque latinè D. Hieronymus *lib. de Script. Eccleſiaſt.* & Joſepho citra dubium adjudicavit. Retulit id ipſum in Epiſtolis S. Iſidorus Peluſiota. In hiſtoriis verò ſuis conſecrarunt Sozomenus, Cedrenus, Nicephorus, Suidas; atque hinc porro continua ſerie ad nos uſque propagatum eſt. Quod ſi ad alicujus ſcriptionis authoritatem probandam abunde non ſufficit, vix ulla Veterum lucubratio, uti genuina probari, ac demonſtrari a quoquam poterit unquam.

Suadet hoc idem præterea & ratio. Neque enim veriſimile eſt, Joſephum Scriptorem diligentiſſimum, accuratiſſimumque, cum per viginti Hiſtoriarum libros Judæorum illorum temporum res perſequeretur, de eo prorſus tacuiſſe viro, qui maximos in ea gente, ac per univerſum fere Orbem excitaverat motus, factionemque condiderat de nomine ſuo longè notiſſimam. Nihil tamen, præter hæc verba a nobis initio recitata, de Chriſto Jeſu apud Joſephum occurrit; adeoque, ſi ſpuria illa ſunt, illiuſque libris aliena manu aſſuta, Joſephum de Jeſu omnino tacuiſſe neceſſe eſt. Quod quis credet?

Rurſus quis putet, Joſephum elogio ſuo dignos cenſuiſſe Joannem Baptiſtam, & Jacobum fratrem Domini, illoſque *lib.* 18. *cap.* 7. & *lib.* 20. *cap.* 8. commendaſſe, celebraſſe, ſummiſque laudibus extuliſſe; indignum verò mentione ſua Jeſum Chriſtum exiſtimaſſe? Ego quidem ut fatear ipſe, quod ſentio, idem plane reputo, Jeſum a Joſepho commendari, & Joannem Baptiſtam elogio celebrari; cum Chriſti prædicator, & encomiaſtes Joannes extiterit. Quare vel aſſutam Joſephi libris utriuſque commendationem exiſtimo, Chriſti ſcilicet, & Joannis, vel utramque ex æquo genuinam, atque germanam agnoſco. Sed & illud inſuper obſervo, Joſephum *lib.* 20. *antiquit. cap.* 8. de Jacobi Apoſtoli nece diſſerentem, ut illum lectoribus notum faceret, diſtinctè adnotaſſe, *fratrem* illum fuiſſe *Jeſu Chriſti*. Quæ certè adnotatio ſatis indicat, aliquid ſaltem in anteceſſum de eo Jeſu Chriſto dictum fuiſſe, unde jam notior lectoribus factus eſſet. Quomodo enim ex Jeſu Chriſti conſanguinitate Jacobus lectoribus innoteſceret, ſi Jeſus ipſe alto ſilentio prætermiſſus lectoribus eſſet ignotus? Aliqua itaque de Jeſu Chriſto mentio in anteceſſum facta eſt, quæ tamen nulla prorſus extat, ſi, quod expendimus, Joſephi teſtimonium ſpurium eſt.

Verum quid Ariſtarchi ſeveriores opponant audiamus; hinc etenim ſpero fore, ut Joſephi de Chriſto teſtimonii in controverſiam adducti authoritas meliori in lumine collocetur.

Ita-

Itaque Origenem non uno loco ſcripſiſſe ajunt, Jeſum noſtrum a Flavio Joſepho non fuiſſe pro Chriſto agnitum; imo Joſephum vaticinia Prophetarum Chriſti prænuncia ſive ex aſſentatione, ſive ex animi ſententia Veſpaſiano accommodaſſe. Cum tamen in eo, quod expendimus, teſtimonio Jeſus clariſſimis verbis *Chriſtus* fuiſſe dicatur: ὁ Χριστὸς αὐτὸς ἦν: *Chriſtus hic erat*. Ita importuni Cenſores.

Verùm nec nos idcirco putamus, Jeſum a Flavio Joſepho pro Chriſto verè agnitum eſſe; in Chriſtianorum enim caſtra illicò tranſiiſſet. Quod certè non fecit. Aliter ergo poſſumus, imo debemus verba hæc in eo, quod expendimus, teſtimonio contenta ſumere: *Chriſtus hic erat*, quòd ſignificatum voluerit Joſephus, Jeſum eſſe revera Chriſtum illum, qui ab Iſraelitis expectabatur; ſed ſolùm vulgari appellatione *Chriſtum* nominari conſueviſſe. Quod alibi, dum de Jacobo ſermonem habet Joſephus, idem conceptis verbis expreſſit; Jacobum ſcilicet *fratrem* appellans *Jeſu Chriſti* ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ Χριστοῦ λεγομένου: ac ſic quidem Joſephi phraſim intellexit D. Hieronymus, dum teſtimonium illud, quod expendimus, latinè reddidit, *lib. de Script. Eccleſiaſt.* ubi ſenſum authoris, verbis inſuper additis expreſſit: ita quippe reddidit ὁ Χριστὸς αὐτὸς ἦν, *& credebatur eſſe Chriſtus*.

Et quidem uſque adeo Jeſum ita nuncupandi mos invaluerat, ut non eum duntaxat diſcipuli ejus *Chriſtum* dicerent, ſed & illi ipſi, qui ab eo averſi erant. Unde Pilatus, *quem vultis* (ajebat) *dimittam vobis: Barabbam, an Jeſum, qui dicitur Chriſtus? Matth. cap.* 27. Et paulò poſt: *quid igitur faciam de Jeſu, qui dicitur Chriſtus?* Impii quoque Satellites: *Prophetiza, quis eſt, qui te percuſſit? Lucæ cap.* 22. Imo nec aliter Ethnicis ipſis innotuerat Jeſus, quàm ex *Chriſti* nomine: unde Svetonius *in Claudio, Judæos impulſore Chriſto, aſſidue tumultuantes Roma expulit*; & Tacitus *lib.* 15. Annalium *cap.* 44. *author nominis hujus Chriſtus, qui Tyberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat*. Dum ergo dixit Joſephus ὁ Χριστὸς αὐτὸς ἦν, *Chriſtus hic erat*, ſuppleri voluit ὁ λεγόμενος, ita *dictus*: perinde ac Pilatus ipſe, dum Chriſto in Cruce pendulo epigraphem appoſuit *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*, ſubaudiri voluit, a ſe ipſo dictum & a ſuis: quod etſi diſtinctiùs explicari Judæi poſtularent, *noli ſcribere Rex Judæorum; ſed quia ipſe dixit; Rex ſum Judæorum*, ratam nihilominus ſcriptionem ſuam haberi voluit: *quod ſcripſi ſcripſi; Joan. cap.* 19.

Ejuſdem generis eſt, quod ſecundo loco adverſus illud Joſephi teſtimonium proferunt importuni cavillatores, ut illud ſpurium, & addititium oſtendant. Joſephus, inquiunt illi, Jeſum pro Deo habere

Digitized by Google

bere non potuit, cum & Religione Judæus eſſet, & ſectâ Phariſæus : hunc vero *Deum* prorſus agnoſcit hujuſce laſciviæ quiſquis eſt author : *Eodem tempore fuit Jeſus, vir ſapiens, ſi tamen virum eum fas eſt dicere. Erat enim mirabilium operum patrator.*

Sed quis non videat id oratorio more a Joſepho dictum eſſe, ut prodigiorum a Chriſto patratorum admirabilitatem extolleret : quaſi dixiſſet : talia, ac tanta geſſit vir ille Jeſus, ut Deo, quàm hominibus propior videatur? Abundant ejuſmodi locutionibus Scriptores àntiqui, optimi dicendi magiſtri, adeò ut viros aliquo virtutum genere excellentes, Deos etiam appellent : Cicero *lib. de Orat. te in dicendo ſemper putavi Deum*; ſcilicet ob facundiæ excellentiam : Terentius : *facio te apud illum Deum*; tuas videlicet prædicando virtutes : Virgilius Eglog. 1. *Erit ille mihi* (Auguſtus) *ſemper Deus*; ob ſuſcepta nempe beneficia. Notum eſt & illud Corvini Panoniæ Regis epitaphium apud Jovium :

Corvini brevis hæc Urna eſt, quem magna fatentur
Facta fuiſſe Deum, fata fuiſſe hominem.

Quid ni ergo eo ſenſu Jeſum a Nazareth Deum vocitaſſet Joſephus ob prodigiorum ab ipſo patratorum excellentiam?

Tertiam repudiandi hujuſce teſtimonii rationem repetunt Adverſarii ex ſtili, ut ajunt, diſcrepantia, quam in ea de Chriſto periocha ſubodorantur, atque ex minore cum iis, quæ *præcedunt*, atque ſequuntur cohæſione.

Ego quidem viris hiſce maximis gratulor, quibus tam emunctos nares largitus eſt Deus, ut ſtili diſcrepantiam vel in unica periodo ſubodorentur. Mihi quidem tam acutum, ac ſolertem eſſe non licet; nam nihil horum mihi ſubolere fateor; Nec ovum mihi videtur ovo ſimilius, quàm tota illa periodus reliquarum Joſephi ſcriptionum ſimilis eſt. Nec eſt cur illam cum reliquis a Joſepho ibidem memoratis minùs cohærere dicant. Cohæret profectò maximè, ſin minùs ſpectata materiæ conditione, at habita ſaltem ratione temporum, de quibus ſcribit : narrat quippe eo capite Joſephus, quæ ſub Pontio Pilato tum in Judæa, tum Romæ contigerant, etſi memorati ab eo caſus diverſi ab illo ſint, qui de Chriſto refertur. Familiare enim hiſtoricis eſt, diſconvenientes, diverſaſque narrationes congerere, pro ut rerum varietas poſtulat : quod ni facerent, magna voluptate lector, magnis hiſtoria fraudaretur ornamentis. Quid verò in ea, de quibus Joſephus narrabat, meliùs opportuniùſque caderet, quàm de Jeſu Nazareno commemoratio; qui tantos ea ætate excitaverat motus, & ab ipſo Pontio Pilato ſupplicio affectus erat?

Addunt Viri queruli, falſum eſſe quod illic legitur, *Jeſum plu-*

rimos de Gentibus ſectatores habuiſſe. Cum ex his unam tantùm, alteramve mulierem ad ſui ſequelam traxiſſet. At verò ad ſuum tempus reſpiciebat Joſephus, cum ita ſcriberet, dum ſcilicet maximis jam incrementis Chriſtiana Religio dilatata erat, & ad Eccleſiam Gentiles Populi convolaverant: idque Chriſto jure tribuit, quod per Chriſtum, ejuſque virtutem ſe facere Apoſtoli prædicabant.

Subjungunt, abſurdum eſſe, Joſephum, cujus animus in Ethnicorum vanitatem potius, quàm in Apoſtolorum diſciplinam inclinabat, fatentem inducere, Prophetas prædixiſſe caſus, & geſta Jeſu Nazareni, ac reditum præſertim ad vitam, uti profectò facit hujuſce laſciviæ quiſquis eſt author. Sed & id eodem ſenſu ab eo dictum eſt, ac ſuperiùs illud *Chriſtus hic erat*; quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet: *cum credatur hic eſſe Chriſtus*, *prædictiones Prophetarum*, *qui Genti noſtræ Meſſiam promiſerunt*, *in eum feruntur*.

Nihilo majorem difficultatem creat, quod hujuſce teſtimonii, quiſquis eſt author, obſervavit; Chriſtianorum genus a Chriſto denominatum ad hunc uſque diem non deficere: quaſi verò ea loquendi formula *uſque in hodiernum diem Chriſtianorum genus ab hoc denominatum non deficere*, ſcriptorem redoleat ævi admodum poſterioris, qui multo poſt tempore ſcripſerit; atque ita Joſepho recentiorem. Minimè verò. Imo ſatis ſuperque eſt, quod Joſephus annis circiter quadraginta poſt Chriſtum in Cælos aſſumptum hiſtoriam adornaret, ut jure ſcribere potuerit, Chriſtianorum genus a Chriſto denominatum ad ſuam uſque diem non deficere. Certè D. Matthæus anno poſt Chriſti paſſionem duntaxat undecimo Evangelium ſcripſit; & tamen de agro ex Judæ proditoris pecunia coempto ſermonem habens ait: *propter hoc vocatus eſt ager ille haceldama: hoc eſt*: *ager ſanguinis uſque in hodiernum diem*, *Matthæi cap.* 27. cum tamen anni vix undecim effluxiſſent.

Reſtat ultimum, quod, ut fatear, diu me, multumque torſit, argumentum: Qua videlicet ſorte fieri potuiſſet, ut tam multi priorum ſæculorum Chriſtianæ Religionis defenſores, tam validum Joſephi teſtimonium ad cauſſam Eccleſiæ tuendam non uſurpaſſent. Non Juſtinus; non Tertullianus; non Clemens Alexandrinus; non Origenes; non Irenæus. Cur non illud Photius ipſe protulerit, qui Joſephi ſummarium, cenſuramque dedit. Illud enim tot illos, tantoſque viros non omiſſuros fuiſſe veriſimillimum eſt, ſi & in Joſepho legiſſent, & pro genuino habuiſſent.

Verùm tam alti ſilentii Veterum Patrum cauſſæ fuerunt doli, fraudeſque Judæorum, qui tam nobile de Chriſto Jeſu teſtimonium ex pluribus Joſephi codicibus expunxerant jam a primis poſt Joſephum temporibus. Firmat in primis conjecturam noſtram Baronius ad annum Chriſti trigeſimum quartum, ubi a Judæis abraſum fuiſſe

ſcribit

ſcribit hoc Joſephi de Chriſto dictum relictis patentibus lituræ ſignis, atque veſtigiis in veteri quadam ipſorum membrana in Vaticana Bibliotheca aſſervata, qua Joſephi Hiſtoria de Græca in Hebraicam linguam translata continetur.

Non me fugit, Caſaubonum hanc Baronii adverſus Judæos criminationem falſitatis ſuſpectam habuiſſe. Verùm is parum æquum Baronio ſpectatæ probitatis viro ſe præbuit. Facti enim eſt illa, non juris controverſia; in qua fidem probo viro derogare, qualis profectò Baronius erat, hominis fuit partium ſtudio nimis abrepti; ſed & viſitur etiamnum hodie Codex ille a Judæis interpolatus in Bibliotheca Vaticana, & Baronium mutus abſolvit.

Firmat quoque conjecturam noſtram cùm aliorum, tum præcipuè Juſtini Martyris *in Dialogo cum Tryphone*, ſimilis, imo gravior adverſus Judæos querela; dum illos procaces, ac adulteratrices manus ſacris Voluminibus intuliſſe ait, ſi quando perfidiæ ipſorum aliquid contrarium occurreret. Et certè propheticum illud de Virgine Oraculum Iſaiæ, *ecce Virgo concipiet*, mutarunt in hoc: *ecce juvencula in utero concipiet*. Similiter reciderunt plura ex Jeremia, ex Eſdra, aliiſque Sacræ Scripturæ libris; quemadmodum etiam ex *Pſalm. 95.* illud, quod legitur, *Dominus regnavit a ligno*, mutilarunt, verbum ultimum abradentes; ut per totum Dialogum illum videre eſt; quod & Hieronymus ſæpius obſervavit. Quidni porro idipſum de Joſephi Teſtimonio, quod expendimus, ſuſpicemur; in quod ſibi fortè juris aliquid arrogabant?

Eamdem illam ſuſpicionem non auget modò, ſed & omnino cumulat, quod de aliis Joſephi locis ad Catholicam Religionem apprime facientibus pari a Judæis fraude violatis obſervant bene multi. Plura enim verò hujus generis Joſephi teſtimonia exhibent, & in Catholicæ cauſſæ patrocinium proferunt Origenes, Euſebius, Hieronymus, & alii, quæ in ipſius libris hodie deſiderantur. Quid ergo? Falſarios dicemus tanti nominis Viros? Minimè verò. Longè credibilius eſt, hæc e Joſephi libris expunxiſſe priſcos illos Judæos, qui cùm tam memorabiles Chriſtianæ Religionis teſtificationes a ſuo clariſſimo Scriptore conſignatas pati non poſſent, has dolo malo abolere aggreſſi ſunt; majorumque ſuorum cædem, atque ſævitiam fraudibus ſuis, ac nefariis artibus cumularunt. Adulteratis ergo jam pridem, & nobili hoc de Jeſu Teſtimonio multatis pleriſque Exemplaribus, mirari quid ſubit, ſi priſci illi Chriſtianæ cauſſæ defenſores, in mutilos fortè Joſephi codices inciderint, tamque illuſtre Teſtimonium in cauſſæ ſuæ patrocinium aſciſcere nequiverint? Quamquam & illorum alta ſilentia Euſebius, & Hieronymus, quibus emendatiores codices occurrerunt, abundantiſſimè reſarſerunt, dum teſtimonium illud ex integro deſcripſere.

Stat ergo inconcuſſum, omnique cavillatione ſuperius, Flavii de Chriſto teſtimonium. Cur verò, cum ita de Jeſu noſtro dignè ſentiret, Chriſtianæ nihilominùs Religioni nomen minimè dederit, rationem proferet Auguſtinus: quia Chriſtianum non evanida veritatis notitia facit, ſed amor. Erat enim, ſi ſcire vultis, Flavius Joſephus ex illa virorum quorumdam aulicorum gente, quibus pro arbitrio & omnis, & nulla Religio eſt: hoc illi de Jeſu noſtro teſtimonium vis veritatis extorſit; ſed maluit ſuos inter magiſter haberi, quàm inter Chriſti diſcipulos computari. Nec verò ſolus ille ex Judæis ea ætate fuit ita affectus animo. Multos extitiſſe memorat D. Epiphanius *hæreſ.* 30. qui licet Jeſum verum Meſſiam certiſſimè noſcerent, ſuis tamen commodis plus æquo addicti palam illum profiteri, atque ſectari detrectabant; ſeu quòd hominum oculis abjecta nimis, & Tyrannorum diris commiſſa Chriſti Religio videretur, ſeu quòd nimiam ſuis in Profeſſoribus Chriſtus Dominus morum caſtimoniam, pietatemque expoſcere iis fortè videretur. Quæ duo Joſephum de Chriſto noſtro licet altè ſentientem ab ejus fortaſſis Doctrinæ, ac Religionis profeſſione dimovere potuerunt.

Jam e longo diverticulo in viam redeamus oportet, ut quam Dei Filii Jeſu Chriſti Divinitatem cùm Sacrarum Scripturarum Oraculis, tum Chriſtianæ Religionis hoſtium ſuffragatione probavimus, eamdem Veterum Patrum Traditione vindicemus. Erit hoc potiſſimum ſequentis Exercitationis argumentum.

PRÆ-

PRÆLECTIO VIII.

Filii Divinitas probatur auctoritate Patrum Concilio Nicæno ſuperiorum.

POSTULAT inſtituti Operis ratio, ut qui Chriſti Divinitatem adverſus veteres, & recentes Arianos ex Scripturis primùm, tum ex Chriſtianæ Religionis hoſtium authoritate demonſtravimus, eamdem domeſticorum, hoc eſt, veterum Chriſtianorum, ac Patrum communi ſuffragio, ac Traditione comprobemus. Veterum quippe Traditionem alteram Fidei noſtræ regulam eſſe nemo Catholicus negat, eamque potiſſimùm Traditionem, quæ ad nos uſque ex illorum, ut ita dicam, manibus venit, qui Chriſto veritatis fonti viciniores extitere; non qui procul ab eo, magnaque temporum intercapedine floruerunt. Quia manantes ex eo fonte rivulos, cum longiùs a ſcaturigine receſſerint, paululùm infici, & externarum rerum admixtione turbari neceſſe eſt. Unde & primus legumlator Moyſes: *memento*, inquit, *dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas: interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi; Majores tuos, & dicent tibi*; *Deuteron.* 32.

Imo ipſi etiam Proteſtantes, qui Majorum Traditionem alteram Fidei regulam non agnoſcunt, ſi ſuis propriis ſtare velint, eamdem ſaltem, uti conſtans veritatis argumentum, tenentur agnoſcere, dum communi Patrum aſſenſu firmatur, qui quatuor prioribus ſæculis floruerunt. Cum enim Eccleſiam toto eo tempore nondum corruptam erroribus fateantur, ſed ſecutis duntaxat ſæculis in errores paulatim degeneraſſe contendant; primos Chriſtianos, primoſque Patres, qui quatuor prioribus ſæculis Eccleſiam illuſtrarunt, uti certos veritatis teſtes, atque magiſtros tenentur accipere, dum ex concordi ſenſu, atque ſententia loquuntur.

De primis ergo Chriſtianis, Patribuſque antiquæ Traditionis teſtibus dum loquor, ad Chriſti Divinitatem adverſus Arianos confirmandam, non eſt cur de iis ſermonem inſtituam, qui poſt annum tercenteſimum vigeſimum quintum, quo prima Nicæna Synodus celebrata eſt, floruerunt; cum illorum authoritatem rejiciant Ariani; ac ultro citroque concedant, illos Concilii Definitioni dediſſe manus; Symbolum ejus, quo Filii Divinitas, & conſubſtantialitas aſſerta eſt, amplexos eſſe; Divinitatem Chriſti diſertis ſuffragiis confirmaſſe. De iis duntaxat agendum eſt mihi,

qui ante annum tercenteſimum vigeſimum quintum, quo ſacra illa Synodus habita eſt, Eccleſiam illuſtrarunt, quos Ariani paſſim cùm veteres, tum recentiores a ſuis partibus ſtare contendunt.

Dies me deficiet, ſi univerſa primorum Chriſtianorum, Patrumque Nicæno Concilio ſuperiorum teſtimonia proferre voluero, ut primam de Chriſti Divinitate Traditionem vobis exponam; nec tam Exercitatio Academica habenda mihi eſſet, quàm Volumen integrum, illudque ſpiſſum in medium proferendum. Quare Argumentum hoc ſummatim, & acervatim pertractabo potius, quàm minutatim, & ſingillatim, ne & vos plus juſto detineam, ipſeque ego memoriâ laborem.

Primò ergo, Majores noſtros Chriſtianos illos primos, qui Spiritus Sancti primitias una cum Apoſtolis acceperunt, a quibus Traditio omnium prima repetenda eſt, Chriſti Divinitatem agnoviſſe, coluiſſe, adoraſſe, non domeſtica modò, ſed & externa, atque ab ipſis Eccleſiæ hoſtibus petita Momenta plus ſatis evincunt.

Teſtis mihi eſt Plinius ſecundus *in Epiſtola ad Trajanum Imperatorem*, quæ eſt 97. *lib.* 10. Cum enim in Bithynia Proconſulem ageret Plinius, & ingenti, quos necaverat, Chriſtianorum Martyrum clade defatigaretur, Trajanum Imperatorem ultimò tandem per Epiſtolas monuit, nihil ſe quidquam in Chriſtianis impietatis comperiſſe, aut excitatæ contra Imperiales leges molitionis, niſi quòd ſtata die ante lucem convenirent, *carmenque Chriſto ſuo, quaſi Deo omnium maximo decantarent*. Ita ergo perſpectum erat, Chriſtianos illos, qui Spiritum Evangelicum propiùs ebiberant, Chriſtum, uti Deum agnoſcere, colere, adorare, ut ne perſecutores quidem Ethnicos id lateret.

Eadem illa de primis Chriſtianis apud Judæos olim erat exiſtimatio: illos ſcilicet Chriſtum, uti Deum, habuiſſe, & adoraſſe. Interrogati enim Judæi quondam a Noſtris ſecundo vertente ſæculo, cur ipſi tam extorres, miſeri, exules, deſpecti ubique vagarentur, id illico reponebant (quod mihi etiam non ita pridem a quodam ex ipſis reſponſum eſt) non aliam ob cauſſam Gentem ſuam diuturnis calamitatibus, & exilio damnatam eſſe, quàm quod unus ex ipſis, Jeſus ſcilicet Nazarenus ſe Deum venditare auſus eſſet, & excitatâ ubique terrarum idololatriâ uti Deus adoraretur a ſuis. Hujuſce Judæorum reſponſi inſulſitatem non morabor hìc: patet enim illa per ſeſe. Si etenim Chriſtus Dominus iniquus Divinitatis æmulator fuit, certè in ſceleris pœnam calamitatibus, & miſeriis jactanda potius eſſet Societas illa, quæ ejus voluntati obſecundat, quæ illum colit, atque adorat, ut Deum; quàm quæ illum ob affectatos Dei titulos diris devovit, affecit ſuppliciis, Cruci ſuffixit. Sed quod præſentis Inſtituti eſt, colligere nobis ſatis

ſit

ſit ex eo Judæorum reſponſo, Chriſtianos, qui Apoſtolicum Spiritum propiùs ebiberant, Chriſti Domini Divinitatem agnoviſſe, coluiſſe, idque adeo apertè, ac publicè, ut Judæis ipſis non ſecus, ac Ethnicis exploratiſſimum eſſet. Quod primum veteris Traditionis argumentum eſt de Chriſti Divinitate.

Accedit alterum ejuſdem ferme roboris, ac momenti petitum ex altero, non Chriſtianæ quidem Religionis, ſed Chriſti Divinitatis hoſte infenſiſſimo, Euſebio ſcilicet Cæſarienſi, quem livor tandem, ac rabies in Arianas partes conjecere; quique tantam apud illos ſibi famam fecit, ut Ariani ex ejus nomine Euſebiani vocarentur. Is ergo Euſebius *lib. 5. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 28.* ex vetuſtis quibuſdam Commentariis profitetur, Juſtinum, Miltiadem, Clementem, Irenæum, Melitonem, alioſque bene multos priorum ſæculorum Patres Chriſto Divinitatem tribuiſſe: Imo & addit, jam inde a primis Eccleſiæ temporibus Chriſtianos Chriſto, uti Deo, laudes canere conſueviſſe: *Sed & Pſalmi* (verba ſunt ejus) *vel Cantica, quæ a fratribus fidelibus ab initio ſcripta ſunt, Verbum Dei eſſe Chriſtum, & Deum tota hymnorum ſuorum laude concelebrant.* Quo nullum antiquæ Traditionis documentum certius eſſe poteſt.

Addendum, quod de eodem Euſebio referunt Athanaſius in Narratione de Concilio Nicæno contra Arianos; & Theodoretus *lib. 1. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 13.* nempe confeſſum illum eſſe, Patres ætate ſua ſuperiores Verbum ὁμοούσιον agnoviſſe: quòd nimirum Chriſtum æterno Patri conſubſtantialem agnoverint. Hanc quidem confeſſionem conceptis verbis in Euſebii ſcriptis hodie legere non licet: non ideo tamen, uti falſa, atque confiĉta rejici poteſt, Athanaſio teſte locupletiſſimo rei fidem faciente: ſed ab Euſebio in congreſſibus, diſputationibuſque cum Athanaſio ipſo voce habitis, conceſſum illud fuiſſe, neceſſe eſt: Athanaſii verba dabo: *quod majoris admirationis eſt*, inquit, *Euſebius ex Cæſarea Paleſtinæ, cum pridie abnegaſſet, in eamdem ſententiam tamen poſtridie ſubſcripſit, quam etiam Eccleſiæ ſuæ legendam miſit dicens, eam eſſe Eccleſiæ fidem, & Patrum traditionem, Filium Patri eſſe conſubſtantialem.* Quid, rogo vos, locupletius eſſe poteſt ea profeſſi hoſtis teſtificatione? Hæc ſummatim, ac generatim dicta ſint. Sed quid jam, ſi in ſingulos Patres Nicæno Concilio ſuperiores diſtinctè, ac ſpeciatim inquiram ad eam de Chriſti Divinitate traditionem texendam? Quàm ampla dicendi materies ſeſe offeret? Pauca tamen dicam ad promulſidem. Patrum ſine controverſia Chorum duceret S. Dionyſius Areopagita, ſi verè illius eſſent, quæ ſub ejus nomine Opera circumferuntur. Nihil enim difertius ad præſens Inſtitutum eſſe poteſt, quàm quod legitur *in lib. de myſtica Theologia cap. 2. Jeſus ſuperſubſtantialis Deus humanæ naturæ ſubſtantia*

tia

tia factus eſt. At cum liber ille ejus re ipſa non ſit, ſed Scriptoris quinti duntaxat ſæculi, non eſt cur de Dionyſii Areopagitæ ſuffragio gloriemur ad Chriſti Divinitatem comprobandam.

Verùm ejus loco præſto nobis eſt S. Ignatius Martyr Patrum Eccleſiæ fine controverſia antiquiſſimus, qui ab ipſis Apoſtolis Antiochenæ Eccleſiæ poſt D. Petrum Epiſcopus conſecratus eſt; imo qui Chriſtum Dominum puer vidit. Is etenim parvulus ille fuiſſe dicitur, quem Chriſtus ſtatuit in medio Diſcipulorum de primatus dignitate diſputantium, dicens: *niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum Cælorum*; Matth. 18. Is ergo ita ſcribit *in epiſt. ad Antiochenos ſuos*: *omnis, qui ita annunciat unum ſolum Deum, ut tollat Chriſti Divinitatem, is eſt Diabolus, & inimicus omnis juſtitiæ*. Quo eleganti elogio Ariani pro ſuis meritis celebrantur!

Sequitur S. Martialis Apoſtolorum Diſcipulus *in Epiſt. ad Burdigalenſes, cap.* 10 (ſi tamen ejus eſt): *Itaque nihil diſcretum in Divinitate Trinitatis ſentiatis, quia vobis unus, & idem Deus, qui cuncta creavit, Pater; & unus & idem Dominus, per quem omnia facta ſunt, filius ejus Jeſus Chriſtus; & unus idemque Deus Spiritus Sanctus, in quo omnia ſubſiſtunt. Et hæc in perſonis tria diviſa; in divinitate unus Deus indiviſus eſt*. Filius ergo unus idemque Deus cum Patre eſt.

S. Juſtinus *in apolog. 2. ad Antoninum Pium* Chriſtum Deum illum ipſum eſſe affirmat, qui Moyſen allocutus in rubo dixit: *ego ſum, qui ſum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob*. Quis ergo illum verum Deum eſſe negaverit?

Athenagoras Juſtino æqualis *in Apologia ad Imperatores M. Aurelium Antoninum, & Aurelium Commodum, Armeniacos, Sarmaticos, &*, quod maximum eſt, *Philoſophos*: *Quis igitur non miretur, nos, qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum Sanctum, ita ut & unionis eorum vim, & ordinis diſtinctionem exponamus, impios, & ſine Deo homines vocari?* Quibus verbis diſtinctionem, ſeu ordinem inter Divinas Perſonas agnoſcit, eamdem tamen in iiſdem Virtutem, nempe Naturam.

S. Irenæus *lib.* 3. *adverſus hæreſes cap.* 6. totus eſt in probanda Chriſti Divinitate, hoc momento ex Scripturarum authoritate petito: *neque igitur Dominus, neque Spiritus Sanctus, neque Apoſtoli eum, qui non eſſet Deus, definitive, & abſolutè Deum nominaſſent aliquando, niſi eſſet verus Deus; neque Dominum appellaſſent aliquem ex ſua Perſona, niſi qui dominatur omnium, Deum Patrem, & Filium ejus*. Filius itaque Deus omnium Dominus eſt perinde, ac Pater, judice Irenæo.

S. Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *Pædagogiæ* circa finem ait: *laudent Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu, qui eſt unus Deus,*

& in

& in quo omnia unum ſunt, & per quem ſunt omnia. Certè ſi Deus eſt, per quem omnia, & in quo omnia, quis neget, eum verum eſſe Deum?

Tertullianus *lib. contra Praxeam* eamdem Filio, quam Patri Divinitatem adſcribit *cap.* 8. *Sermo ergo & in Patre ſemper, ſicut dicit; Ego in Patre. Et apud Deum ſemper, ſicut ſcriptum eſt; & Sermo erat apud Deum. Et nunquam ſeparatus a Patre, aut alius a Patre; quia, Ego & Pater unum ſumus. Hæc erit probole veritatis, cuſtos unitatis, qua prolatum dicimus filium a Patre, ſed non ſeparatum.*

S. Cyprianus *lib.* 2. *ad Quirinum* Chriſtum verum Deum eſſe ex Inſtituto probat, eique ea Divinarum Veteris Teſtamenti Scripturarum teſtimonia accommodat, quæ ſoli vero Deo convenire perſpicuum eſt: ut illud *Geneſis* 35. *Dixit autem Deus ad Jacob: Exſurge & aſcende in locum Bethel, & habita illic, & fac illic altare illi Deo, qui tibi apparuit, cum fugeres a facie Eſau, fratris tui*. Et illud Iſaiæ 45. *Sic dicit Dominus Deus Sabaoth: Fatigata eſt Ægyptus, & negotiatio Æthiopum, & Sabaim viri alti ad te tranſgredientur, & tui erunt ſervi, & poſt te ambulabunt vincti compedibus, & adorabunt te, & in te precabuntur; quoniam in te Deus eſt, & non eſt Deus alius præter te. Tu enim es Deus, & non ſciebamus, Deus Iſrael Salvator. Confundentur & reverebuntur omnes qui adverſantur tibi, & cadent in confuſionem*: & alia hujuſmodi bene multa, quæ in Prophetis paſſim occurrunt. Quæ certè ſi de Chriſto venturo dicta fuerunt, ut aſſerit Cyprianus, hunc verum Deum eſſe profectò cognovit.

Sileo S. Gregorium Taumaturgum, Dionyſium Romanum, alterum Dionyſium Alexandrinum, & Origenem; quorum ſuffragia recitat D. Athanaſius *in Narratione Concilii Nicæni contra Arianos*, ne vos prolixiori Patrum commendatione detineam.

Hoc tamen monere juvat, non admodum in inveſtiganda Origenis mente hodie inſudandum eſſe, ne inutilem operam locemus. Ita quippe ab Arianis ſecutis ſubinde temporibus ſcripta ejus interpolata, violataque ſunt, ut vix certi quidpiam ex eis colligere liceat. Sed cum fuerit ille inter Divinitatis Filii aſſertores ab Athanaſio, atque etiam a D. Baſilio *lib. de Spiritu Sancto* appellatus, Arianis nihil tunc in oppoſitum muſſitantibus, illiberalis ingenii foret, Origenem egregio illo titulo defraudare.

Declaratâ jam, bonoque in lumine collocatâ veterum Patrum ſententiâ circa Chriſti Divinitatem, ejuſdemque cum æterno Patre conſubſtantialitatem, expendere neceſſum eſt, quid ſibi SS. Patrum aliqui velint, qui Patrem æternum Filio ſuperiorem, Filiumque viciſſim Patri ſubjectum ſæpe numero appellarunt, petito ſcilicet illius

lius aſſertionis fundamento ex illis Chriſti Domini verbis *Joannis* 14. *Pater major me eſt*; & ex altera Apoſtoli ſententia 1. *Cor. cap.* 15. *cum autem ſubjecta fuerint illi omnia* (nimirum Filio), *tunc & ipſe Filius ſubjectus erit ei*, (ſcilicet Patri) *qui ſubjecit ei omnia*.

Et quidem, ſi eas loquendi formulas in cute tantùm, ac ſuperficie conſideremus, plana, & obvia interpretatio ſuppetet per omnium ora volitans; nimirum, Chriſtum, uti hominem, Patre minorem, eidemque eſſe ſubjectum; tametſi, uti Deus eſt, eidem ſit per omnia coæqualis, juxta celebratum illud Dictum Symboli S. Athanaſio vulgò adſcripti: *æqualis Patri ſecundum Divinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem*. Verùm interpretationem hanc minimè patiuntur quorumdam Patrum Teſtimonia; Gregorii ſcilicet Nazianzeni, Baſilii, Cyrilli Alexandrini, Chryſoſtomi, Athanaſii, Tertulliani, Hilarii; qui Chriſtum, etiam uti Deum, Patre minorem agnoſcunt. Quid ergo? Ita ne Patres illos Arianis concedemus, tanquam impii dogmatis aſſertores? Abſit: maximè cum certo certius ſit, horum aliquos, uti Athanaſium, Hilarium, Chryſoſtomum Arianam Hæreſim datâ operâ, ac principe ſtudio impugnaſſe, confutaſſe, debellaſſe. Quid itaque ſibi volunt? Iſtud unum; nimirum, Patrem æternum in ratione principii Proceſſionum quadam, ut Schola loquitur, relativa dignitate, atque præſtantia gaudere, Filio, ac Spiritui Sancto minimè communi: ſic etenim Pater Filii, & Spiritus Sancti principium eſt, ut hi viciſſim Patris principium nequaquam ſint. Quæ tamen excellentia, atque præſtantia Patris, cum merè relativa ſit, abſolutam in Natura æqualitatem minimè lædit. Ne quis verò putet, quæſitum de Scholæ tribulis, ac vepretis ſuffugium illud eſſe potius, quàm legitimum eorum Patrum interpretamentum, S. Cyrilli Alexandrini verba dabo, quibus & ſuam, & aliorum Patrum ſententiam in eum plane modum exponit *lib.* 2. *Theſau. cap.* 3. *Quamvis ergo* [inquit] *ſecundum rationem ſubſtantiæ Patris, æqualis, & penitus ſimilis ſit, major tamen ipſo Pater eſt, qui eum generat, in hoc ſolummodo quia ex eo Filius eſt: & ſic principium Filii ſecundum originem Pater eſt*. Quæ ſanè datam a me interpretationem mirè confirmant. Reliquum modò eſt, ut aſſerta jam, ac in tuto poſita adverſus Arianos Catholica veritate, ad eorumdem Hæreticorum Momenta exſufflanda animum convertamus; quod in ſequentibus Deo favente præſtabimus.

PRÆ-

NOTA.

Hæc argumenta, quæ communia ſunt Arianis, atque Judæis Chriſti Divinitatem ex æquo negantibus, exhibere placuit Tom. 2. *in Tractatu de Incarnatione, ubi de Chriſti Divinitate pariter agitur. In IX. itaque Prælectione Lector ibidem reperiet, quæ hìc juſtis de cauſſis omittenda duximus.*

PRÆLECTIO IX.

Spiritus Sancti Divinitas contra Eunomianos, & Macedonianos Hæreticos demonſtratur.

DE Spiritus Sancti Divinitate ſermonem mihi nunc habituro id ſtatim occurrit animo, quod prudenter, æquè, & eruditè monet D. Hilarius *lib. 2. de Trinit.* inquiens: *de Spiritu autem Sancto nec tacere oportet, nec loqui neceſſe eſt: ſed ſileri a nobis eorum cauſſa, qui neſciunt, non poteſt.* Quod ut ego ſumma nunc religione exequi poſſim, duplicem duntaxat pro ejus vindicanda Divinitate Exercitationem inſtituam. Primam, ut eam Scripturarum, ac Patrum Teſtimoniis contra Macedonianos, & Eunomianos demonſtrem, ac probem. Alteram, ut illorum in oppoſitum Momenta refellam.

Macedonianorum porro, Eunomianorumque Spiritus Sancti Divinitatem negantium deliratio Arianis omnibus ſeu Veteribus, ſeu Novis communis eſt error. Nemo enim Filio Divinitatem eripuit, qui non eam Spiritui Sancto denegaverit pari utrinque perfidia, atque blaſphemia. Non unus tamen, idemque eſt hujus erroris exponendi, ac tuendi modus; ſed, ut ſuo ducuntur genio, nefarium errorem variis coloribus obducunt.

Macedonii Diſcipuli tenaciores, qui erroris ejus virus purius, veriùs dixerim, impurius ebiberunt, Spiritum Sanctum eo ſenſu Deum eſſe diffitentur, quòd illum in Creaturarum ordinem detrudendum velint. Alii, iique potiſſimùm recentiores Macedoniani Spiritum Sanctum Deum eſſe omnino non negant; ſed Dei ad extra agentis energiam, virtutem, & efficaciam eſſe volunt: ſeu veriùs, Divinam Omnipotentiam hominibus regendis, atque ſanctificandis intentam; nequaquam tamen Perſonam ſubſiſtentem in Deo ab aliis re ipſa diſtinctam.

Quapropter, ut Eccleſiæ Catholicæ Fidem præſenti Exercitatione tueamur, duo nobis probanda veniunt. Primum; Spiritum Sanctum non Creaturam, uti Macedoniani puriores obtendunt; ſed Deum eſſe: alterum; Spiritum Sanctum non Dei duntaxat Virtutem eſſe, Divinæque, ut ajunt, Omnipotentiæ effuſionem, & efficaciam, ſed Perſonam in Divina Natura ſubſiſtentem. Quorum alterum ſi minùs adverſus Macedonianos probaremus, nihil prorſus ad revincendum errorem actum eſſet. Eja nunc de primo dicamus;

& Spiritum Sanctum verum Deum eſſe ex ſacris potiſſimùm Literis demonſtremus.

Explicatiſſimum illud eſt, ac prorſus invictum, quod *Actorum cap.* 5. legere eſt : ibi quippe Ananiam, & Saphiram pecuniæ ex agro divendito ſuſceptæ defraudatores ita coarguit Apoſtolici Cœtus Caput, ac Princeps D. Petrus : *Anania cur tentavit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto?* Tum quid ſit ille Spiritus, in quem illi mentiti fuerunt, ſtatim oſtendit, ut admiſſi mendacii gravitatem exaggeret : *non es mentitus*, inquit, *hominibus*, *ſed Deo*. Deum ergo Spiritum Sanctum agnovit ille, qui Spiritus Sancti primitias, ut Apoſtolus loquitur, primus ebiberat. Quo eleganti Teſtimonio Patres pene omnes Macedonianis jugulum petunt; Baſilius *lib.* 5. *contra Eunomium* ; Gregorius Nazianzenus *Orat.* 37. Cyrillus *Dialogo de Spiritu Sancto* ; Theodoretus *lib.* 5. *Hæret. fabularum* ; Ambroſius *lib.* 1. *de Spiritu Sancto cap.* 4. Auguſtinus *lib.* 3. *contra Maximinum*.

Huic Teſtimonio geminum eſt, quod habet Gentium Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 6. *an neſcitis quoniam membra veſtra Templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt?* Quanquam verò Religione ipſa duce, atque etiam Naturæ ſenſu ſatis intelligamus, nulli niſi Deo Templa poni ; atque inde colligere certò poſſimus, Spiritum Sanctum, cujus corpora noſtra Templa ſunt, Deum eſſe; id ad juris, ut ita dixerim, abundantiam explicatum voluit idem Apoſtolus, dum inquit : *ſi quis autem Templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*; *Actorum* 3. Quæ duo Apoſtoli loca ſi mutuò conferas, Spiritum Sanctum conceptiſſimis verbis Deum ab ipſo nominatum invenies. Duo namque ponit Apoſtolus : primum ; corpora noſtra Templa eſſe Spiritus Sancti ; alterum ; Templa eſſe Dei ex hoc ipſo, quòd Spiritus Sancti Templa ſint. Id ergo certum, indubitatumque, Spiritum Sanctum Deum eſſe.

Ne quis tamen importuniùs obtrudat, Dei nomen ab Apoſtolo per metaphoram tantùm, ac nonniſi figuratè, & translatitio ſenſu iis fortè locis uſurpari, ubi illud Spiritui Sancto peculiariter accommodat, vitilitigationes illas omnes amovet idem Apoſtolus, dum veteris Teſtamenti Oracula de vero proprioque Deo citra omnem dubitationem pronunciata, de Spiritu Sancto intelligenda eſſe profitetur. Id mutua veteris, & novi Teſtamenti collatione compertum eſt; E: G: *Iſaiæ* 6. ita legimus : *vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum .... Et dixit : vade, & dices populo huic : Audite audientes & nolite intelligere : & videte viſionem, & nolite cognoſcere : excæca cor populi hujus*. Quod hîc verus Deus Iſaiam alloquatur, nullus, ut opinor, ibit inficias.

At

At Spiritum Sanctum fuiſſe illum ipſum, qui ita Iſaiam eſt allocutus, admonet Paulus Act. 28. *Bene* inquit *Spiritus Sanctus locutus eſt per Iſaiam Prophetam ad Patres noſtros dicens; vade ad Populum iſtum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non percipietis.* Spiritus Sanctus igitur verus eſt Deus, qui Iſaiam tunc eſt allocutus, illumque afflavit, & inſpiravit.

Non abſimiliter verus Deus citra dubitationem ille erat, qui *Levit. cap. 16.* Moyſen alloquebatur: *loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod eſt intra velum coram Propitiatorio, quo tegitur Arca, ut non moriatur.* Sed & hunc quoque, qui ita Moyſen admonebat, fuiſſe Spiritum Sanctum author eſt idem Paulus Apoſtolus *ad Hebræos 9.* Nam ubi mandatum hoc a Deo datum Moyſi commemorat, confeſtim ſubjungit, quid eo ſignificare voluerit Spiritus Sanctus: *hoc*, inquit, *ſignificante Spiritu Sancto, nondum propalatam eſſe Sanctorum viam, adhuc priore Tabernaculo habente ſtatum.*

Rurſus verus Deus ille eſt, qui *Pſal. 94. ſic* loquebatur: *hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto, ubi tentaverunt me Patres veſtri.* Hunc verò Deum non alium, niſi Spiritum Sanctum, eſſe idem ille Paulus ſignificat ad Hebræos cap. 3. *Quapropter, ſicut dicit Spiritus Sanctus: hodie ſi vocem ejus audieritis;* & cætera, quæ recitantur in Pſalmo.

Uno verbo, quin verus Deus ille fuerit, qui Prophetas afflavit, nemo aut dubitavit hactenus, aut dubitare meritò potuit: Dominus enim Deus Iſrael *locutus eſt per os ſanctorum, qui a ſæculo ſunt, Prophetarum ejus;* ut ait Zacharias in *Cantico Lucæ* 1. At Spiritum Sanctum eſſe illum ipſum, qui Prophetarum ore locutus ſit, univerſim affirmat Petrus Apoſtolus *epiſt. 2. Cath. cap. 1. Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines*: ſic ut perſpicuum omnino ſit, vel negandam omnino eſſe utriuſquè Teſtamenti conſonantiam, vel Spiritum Sanctum uti Deum verum agnoſcendum, & adorandum.

Cætera quid memorentur Dei Optimi Maximi inſignia Opera, quæ ubique paſſim ſacris in Literis Spiritui Sancto tribuuntur, ut illum ipſum Spiritum Sanctum Deum Optimum Maximum eſſe colligamus? Creatio totius Univerſi Dei Optimi Maximi opus? & hæc ipſa Spiritui Sancto tribuitur Pſal. 32. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis Virtus eorum:* Juſtificatio peccatoris? & hæc a Spiritu Sancto eſſe dicitur: *Juſtificati eſtis in Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri*; 1. *Corinth. 6.* Vivificatio ſpiritualis? *Quod ſi Spiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum a mortuis,*

habitat in vobis; *vivificabit mortalia corpora veſtra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis*, ad *Rom.*8. Interior Eccleſiæ Gubernatio? *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*; *Actorum*20. Charitatis infuſio? *Charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*; ad *Roman.*5. Variorum diſtributio Donorum in Eccleſia? *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens ſingulis, prout vult*; 1. Corinth. 12. Divinorum Secretorum intima penetratio? *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*; 1. *Cor.* 2. Immenſitas? *Spiritus Domini replevit Orbem terrarum*; *& hoc, quod continet omnia, ſcientiam habet vocis*; *Sapientiæ* 1. Virginis Deiparæ fœcundatio? *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*; Lucæ 1. Chriſti Domini inunctio? *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me*; *Lucæ*4. & alia id genus pene ſexcenta Scripturarum Oracula, quæ uti propria Dei Opera Spiritui Sancto, tanquam vero illorum Authori attribuunt, atque adjudicant; ita Spiritum Sanctum Deum eſſe, neceſſaria conſecutione demonſtrant, veterumque Macedonianorum in abneganda Spiritus Sancti Divinitate inſcitiam æquè, ac impietatem in propatulo ponunt.

Quo loco præterire nefas arbitror, quod D. Ambroſius *lib.* 3. *de Spiritu Sancto* nefariis illis veritatis Hoſtibus fidenter exprobrat; interpolatrices videlicet manus in ſacros Scripturæ Codices intuliſſe; auſuque nefario Joannis illud Oraculum *cap.*4. quo dicitur: *Spiritus eſt Deus*, expunxiſſe; ne quod inde Veritatis præſidium Eccleſiæ Defenſores accerſerent: *Literas quidem potuiſtis abolere*, clamat Sanctiſſimus Doctor, *ſed fidem non potuiſtis auferre .... neque enim vos poteratis oblinire veritatem*; *ſed illa litura de libro vitæ nomina veſtra radebat*.

Videndum modò, an alii Macedoniani recentiores ſibi meliùs conſuluerint, qui cùm Spiritus Sancti Divinitatem negare ſe omnino non poſſe certò videant, eò demum recidunt, ut Spiritum Sanctum intimam duntaxat Dei ad extra agentis Virtutem eſſe velint, Divinamque Potentiam creandis, ac regendis hominibus intentam; minimè tamen ſubſiſtentem in Perſona, ſaltem propria, atque diſtincta, uti Eccleſiæ Catholicæ Fides habet.

Figmentum hoc ſubtiliùs quidem excogitatum eſt, & ad eludenda infinita propemodum Scripturarum Teſtimonia confictum; aliis nihilominus, iiſque lucidiſſimis Teſtimoniis facilè revincitur. Quanquam enim inficiari omnino nolim, occurrere quandoque ſacris in Literis Oracula quædam, ubi Spiritus Sancti nomine intima Dei Virtus intelligitur, fatendum nihilominus bona fide, extare & alia bene multa, quæ palam evincunt, Divinum illum Spiritum toties commendatum

tum re ipſa ſubſiſtere, ac in Perſona quidem ſibi propria. Præſto eſt, quod Chriſtus de Spiritu Sancto tam ſæpe repetit in Joan. Evangelio *cap.* 14. *ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*: & *cap.* 15. *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit* : & *cap.* 16. *cum autem venerit ille Spiritus veritatis* : & *cap.* 14. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo* : & cap. 16. *de meo accipiet, & annunciabit vobis*. Quæ profectò Spiritum Sanctum aliam eſſe a Patre, Filioque Perſonam plus ſatis indicant. Nemo enim, opinor, erit, qui id de Virtute aliqua, ſeu de Attributo Omnipotentiæ aliqua veri ſpecie poſſit accipere, quaſi aut Divina Virtus, aut Attributum Omnipotentiæ a Deo & dari, & mitti poſſit, aut etiam ab illo procedere valeat.

Confirmat hoc idem, quod legimus in Actis Apoſt. *cap.* 19. ubi cum Paulus veniſſet Epheſum, nonnulloſque diſcipulos interrogaſſet, num Spiritum Sanctum accepiſſent, reſponderunt illi : *neque ſi Spiritus Sanctus eſt, audivimus*. Quæro jam ego : putatis, per fidem veſtram, Paulum de activa Dei Virtute, deque Attributo Omnipotentiæ quæſiiſſe, num illud Epheſini Diſcipuli accepiſſent? illoſque viciſſim de Attributo Omnipotentiæ reſpondiſſe, ſe de illo nequidem an ſit, audiviſſe? Lepida profectò interrogatio; lepidior multò reſponſio illa fuiſſet. De Divina Perſona quærebat Paulus, quæ in ipſo Baptiſmate ſolebat tunc etiam ſenſibiliter dari, de qua tamen nihil adhuc audiverant Epheſii Diſcipuli; tum quòd nondum Baptiſmate Chriſti baptizati eſſent; tum quòd nondum Trinitatis Myſterium fuiſſet illis prædicatum. Eſt itaque Spiritus Sanctus Divina quædam Perſona in Trinitate ſubſiſtens; non activa Dei Virtus, non Omnipotentia, aliudve ſimile Attributum, uti laxiores Macedoniani contendunt.

Accedit, quòd interdum Perſonis Divinis adnumeretur Spiritus Sanctus: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; Matth. cap.* 28. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*; *epiſt.* 1. *Joan. cap.* 5. quod certè minùs accuratè diceretur, ſi Virtus duntaxat, aut Attributum quoddam eſſet; non verò Perſona in Deo ſubſiſtens, atque a reliquis omninò diſtincta.

Idem adſtruunt Spiritus Sancti Apparitiones, atque Miſſiones in Scripturis identidem enarratæ : niſi quis ita fortè deſipiat, ut Dei Virtutem, Omnipotentiam, aliave id genus Attributa & a Deo mitti, & ſub certis ſymbolis conſpicua fieri, ſeſeque hominibus exhibere fabuletur : *deſcendit Spiritus Sanctus* (inquit Lucas *cap.* 3.) *corporali ſpecie, ſicut columba, in ipſum* : & *Act.* 2. *apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis; ſeditque ſupra ſingulos eorum; & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto.*

Iis

Iis omnibus robur addit glorificationis Hymnus, jam a primis Eccleſiæ ſæculis a Fidelibus recitari ſolitus, quo Spiritus Sanctus cum Patre ſimul, & Filio communiter colitur : *gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, cujus antiquitatis Teſtes locupletiſſimi ſunt Tertullianus, Cyprianus, Baſilius, Athanaſius. Is porro glorificationis Hymnus uſque adeo Spiritus Sancti Divinitati adſtruendæ, ac profitendæ apprime congruit, ut Concilii Conſtantinopolitani Patres adverſus Macedonium ſpecialiter congregati non aliis peſtiferam Hæreſim verbis proſcribendam arbitrati ſint, quàm Spiritum Sanctum unâ cum Patre, ac Filio adorandum, & conglorificandum affirmando ; hancque unam, uti locupletiſſimam Catholicæ Fidei de Spiritu Sancto Profeſſionem Nicæno Symbolo addendam judicando : *qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur* : rati profectò, Deum illum dubio procul habendum, Perſonamque Divinam eſſe, quam unâ cum Deo Patre, & Filio coleret, & adoraret Eccleſia. Hactenus in Macedonianos noſtris armis pugnavimus aggreſſores : reliquum eſt, ut eorumdem tela provocati retundamus : quod in ſequenti, Deo favente, præſtabimus.

PRÆ-

PRÆLECTIO X.

Macedonianorum Momenta contra Spiritus Sancti Divinitatem refelluntur.

SÆPE mecum tacitus cogitavi, quid demùm cauſſæ fuerit, cur qui Spiritus Sancti Divinitatem tanto ſtrepitu, tantiſque conatibus oppugnarunt, pauculis admodum, iiſque leviſſimis ad tuendum Errorem Momentis, ac rationibus uterentur: donec mihi tandem venit in mentem, id juſto Dei judicio meritò factum eſſe, ut qui Spiritum illum, ex quo tota Mortalibus virtus ineſt, oppugnandum aggrediebantur, omni planè virtute, ac mentis acumine deſtituerentur. Rem experimento comprobabitis, ſi quæ illi in ſui defenſionem Erroris Momenta jactabant, paululum perpendatis. En Achillæum, ut ipſis quidem viſum eſt, Argumentum, ex quo cætera diſcere liceat.

Spiritus (inquit Apoſt. *ad Rom.* 8.) *poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: Creatura igitur eſt: nec etenim Deus, utpote Supremus rerum Dominus, quidquam poſtulat, multò minùs gemitibus inenarrabilibus. Ita illi. At quis hìc vel mediocriter intelligens figuratam Apoſtoli locutionem non videat? Niſi enim hoc per figuram ab Apoſtolo dictum Macedoniani fateantur, Spiritum Sanctùm Hominem dicere tenebuntur: cum & Homines ſoli gemitibus inenarrabilibus poſtulare aliquid poſſint. Quid ergo? Reddant integra Apoſtoli verba, ut evaneſcat calumnia: *Spiritus*, inquit Apoſtolus, *adjuvat infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Eatenus itaque pro nobis poſtulat Spiritus Sanctus, quatenus noſtram adjuvat infirmitatem, ut nos ipſimet poſtulemus: poſtulat, dum ſecretiori Afflatu, quid poſtulemus, inſpirat: uno verbo, poſtulat, quia facit nos debite poſtulare; ſeu, ut Scholæ linguâ dicam, poſtulat efficienter, nòn verò formaliter. Id ex altero Apoſtoli loco compertum eſt *ad Galat.* 4. *miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda noſtra, clamantem*: *Abba*, *Pater*. Ecce Spiritum clamantem *Abba*, *Pater*: verùm quo ſenſu clamantem? Audi Apoſtolum ſui ipſius interpretem *ad Rom.* 9. *accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba*, *Pater*. Eo itaque ſenſu clamat Spiritus, quòd in eo (ejus ſcilicet inſpirante Gratia) clamemus.

Vultis aliud retundendæ Macedonianæ argutiæ opportunum Exemplum?

Digitized by Google

plum? Dabit Matthæus *cap.* 10. ubi de Apoſtolis legitur: ***non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis***. An ergo Spiritus per ſeſe ita in Apoſtolis loquebatur, ut ipſimet velut elingues, & inanimes non moverentur? Abſit. Agebant & ipſi; loquebantur & ipſi; ſed eo ſenſu Spiritus loquebatur in eis, quòd verba, quæ loquerentur Apoſtoli, Spiritus miniſtraret. Unde in antecedentibus inquit: *nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini*. Id ipſum de Spiritus Sancti poſtulatione, quod de locutione, dicendum ad Macedonianæ argutiæ confutationem.

Paris levitatis eſt, quod in ejuſdem Erroris confirmationem oſtentant Macedoniani ex Apoſtolo *ad Epheſios* 4. *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis*. Unde ſtolidè colligebant, Spiritum Sanctum Creaturam aliquam eſſe, propterea quod contriſtari ab hominibus poſſit. Quaſi verò? Non ne Deus ſacris in Literis affici triſtitia, ira, odio, aliiſque paſſionibus animi commoveri; imo tangi dolore cordis intrinſecùs dicitur? Sunt ergo hujuſmodi locutiones metaphoricæ prorſus, & impropriæ. Tam ſtultè ergo Spiritum Sanctum puram putamque creaturam eſſe ex eo loco colligebant Macedoniani, quàm Deum corpus eſſe Anthropomorphitæ concludebant ex hoc uno, quòd & iraſci, & dolere, & pænitere, & loco moveri dicatur Sacris in Literis. Quibus addiderim ex D. Auguſtino *lib. contra ſermonem Arianorum cap.* 25. Fideles quandoque dici contriſtare Spiritum Sanctum, dum Apoſtolicos Viros Præpoſitos ſuos, animarumque Rectores contriſtant; quia ipſi pro ſalute ipſorum ſecundùm Spiritum Dei contriſtantur: juxta alterum Apoſtoli dictum: *nolite vos contriſtare, qui ſecundum Spiritum Dei contriſtantur ex vobis*. Quare nihil ex eo Apoſtoli loco extundere poſſunt.

Sed neque melioris eſt notæ, quod ex Chriſti Domini dicto repetunt Argumentum *Joannis 16. cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur a ſemetipſo; ſed quæcunque audiet, loquetur*. Unde colligunt Macedoniani, Deum verum non eſſe illum, qui nihil a ſemetipſo loqui poteſt, ſed Internuncii duntaxat, atque Interpretis vices gerit. Eodem profectò, aut certè ſimili argumento Ariani utebantur, ut Chriſti Divinitatem oppugnarent; dum illud *Joannis* 5. contra Filium objiciebant: *Non poteſt Filius a ſe facere quidquam*. Quas utique tricas, atque cavillos, dum de Filii Divinitate ageremus, diſſipavimus. Oſtendimus quippe, iis loquendi formulis; *Spiritus Sanctus non loquetur a ſemetipſo; Filius non poteſt a ſe facere quidquam*; id unicè ſignificari, habere unumquemque illorum loquendi, faciendique Virtutem, non a ſe ipſo, ſed a Patre, a quo Naturam habuerunt:

iſte

iſte quidem per Generationem, ille verò per Spirationem. Quare non ſubjectionis illorum, aut impotentiæ, ſed Proceſſionis argumentum eſt, quòd nihil a ſe ipſis & loqui, & facere poſſint.

Novas ex Amoſi Prophetia ſuppetias quærunt Macedoniani; idque avidè arripiunt, quod *cap.* 4. habet : *firmans tonitrum & creans Spiritum*, ut vertunt Septuaginta : hincque Spiritum illum toties in Prophetis commendatum nihil, niſi Creaturam aliquam nobiliorem, eſſe ſibi fingunt. Iiſdem quoque ad Chriſti Divinitatem oppugnandam ventis ducebantur Ariani, eorum quidem judicio, ſecundis, dum innumera Scripturæ loca congerebant, quibus Æterna Sapientia *creata a Deo* dicitur : *ab initio, & ante ſæcula creata ſum* .... & rurſus : *qui creavit me, requievit in Tabernaculo meo*; & alia, quæ ſæpius in libris Salomonis occurrunt.

Mirari ſubit, eò ineptiæ deveniſſe Macedonianos, ut eo Amoſi loco, ubi de vento perſpicuè ſermo eſt, quaſi de Spiritu Sancto ſermo fieret, abuterentur. *Ego Dominus*, inquit Propheta, *firmans tonitrum, & creans ſpiritum*; nempe ſpiritum procellarum. Quis id ad Spiritum Sanctum citra impietatem, & ſummam inſcitiæ labem detorqueat? At Sapientis Oraculum eſt : *qui nititur mendaciis, hic paſcit ventos*; *Proverbior.* 10. Verùm demus, ſi lubet, de Spiritu Sancto ibi ſermonem eſſe . Itane ubi primùm Spiritus Sanctus, aut etiam Æterna Sapientia creati dicuntur, id ſtricta ſignificatione ſumendum eſt, ut in Creaturarum ordinem propterea detrudantur? Abſit. Senſibus longè multis obnoxia illa vox eſt latina *Creo* græcè γίνομαι, uti præmonet Athanaſius *epiſt. de Decretis Nicænæ Synodi*. Quare eo ipſo modo, quo Æterna Sapientia *creata* dicitur : *ab initio, & ante ſæcula creata ſum* (*Eccleſiaſtici cap.* 24.) eadem concepta quoque ſignificatur : *nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram* (*Prov.* 8.) Productionem itaque ſimpliciter vox illa ſignificat, quovis tandem modo illa fiat. Nec ſine Myſterio ea interdum voce *Creationis*, ſeu γινο uſus eſt Salomon, ubi de Æternæ Sapientiæ Generatione, aut de Spiritus Sancti Proceſſione ſermonem habet : ut nimirum & ſimplicitas Proceſſionis, & Productionis immutabilitas oſtendatur. Quod obſervat D. Hilarius *lib. de Synodis*.

Haud ſatis Macedonianis, & Eunomianis viſum eſt, Spiritus Sancti Divinitatem oppugnare : Eccleſiæ etiam Catholicæ, maximè verò Concilii Conſtantinopolitani Momentum potiſſimum, quo Spiritus Sancti Divinitatem propugnabat, convellere nitebantur. Cum enim eo maximè titulo Spiritum Sanctum Deum eſſe declaraſſet Sacra Synodus, quòd per Prophetas ſit locutus, ii, ut hanc ipſam rationem infringerent, non Deum, ſed Angelum per Prophetas locutum dictitabant, eumque pro exemplo afferebant,

qui Zachariam Prophetam interiùs afflavit; de quo dicitur (*Zachariæ cap.4.*) *& reſpondit Angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me.* Teſtem & illum addebant, qui Danielem Summum omnium Myſteriorum edocuit; Gabrielem ſcilicet, de quo dicitur: *Ecce vir Gabriel citò volans tetigit me in tempore Sacrificii veſpertini, & docuit me, & locutus eſt mihi (Daniel.cap.9.)* Fruſtra ergo, (colligebant ii) ad arrogandam Spiritui Sancto Divinitatem, Hunc eo elogio ornatum voluit Concilium Conſtantinopolitanum primum in Symbolo: *qui locutus eſt per Prophetas*; cum per Prophetas locuti ſint Angeli.

Verùm dicant, amabo; quid ſibi hoc Argumento velint nefarii Blaterones? Fortè ſolos Angelos, Deo licet minimè inſpirante, Prophetas afflaſſe? Id ſi velint, univerſam Scripturam Sacram evertant neceſſe eſt; cujus eſt illud Dogma certiſſimum, Propheticam facultatem non niſi a Deo eſſe poſſe: ipſum etiam, plus dicam, Naturæ ſenſum penitus exuunt; juxta quem nullus, niſi Deus, Futura libera internoſcere certò poteſt. Norunt id Gentiles ipſi: *Pone Deos, & qui poſſint ventura videre*, ajebat Manilius.

Scire nefas homini, quid craſtina volverit ætas:
Neſcia mens hominum Fati, Sortiſque futuræ.

inquit Poetarum alter. Aut e contrario Angelos, Deo ipſo interiùs inſpirante, & illuminante, Prophetas afflaſſe, & docuiſſe Macedoniani contendunt? Id ſi putant, bene eſt; & ad noſtram Sententiam accedunt. Quid enim obeſt, quominùs hunc Spiritum Sanctum Deum fuiſſe dicamus, qui, Angelis adminiſtris, Prophetas interdum edocuit, inſpiravit, afflavit? Nec etenim Miniſteria Angelorum intimam Dei Omnipotentis, qui illos in officium vocat, Virtutem, ac Præſentiam excludunt. Id aperto evincimus Argumento a Divinis Scripturis petito. Legem ab Angelis Moyſi datam, ait Stephanus Protomartyr in ea celebri Concione, quam habuit ad Judæos *Act.7. accepiſtis Legem in diſpoſitione Angelorum.* Id verò non obeſt, quominùs Deus ipſemet Legem dederit, Moyſenque præſens ipſe ſit allocutus: *loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum*; *Exod.* 33. Tantæ ergo dementiæ eſt, Prophetas ab Angelis interdum edoctos idcirco a Spiritu Sancto afflatos negare, ac ſi quis Regem idcirco ſuis Subditis imperantem inficiari vellet, quòd in iis regendis Adminiſtros interdum accerſat, iiſque ad ſignificandum Subditis voluntatem ſuam utatur.

Iis rationibus pulſi Macedoniani ad tricas, & cavillos confugiunt, atque ex ipſis Spiritus Sancti Dotibus Divinitatem ejus oppugnant.

pugnant. *Spiritus Sanctus* (inquiunt illi) *Donum eſt & Pignus Hæreditatis noſtræ*, ut ait Apoſtolus: Perſona itaque Divina non eſt: dare quippe Majeſtatis eſt: dari ſervilis prorſus, atque infimæ conditionis.

Rurſus (inquiunt illi) quævis Divina Perſona fingatur eſſe, ſit illa Pater, ſit illa Filius, Spiritus eſt: quid enim Spiritus nomine venit in mentem, niſi Subſtantia ab omni materiæ fœce ſecreta, uti ſunt Pater, & Filius? Uterque pariter Sanctus eſt. Non itaque Spiritus S. Nomen tertiæ cujuſpiam Perſonæ appellatio eſt.

Demum ita ſibi videntur ſubtiliter diſputare lepidi Theologaſtri: vel Spiritus Sanctus genitus eſt, vel ingenitus: ſi genitus, Filius eſt; ſi ingenitus, Pater erit: hæc etenim propria eſt primæ Perſonæ Nomenclatura ut ingenita ſit.

Verùm nec rete Accipitri tenditur, neque Milvio. Sunt hæc leviores tendiculæ, quàm ut iis Eruditus aliquis capi poſſit. Quid enim vetat, Spiritum Sanctum Perſonam ſimul Divinam, & Donum eſſe? Perſonam, inquam, quatenus in Deo ſubſiſtit; Donum, ut a Patre, Filioque datur? Etenim & Filius ipſe datur a Patre, nec id ejus Majeſtati reputatur injurium: *Sic enim Deus dilexit Mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret*, inquit Joannes *cap.* 3. Ne quis verò eum, uti Servum, a Patre dari ſibi fingat, dedit & ille ſe ipſum: *dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, ut eriperet nos de præſenti Sæculo nequam; ad Galat.* 1. Ea tamen Spiritui Sancto magis propria ac veluti Charateriſtica Nota eſt, ut Donum dicatur eſſe, utpote qui nedum a Patre, Filioque datur Hominibus; ſed id Proceſſione ſua ſortitur, ut detur; quia procedit ut Amor, cujus proprium eſt dari.

Quod Spiritus Sancti Nomen attinet, de quo Macedoniani cavillantur, Gregorii Nazianzeni præclara vox eſt: *Judaicæ perfidiæ genus eſt, relictis rebus, ſyllabas inſectari.* Dent Macedoniani, quod Spiritus Sancti nomine ab Eccleſia ſignificari certò ſciunt; modica ſupererit de Vocabulo Controverſia. Neque tamen jejuna, ſterilifque putanda eſt illa Spiritus Sancti ab Eccleſia communiter uſurpata Appellatio. Non enim *Spiritus* nomine Subſtantiam duntaxat ab omni materiæ fœce ſecretam intelligimus, quo ſenſu quævis Perſona Divina *Spiritus*, & quidem *Sanctus* nuncupari meritò poſſet; ſed impulſum, & pondus Amoris intelligimus, quod unius, de qua diſſerimus, Perſonæ proprium eſt.

Cæterum Spiritum Sanctum nec genitum dicimus, nec ingenitum, ſed Procedentem. Concilii Toletani XI. Definitio eſt in Fidei Profeſſione: *Spiritus Sanctus* (inquiunt Hiſpanienſis Eccleſiæ Præſules) *nec ingenitus, nec genitus creditur: ne aut, ſi ingeni-*

tum dixerimus, duos Patres dicamus; aut, ſi genitum, duos Filios prædicare monſtremur. Quanquam tamen ſpeciali quodam ſenſu *ingenitus* appellari poteſt, ab Æterno Patre longè diverſo. Pater quippe *ingenitus* idcirco dicitur, hoc eſt *improductus*, quòd a nullo tum generatione, tum quavis alia ratione procedat; *ingenitus* verò Spiritus Sanctus, quòd a Patre, Filioque minimè gignatur; tametſi ſpeciali alia ratione, videlicet Spiratione, ab utroque producatur.

Reliquum modò eſt, ut Spiritus Sancti Divinitate probata, ac vindicata, Controverſiam graviſſimam ordiamur, quæ jam a nono Chriſtiani nominis Sæculo Græcam Eccleſiam magna ex parte cum Latina commiſit. Controverſiam intelligo de Proceſſione ejuſdem Spiritus Sancti a Patre ſimul, & Filio; quam Latina propugnat Eccleſia, negat Græcæ Eccleſiæ pars aliqua, quo ex tempore fatali a nobis Schiſmate ſciſſa eſt. Quare erit hoc ſequentis Exercitationis Argumentum.

PRÆ-

PRÆLECTIO XI.

Initia, & Progreſſus Erroris Græcorum circa Proceſſionem Spiritus Sancti exponuntur.

DE Spiritus Sancti a Patre, Filioque Proceſſione, quæ Latinam tandem Eccleſiam cum Græcis Schiſmaticis tanto animorum æſtu commiſit, Tractationem habituri, abſit, ut ad Eccleſiæ Græcæ injuriam loqui velimus. Græcam Eccleſiam Dominici Gregis portionem nobiliſſimam ſcimus, eamque, quod majus eſt, Paſtoris ipſius, Chriſti ſcilicet, Sanguine irrigatam. Patres ea in Eccleſia floruiſſe quamplurimos, & avitæ Doctrinæ celebratiſſimos extitiſſe, nequaquam ambigimus. Concilia Œcumenica octo priora, quibus & ſancita Fides eſt, & reſtituta Diſciplina, ejus in ſinu celebrata certò novimus. Quæ omnia, & venerationem a nobis maximam, & ſingularem exiſtimationem ab æquo rerum æſtimatore meritò poſtulant. Quidquid ergo dicendum a me erit, nemo veſtrum, qnaſi ad maculam Eccleſiæ florentiſſimæ inurendam meditatum percenſeat; ſed ad privatorum duntaxat aliquorum detegendos Errores dictum accipiat; qui ab avita ipſius Eccleſiæ Græcæ Fide receſſere, ut, Schiſmate facto, Spiritum Sanctum a ſolo Deo Patre procedentem obtruderent.

Ea venerationis meæ erga Eccleſiam florentiſſimam teſtificatione præmiſſa, dicam jam liberiùs, atque fidentiùs, quid de hujus Erroris initiis, quid de progreſſu abſque ulla aſſentatione ſtatuendum exiſtimo. Photio Græcorum Schiſmaticorum Duci in ſuo illo procudendo Errore (de Spiritu Sancto a ſolo Patre, non item a Filio procedente) idem plane contigit, quod Ario, Eunomio, Pelagio, cæteriſque hujus frontis Hominibus diu ante contigerat. Veterem ille crambem recoxit, detritaſque jam, interpolataſque merces ſuis Gregalibus venditavit. Dicam id explicatiùs; quod & præſentis Exercitationis Argumentum erit adverſus quorumdam Eruditorum Opinationem. Error de Spiritu Sancto a ſolo Patre, non item a Filio procedente, longo ante Photium temporis intervallo, Græcorum, ſin minùs omnium, at certè bene plurium animos occupaverat. Nec aliud Photius, niſi petulantem audaciam, & Schiſma Errori addidit; quibus ſuos ab Eccleſiæ Romanæ fœdere impotenti ambitione diſſociavit. Novum illud nonnullis videbitur Paradoxum, qui Errorem hunc a Photio primùm inductum exiſtimant. At magnis, opinor, molitionibus erit opus ad meam iſtam Theſim refellendam.

Id

Id ut probem, Theſimque meam in propatulo ponam, ſuperiora Photio tempora percurram paſſu retrogrado; & hujus Præformatores Erroris intento veluti digito vobis oſtendam.

Et certè unicuique notum, perſpectumque eſt, Photium primos ignes immiſiſſe, & ab Eccleſia Schiſma feciſſe, abnegata Spiritus Sancti a Filio Proceſſione, anno circiter octingenteſimo ſexageſimo, quo cœpit in Sanctum Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum virus effundere. At quinquaginta circiter annis in anteceſſum adverſus Spiritus Sancti a Filio Proceſſionem Græcos aliquos conſpiraſſe, perſpectum eſt ex Hiſtoria Synodi Aquiſgranenſis anno octingenteſimo nono ſub Carolo Magno celebrati. In qua Synodo de Proceſſione Spiritus Sancti Quæſtio agitatur; utrum ſicut procedit a Patre, ita procedat a filio. Quam Quæſtionem Joannes Monachus Hieroſolymis moverat. Similiter & Annonius *lib.* 4. *de Geſtis Francorum cap.* 95. *Aquiſgrani*, inquit, *Concilium a Carolo Magno habitum eſt, ut Proceſſio Spiritus Sancti a Filio ſanciretur. Quam Quæſtionem Joannes quidam Monachus Hieroſolymis movit temporibus Leonis Imperatoris.*

Quis hic porro Joannes extiterit, qui Errorem illum diſseminaverit Hieroſolymis, definire, noſtra non intereſt. Joannem Damaſcenum illum eſſe putat Petrus Pithæus, Vir de re literaria bene meritus *Opuſc. de Proceſſione Spiritus Sancti*, cui ego non admodum repugnaverim: ſiquidem conſentit conditio perſonæ, conſentit & ratio temporis. Joannes quippe Damaſcenus & Græcus Monachus erat, & ſub Leone Iſaurico Imperatore Iconomacho vitam duxit. Suffragari quoque videtur Doctor Angelicus 1. *parte quæſt.* 36. *artic.* 2. ubi Catholicum Dogma defendens, cum ſibi feciſſet obviam Joannis Damaſceni verba *ex lib.* 1. *de Fide Orthod. cap.* 11. ubi Spiritum Sanctum a Filio minimè procedere disertè ſignificat; reſpondit, ejus ſententiæ ſtandum non eſſe, propterea quòd eo in Errore verſatus ſit. At, utut ſit (non enim mihi mens eſt, conjecturam meam mordicus propugnare, cum ſciam, Michaelem Lequien in prima Damaſcenica Diſſertatione oppoſitum ſuſtinere, ac etiam haud infirmis congruentiis probare) id nobis ſufficit unum, Quæſtionem hanc a Græco Monacho, quiſquis tandem ille fuerit, excitatam eſſe, cui confutando, atque damnando Synodum cogere neceſſe fuerit quinquaginta circiter annis, antequam Photius caput extolleret, ut Schiſma faceret. Hoc primum Theſis a me poſitæ Momentum eſto. Accedit alterum quinquaginta, & amplius annis Concilio Aquiſgranenſi ſuperius Teſtimonium; & ante Photium integro ſæculo conſtituendum; Concilium videlicet Provinciale Gentiliaci prope Lutetiam Pariſiorum ſub Pipino Francorum Rege anno ſeptingenteſimo ſexageſimo ſexto celebratum. Enim verò

verò Hiſtorici pene omnes antiqui apud Gallos noſtros, Annonius *lib.4.* de Geſtis Francorum *cap.69.* Abbas Uſpergenſis, Ado Viennenſis, Sigebertus Regino in Chronicis ad annum ſeptingenteſimum ſexageſimum ſextum obſervant, Pipinum Francorum Regem Concilium Provinciale ad Villam Gentiliacenſem convocaſſe, ut Quæſtionem de Trinitate inter Græcos, & Latinos definiret. Pergratum quidem nobis feciſſent Hiſtorici illi, ſi quænam illa Quæſtio fuerit, diſtinctè notaſſent: magna nos difficultate liberaſſent, ſi addito verbulo rem obſcuram in aperto poſuiſſent. At quod ii adnotare neglexerunt, notavit ſine fuco Adonis Chronici Breviator, qui eam Quæſtionem Græcos inter, & Latinos de Trinitate Gentiliaci ventilatam ait eſſe, *utrum Spiritus Sanctus, ſicut procedit a Patre, ita procedat a Filio?* Nihil ergo jam eſt, quod ambigamus in hac parte; quanquam, ſi nobis Breviator ille præſto non eſſet, qui Myſterium revelaſſet, ſola ratione duce id aperire facile fuiſſet. Quæ enim, quæſo, Græcos inter, & Latinos de Trinitate Controverſia fuit unquam, niſi quæ de Spiritus Sancti Proceſſione movetur? Si quis alteram novit, dicat, amabo: lubenter excipiam, nec doceri aliquid moleſtè feram, ſed lucro ducam. Sit ergo ſecundum illud ſtatutæ a me Propoſitionis Fundamentum; Errorem ſcilicet illum diu ante Photium invectum eſſe a Græcis:

Tertium altiùs repeto; duobus videlicet ante Photium Sæculis integris, imo & amplius, anno nimirum ſexcenteſimo quadrageſimo, quo ſub Conſtante Imperatore florebat Sanctus Maximus Martyr. Extat enim verò ejus ad Marinum Diaconum Epiſtola Dogmatica, qua ex Inſtituto Græcorum adverſus Romanos criminationes eluit, quarum una, eaque potiſſima, illa erat, quòd Romanus Pontifex ſcripſiſſet, Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere. Quocirca oſtendit Sanctiſſimus Martyr, nihil ea parte novaſſe Pontificem Maximum; cum in eo aſſerendo Catholico Dogmate antiquos utriuſque Eccleſiæ Patres ſuffragatores haberet. Jam tunc ergo Spiritus Sancti a Filio Proceſſionem inficiabantur Græci aliqui. Eo S. Maximi Martyris ſuffragio exagitati in Concilio Florentino Græci Schiſmatici eò primùm confugerunt, ut eam ad Marinum Epiſtolam ſpuriam dicerent. Sed, productis antiquiſſimæ notæ Manuſcriptis Codicibus Græcis, ea ſtatione dejecti ſunt. Nec immeritò; nam & hodie tres pervetuſti Codices Romæ inveniuntur; unus in Græcorum Collegio; alter in Bibliotheca Columnenſi; tertius in Muſæo Vaticano; qui eam Sancti Maximi ad Marinum Epiſtolam integram repræſentant. Non itaque primus e Græcis extitit Photius, qui eum de Spiritus Sancti a Patre ſolo Proceſſione Errorem cuderit, ut negotium ob id Eccleſiæ Romanæ faceſſiverit; ſi duobus in anteceſſum Sæculis jacta erat hæc alea.

Quar-

Quartum occurrit, quod idem evincat, eliquatiſſimum argumentum, alteri jam præmiſſo admodum affine. Græcorum adverſus Latinos criminationem a S. Maximo confutatam in eo poſitam audiſtis, quod Pontifex Romanus ſcripſiſſet, Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere. Quis ille Pontifex fuerit, qui id ſcripto reliquiſſet, curioſiùs inveſtigavi; ac demum, Deo auſpice, Gregorius I. Pontifex Maximus mihi occurit, de quo Græcos illos expoſtulaſſe deprehendi: namque Catholicum illud Dogma ſtatuiſſe perhibetur Gregorius Magnus *lib.* 2. *Dialog. cap.* 38. ubi ſic habet: *Cùm enim conſtet, quia Paraclitus Spiritus a Patre ſemper procedat, & Filio, cur ſe Filius receſſurum dicit, ut ille veniat, qui a Filio nunquam recedit?* Conſentit deinde ratio temporis, cum paulò ante vivere deſiiſſet Gregorius Pontifex I., quàm Græci illi obmurmuratores a Sancto Maximo confutati criminationes has molirentur. Is quippe anno ſexcenteſimoquarto fato ceſſerat; iſti verò anno circiter ſexcenteſimo quadrageſimo muſſitarunt. Verùm, inquies, quid inde ad præſens Inſtitutum? Dicam breviter. Ad Græcorum manus ſtatim poſt Sanctiſſimi Pontificis obitum venerunt illius Dialogorum libri, & ab eis Græco idiomate redditi ſunt. Cùmque adeo apertam Spiritus Sancti a Filio procedentis teſtificationem ferre non poſſent, procaces in eos Dialogos manus injecerunt, & ſacras illas voculas *Filioque procedit* iniqua arte ſuſtulere. Teſtis mihi eſt omni exceptione major Joannes Diaconus, qui vitam Sanctiſſimi Pontificis omnium diligentiſſimus ſcripto dedit. Legat, qui eo delectatur argumento, librum 4. cap. 75. Jam ſi ſic eſt, ut nedum Gregorio Magno ob aſſertam Spiritus Sancti a Filio Proceſſionem negotium Græci faceſſiverint, ſed & illius etiam Dialogos vitiarint, ut eam particulam *Filioque* abraderent ducentis, & amplius annis antequam Photius caput extolleret; quis quæſo Photium primum hujus apud Græcos erroris artificem dicat?

Jam verò Hæreſeos Neſtorianæ primordia repetenda veniunt, ut primum hujus Erroris Architectum detegamus. Et quidem Theodoretus Neſtorii apparitor, & armiger quinto vertente Sæculo annis ante Photium ferme quingentis hunc ipſum ex inſtituto propugnandum Errorem aggreſſus eſt: *Spiritum Sanctum a ſolo Patre procedere*. Cùm enim S. Cyrillus in novo contra Neſtorium Anathematiſmo Spiritum Sanctum Filii Spiritum eſſe dixiſſet, quòd nempe ab illo quemadmodum a Patre procederet; id veluti impietatem, atque blaſphemiam ſugillavit audaciſſimè Theodoretus in hujuſce novi Anathematis confutatione; idque nec timidè, ſed alta fronte, & erecto minaciter ſupercilio. Quin etiam in actis Concilii Epheſini Neſtorianum Symbolum legere eſt, cujus authorem Theodorum Mopſueſtenum Neſtorii, & Theodoreti Magiſtrum exti-

extitiſſe notum eſt; ubi idem proculitur Error. Ex quo patet quàm juſto titulo hujus Erroris initia a Neſtorianis Sæculo quinto tumultuantibus petierit Doctor noſter Angelicus 1. *part. quæſt. 36. artic. 2. ad 3.* tametſi ab hujuſcemodi rebus Hiſtoricis adnotandis alieno ſatis animo extitiſſe videatur: *Dicendum* (inquit) *quòd Spiritum Sanctum non procedere a Filio, primò fuit a Neſtorianis introductum, ut patet in quodam Symbolo Neſtorianorum damnato in Epheſina Synodo: & hunc Errorem ſecutus fuit Theodoretus Neſtorianus; & plures poſt ipſum: inter quos fuit etiam Damaſcenus.*

Non me fugit, Theodoretum hujus Erroris Aſſertorem Sæculo quinto palinodiam tandem ceciniſſe, & caſtra mutaſſe; Errorem in Concilio Chalcedonenſi ejuraſſe; ac velut honorandum Eccleſiæ Membrum ſuſceptum eſſe, ac ſuæ etiam Sedi honorificè reſtitutum: bene quidem. At id non obeſt, quominus ab eo jacta ſit alea, ut præformatus ab illo nefarius Error ab aliis ſubinde Græcis ſtudiosè ſuſceptus ſit; & adverſus Eccleſiæ Latinæ Profeſſionem diu ante Photianum Schiſma propugnatus. Tametſi, quod fateri neceſſum eſt, primus omnium Photius extiterit, qui errorem hunc, addito per ſummam impudentiam Schiſmate, cumulaverit.

Quid ergo? Quo tandem nomine eum de Spiritus Sancti Proceſſione Errorem appellabimus? Eccleſiæ Græcæ dicemus Errorem? Abſit. Calumnia profectò foret omnium atrociſſima: cùm e contrario Sancti Cyrilli Epiſtola numero decima, ſuo, & Concilii Alexandrini nomine ſcripta, ubi appoſitè Veritas Catholica disertè ſtatuitur, in Eccleſiæ Græcæ Conciliis approbata, receptaque ſit; in Epheſino ſcilicet, Chalcedonenſi, Conſtantinopolitano ſecundo, ac tertio; qua de re plura ſuo loco dicam.

At, inquies, a Græcis identidem ab antiquo, & ante Photiana tempora procuſus Error ille eſt: quidni ergo Græcorum Error vocitetur? Minimè verò: quia & toties ab ipſis Eccleſiæ Græcæ Patribus refutatus eſt; ut alibi demonſtrabo. Quis porro integræ Eccleſiæ immundam maculam dicat ob quorundam Nebulonum aberrationes, ab ipſis Eccleſiæ ſuæ Principibus, & Athletis eo tempore confutatas? Si ita ariolari licitum eſſet, Pelagianiſmum æquo jure Eccleſiæ Latinæ Errorem appellare quis poſſet; cùm & a Britannis, Africanis, & Gallis procuſus, ac defenſatus identidem fuerit. Abſit ergo, ut hanc Eccleſiæ florentiſſimæ inuramus injuriam. Photianiſmum ergo, ſeu Photianum dicamus Errorem, tametſi a Græcis longè plurimis fuerit ante Photiana tempora præformatus; hunc Photio deferamus honorem quem Ario, Eunomio, Pelagio, cæteriſque hujuſce notæ tene-

brionibus deferre ſolet Literarius Orbis. Uti enim illorum Errores, tametſi ab aliis magno numero præformati, ab iis tamen acceperunt nomen, quòd ab eis majori audacia, arte, fraudibus, concitatis Diſcipulis, & Gregalibus, ultimò prodierint; ita procuſus, ac ſæpius ante Photium ſuſcitatus Proceſſionis Error ab eo repetere nomen ſummo jure, ac titulo poteſt, qui in illo diſſeminando impudentiæ, & audaciæ palmam retulit; Erroremque concitatis Diſcipulis, additoque Schiſmate cumulavit.

Tempus eſt, ut deteſtis primis Erroris hujus Authoribus, ad ejus confutationem vocem, & animum convertamus: erit hoc ſequentis Exercitationis Dogmaticum Argumentum.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO XII.

Defenditur Proceſſio Spiritus Sancti a Filio ex Scripturis, & utriuſque Eccleſiæ (Græcæ, atque Latinæ) definitionibus.

QUÆSTIONEM juris attingimus, num Spiritus Sanctus, uti procedit a Patre, ita procedat a Filio: Quæſtionem inquam attingimus, quæ, ſi partium diſſidentium Conditionem attendimus, inter omnes celeberrima eſt. In aliis quippe Quæſtionibus vel Theologos Fidei domeſticos, ejuſdemque Eccleſiæ membra ob levioris momenti Difficultates, quæ Religionem minimè lædant, exagitamus; vel, ſi Hæreticos a Fide ſegreges confutamus, non ita ſanè de eorum a nobis ſciſſione dolemus, ac de Eccleſiæ Græcæ aliàs florentiſſimæ, quæ nobis tamdiu conſociata fuerat, fatali Schiſmate vulneramur. Quare facit agitandæ Controverſiæ dignitas, ut eam pro uberiori Difficultatis eliquatione in varia Capita dividamus. Primùm: Proceſſionem Spiritus Sancti a Filio ſacrarum Scripturarum Oraculis comprobabimus; & Conciliorum tum Orientis, tum Occidentis Definitionibus muniemus: Secundò: eamdem Proceſſionem Patrum Græcorum, (Latinis, de quibus nullum eſt dubium, omiſſis) ſuffragio vindicabimus: Tertiò: de Symbolo D. Athanaſii (quod in hujuſce Catholicæ Veritatis præſidium Latini plerique magna pompa laudare ſolent) illiuſque Authoritate diſputabimus: Quartò: Græcorum Objecta diluemus: Quinto: de additione particulæ *Filioque* Nicæno, & Conſtantinopolitano Symbolo a Latinis poſterioribus facta, diſſeremus.

De primo itaque Capite in hacce præſenti Exercitatione dicturus quatuor ex multis Scripturarum Oracula ſeligam, quæ Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere invictiſſimè probant.

Primum extat in verſiculo 14. capitis 16. Evangelii Joannis, ubi Chriſtus de Spiritu Sancto, quem venturum ſuis Diſcipulis adpromiſerat, ſermonem habens: *Ille*, inquit, *me clarificabit: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Quæ verba Spiritum Sanctum Scientiam a Filio accipere apertè ſignificant, ſeu accepturum Divinitatis, & Sapientiæ plenitudinem, ut explicat D. Auguſtinus. Imo & hoc ipſum S. Cyrillus, & S. Chryſoſtomus Eccleſiæ Græcæ Antiſtites eo loci ſignificatum diſertè tradunt. Porro ſi Spiritus Sanctus Scientiæ plenitudinem a Filio accipit, Naturam quoque illum accipere neceſſe eſt; hanc verò qua via ab eo accipere po-

teſt, niſi per ſui Proceſſionem ab illo? Procedit ergo Spiritus Sanctus a Filio.

Senſit hujus Argumenti pondus Theophylactus Scripturarum quidem Interpres non ignobilis; ſed a Photio, ſtatim ac Schiſma fecit, ad Errorem diſſeminandum adductus eſt: imo partium ſtudio impotenter abreptus Latinos apertè traduxit in ſuis ad Caput Joannis tertium Commentariis. Is ergo, ut hoc Oraculo ſeſe expediret, reſpondit, illius hunc ſenſum eſſe: *ille de meo accipiet:* hoc eſt: *de meo Theſauro*, nempe de Patre, a quo Filius accepit omnia ſua, non de ſuo ipſius Fundo.

Lepida profectò Reſponſio. Cur ergo, ſi ita eſt, non ait Chriſtus *de meo Theſauro accipiet*; ſed indefinitè *de meo*; hoc eſt: de meo Fundo? Sed & verba ſua Chriſtus Dominus ibidem interpretatur; & quid ſibi velit illud *de meo accipiet* diſtinctè ſignificat, dum antea dixerat: *non enim loquetur a ſemetipſo: ſed quæcumque audiet loquetur*. De eo ergo accipiet Spiritus Sanctus, quem interiùs ſibi loquentem audit: at non ſolùm Patrem, verùm etiam & Filium audit Spiritus Sanctus; Igitur a Filio quoque Scientiam accipit Spiritus Sanctus. Quocirca Didymus Græcorum Patrum unus S. Hieronymo ætate ſuperior *lib. 2. de Spiritu Sancto* Dictum illud *non loquetur a ſemetipſo* ſic explicat: *quia non ex ſe eſt, ſed ex Patre, & me eſt: hoc enim ipſum, quod ſubſiſtit, & loquitur, a Patre, & me illi eſt*. Quo uno Photianum Errorem, & ſi alia nulla ſuppeterent, jugulari poſſe, minimè dubitaverim. Inſuper, dum ait Chriſtus Dominus: *ille me clarificabit; quia de meo accipiet*, ſignificat plane, Spiritum Sanctum ab illo ipſo accipere, quem erat clarificaturus: Erat autem Filium clarificaturus, non tantùm Patrem: de Filio ergo accepturus erat, non de Patre tantùm, tanquam communi Perſonarum procedentium Theſauro.

Cavillatur ſubinde Theophylactus in verbo *accipiet*; quod cum futuri temporis ſit, Spiritus Sancti Proceſſionem, quæ eſt ex Æternitate, ſignificare non poſſe putat. At fallitur moroſiſſimus Cavillator. Ea enim rerum æternarum conditio eſt, ut omnium temporum differentiæ exprimantur, cùm omnium temporum vices Æternitas complectatur. Aliàs æquo jure fingi poſſet, de Æterna Verbi Generatione in Pſalmo 109. non eſſe ſermonem, ubi dicitur: *ex utero ante luciferum genui te*; cùm & hoc præteriti temporis verbum ſit, quod Æternitati nilminùs, quàm futuri temporis verbum, repugnare videri poſſet.

Accedit alterum nil minus efficax Scripturæ Teſtimonium ad Proceſſionem Spiritus Sancti a Filio confirmandam ex verſiculo 7. ejuſdem cap. 16. Joannis delibatum. *Si enim non abiero*, inquit Chriſtus, *Paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam*

eum

eum ad vos. Et cap. 15. *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis.* Ex quo apertè colligitur, Spiritum Sanctum a Filio mitti. Porro per hoc quod aliquis mittitur, oſtenditur Proceſſio quædam miſſi a *mittente*; ut optime colligit Doct. Angelicus 1. *part. quæſt.* 43. *art.* 1. Jam verò Spiritus Sanctus, qui a Filio mitti hoc loco dicitur, à Filio non procedit ſecundùm imperium, uti ſervus a Domino miſſus: reſtat ergo, ut ab eo procedat ſecundùm Originem: ſuam itaque Originem Spiritus Sanctus habet a Filio, atque ita procedit ab eo.

Reponunt Græci Schiſmatici, ex Spiritus Sancti a Filio Miſſione ineptiſſimè colligi ejuſdem ab illo Proceſſionem; aliàs ipſum viciſſim Filium ab ipſomet Spiritu Sancto procedere, æqua ratione fingi poſſet; cùm & Chriſtus a Spiritu Sancto miſſus pariter aſſeratur *Iſaiæ* 48. ubi ex Perſona Filii dictum legimus: *& nunc Dominus Deus miſit me, & Spiritus ejus.* Quapropter, inquiunt Græci, Spiritus Sanctus a Filio eo dumtaxat ſenſu Miſſus aſſeritur, quia Filius ea hominibus Dona largitur, quæ Spiritus Sancti Dona dicuntur.

At ſi Iſaiæ Contextum penitiùs inſpexiſſent, nunquam eorum animos ea cogitatio ſubiiſſet. De Filio quippe Dei in aſſumpta Natura Prophetam agere clariùs eſt, quàm ut id probare neceſſe ſit. *Spiritus Domini* (Scripturæ verba ſunt *Lucæ* 4.) *ſuper me: propter quod unxit me; evangelizare pauperibus miſit me.* Filius ergo ea in Natura a Spiritu Sancto miſſus eſt, ſecundùm quam ab ipſo oleo Gratiæ, & lætitiæ unctus eſt; nimirum ſecundùm Humanitatem, atque adeo Proceſſione, non æterna, de qua nunc agimus, quæ per Originem fiat; ſed Proceſſione temporali, quæ per imperium, authoritatemque exerceri ſupponitur.

Fruſtra verò diverticula illa Græci quæritant, ut fictitias nobis interpretationes obtrudant; quaſi verò Spiritus Sanctus eo duntaxat ſenſu a Filio miſſus aſſeratur, quia Filius ea hominibus Dona largitur, quæ Spiritus Sancti Dona dicuntur. Imo potius ea Spiritus Sancti Dona conferuntur a Filio, ac ipſe quoque Spiritus Sanctus nobis confertur, ac datur: utrumque enim collatum, ut Donatum a Deo, monet Apoſtolus *ad Rom.* 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.*

Et verò eo plane modo Spiritum Sanctum mitti a Filio Scriptura docet, quo Filius a Patre miſſus paſſim aſſeritur. At quis eos ferendos exiſtimaret, qui Filium eo tantùm ſenſu a Patre miſſum aſſererent, quòd nobis Pater ea beneficia, ac dona contuliſſet, quæ Filii Dona vocitantur; non quòd eum Proceſſione, & Origine miſerit? Pari ergo feſtivitate ridendum ad id, quod Pho-

Photiani propinant, dum futiles illas interpretationum Argutias nobis obtrudunt.

Eamdem Catholicam Veritatem, Proceſſionem ſcilicet Spiritus Sancti a Filio confirmant ea omnia Scripturarum Oracula, quibus Spiritus Sanctus Filii Spiritus dicitur, quemadmodum Patris. Obvia illa ſunt ſæpe numero *ad Rom.* 8. *ad Galat.* 4. *Matthæi* 10. *Joannis* 20. & alibi ſæpius. Quomodo enim & eſt, & dicitur Filii Spiritus, ſicut & Patris, niſi propter Originem habitam ab utroque? Frivolum quippe eſt, quod Græci nonnulli reponunt, Spiritum Sanctum Spiritum Filii nuncupari, quia unam eamdemque cum Filio Naturam habet. Si enim ea valeret ratio, poſſet perinde Spiritus Sanctus Verbum Filii nuncupari, cum Spiritus Sanctus unam eandemque cum Verbo Naturam habeat. Quod nemo non videt abſurdiſſimum eſſe, ac etiam hæreticum. Apage ergo vana hominum inaniter garrientium Effugia; quibus eliquatiſſimæ Veritati nebulas offundere moliuntur.

Secundùm hæc Scripturarum Oracula Eccleſia Græca Catholicam illam Veritatem expreſsè profeſſa eſt, antequam fatali a nobis Schiſmate ſcinderetur; imo & antequam prima contrarii Erroris ſemina ſpargerentur. Enim vero candenti lapillo expreſſa eſt *in Epiſt. Synodica* Sncti Cyrilli (cujus eſt) Synodi Alexandrinæ nomine ad Neſtorium data, ubi inter cætera ſic loquitur: *Quandoquidem Spiritus Veritatis nominatur; Chriſtus autem Veritas eſt: & proinde quoque ab illo, atque a Deo Patre procedit.* Quod etſi non levis per ſe momenti æquis rerum æſtimatoribus videri debeat ob Scribentis clariſſimum Nomen, majorem adhuc authoritatem, ac robur obtinet ex Veterum Conciliorum Œcumenicorum approbatione, qua ea Sancti Cyrilli Epiſtola donata eſt, & confirmata. Hanc etenim Epiſtolam hoc calculo confirmarunt Concilium Epheſinum *cap.* 14. Chalcedonenſe *Act.* 1. Conſtantinopolitanum II. *Actione ultima*; Conſtantinopolitanum III. *Act.* 19. ſic, ut ea Sancti Cyrilli, & Concilii Alexandrini Epiſtola, quæ tam elegans Spiritus Sancti Proceſſioni Teſtimonium tulit, quatuor Conciliorum Œcumenicorum in ipſo Eccleſiæ Græcæ ſinu celebratorum authoritatem, ac robur habere poſſit.

Sed eſt aliud obſervatione longè dignius, in ſeptimo Concilio Generali, Nicæno videlicet ſecundo non eam duntaxat Sancti Cyrilli, & Synodi Alexandrinæ Epiſtolam Synodalem probatam eſſe, verùm etiam in ejuſdem Seſſione ſeptima Sacroſanctum Symbolum Conſtantinopolitanum, addita particula *Filioque*, inſertum eſſe. Quod cùm in Concilio Florentino Græcis Præſulibus a noſtris objiceretur, iique perfracte reſponderent, ita non eſſe, Græcorumque Codicum fidem appellarent; Cardinalis

lis Julianus, & Andreas Theologus Eccleſiæ Latinæ præſtantiſſimus, producto vetuſtiſſimo Græco Codice, Græcos falſi poſtularunt, & convicerunt. Id ex Actis Seſſionum quintæ, ſextæ, ac ſeptimæ Concilii Florentini perſpicuum eſt. Legat, qui vult.

Ex quibus omnibus apertè videtur, quàm falsò, ac temere ſcripturierint Græci nonnulli, Spiritus Sancti a Filio Proceſſionem a nullo Orientalis Eccleſiæ Concilio fuiſſe agnitam, magnumque eo ex capite argumentum deſumere ſibi putent. Cùm e contrario a quinque, ut ut minimum, Synodis in ipſo Orientalis Eccleſiæ gremio celebratis, ſummaque totius Orbis veneratione ſuſceptis approbatam fuiſſe, certiſſimè conſtet.

Jam quid Eccleſiæ Latinæ Concilia memorem, ubi ſacrum illud Fidei Dogma definitum eſt? Silentio mittam, quæcunque, excitato ſemel Photiano Schiſmate, celebrata ſunt, Lateranenſe ſub Innocentio III. Lugdunenſe II. ſub Gregorio X. Florentinum ſub Eugenio IV. ubi, qui aderant Græci, evidentia ex Latinorum Argumentis ſuperati in ejuſdem nobiſcum Fidei Profeſſionem conſpirarunt; Symbolumque Nicænum, addita particula *Filioque*, communi nobiſcum voce ter inter Sacra Solemnia publicè decantarunt: Tametſi, ut eſt inſtabile Hominum genus, in priſtinum Errorem ſubinde prolapſi ſint. At prætermittere ea Concilia nefas eſſet, quæ longo ante Schiſma ſubortum intervallo coacta ſunt, & eo tempore celebrata, quo nobis Græci amica Communione jungebantur: Toletanum videlicet I. ſub Anaſtaſio I. Pontifice Romano celebratum anno quadringenteſimo; cujus hæc verba ſunt in Fidei Profeſſione: *credo .... Spiritum quoque Paracletum eſſe, qui nec Pater ſit ipſe, nec Filius, ſed a Patre, Filioque procedens:* Toletanum III. ſub Pelagio II. celebratum anno quingenteſimo octuageſimo nono, cui interfuerunt multi Sanctiſſimi Præſules, aliique numero centum quinquaginta. Ita quippe in Profeſſione Fidei (uti in *Can.* 3.) decernit: *quicumque Spiritum Sanctum non credit, aut non crediderit a Patre, & Filio procedere, eumque non dixerit coæternum eſſe Patri, & Filio, & coæqualem, anathema ſit.*

Rurſus Toletanum VIII. anno ſexcenteſimo quinquageſimo tertio ſub Martino Papa habitum, ducentis plus minus ante Photium annis: *credimus* (inquit) *in Spiritum Sanctum Dominum vivificantem, ex Patre, & Filio procedentem.*

Sed nec modò ante Shiſma Photianum, verùm etiam ante prima hujus Erroris ſemina à Neſtorianis quinto vertente Sæculo ſparſa, in Concilio Bracarenſi I. eliquata, atque ſancita Veritas fuerat, anno videlicet quadringenteſimo undecimo, triginta circiter annis ante

ante Neſtoriana primordia. Ita quippe in Fidei Profeſſione ſancitum eſt : *Credo in Spiritum Sanctum procedentem a Patre, & Verbo, unicum in Deitate cum ipſis, qui per ora Prophetarum locutus eſt, ſupra Apoſtolos ſedit, Mariam Chriſti Matrem replevit.*

Quam ergo excuſationem Græci obtendere poterunt? Erant illi (inquiunt fortaſſe) qui ita ſanxere, Eccleſiæ Latinæ Patres. Ita profectò; at eo tempore ſanxerunt, quo Græcis Fidei Communione conjuncti erant. Una ergo, eademque fuit olim eo in Capite Græcorum, ac Latinorum Fides. Jam ſi olim, cur non modò? Abſit enim, ut temporum fidem habere velint; & Veritatem, cui, Tertulliano Judice, nihil præſcribere poteſt, non intervalla locorum, non ſpatia temporum, non patrocinia perſonarum, pro variorum ſæculorum conditione metiri ſe poſſe putent. Sed ſupereſt adhuc, quod illos non minus efficaciter urgeat, Eccleſiæ videlicet ſuæ Patrum Teſtimonium; quod in proxima ſequenti Exercitatione, volente Deo, proferemus.

PRÆ-

PRÆLECTIO XIII.

Proceſſio Spiritus Sancti a Filio Patrum, ac præſertim Græcorum, authoritate demonſtratur.

QUOD olim Hebræis ab avita Religione declinantibus Moyſen dixiſſe legimus, id ego Græcis fatali a nobis Schiſmate diſciſſis dicendum exiſtimaverim : *interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi, Majores tuos, & dicent tibi. Deuteron.* 32. Satis quippe fore putaverim ad Græcos ab illo, quo nunc de Spiritus Sancti Proceſſione verſantur, Errore revocandos, ſi Majorum ſuorum, ac Patrum vocem fidelibus auribus auſcultarent. Ita enim Catholicum illud Dogma diſertis, & explicatis Suffragiis adſtruunt Græci Patres, ut mirari omnino ſubeat, Græcos, quos ſuæ Gentis, & Avorum gloria tenet, in Errorem oppoſitum declinaſſe.

Dies me deficiat, ſi quotquot Eccleſiæ Græcæ Patrum Teſtimonia ſuppetunt, ſi quotquot aliàs a doctiſſimo Cardinali Beſſarione in erudita Oratione coram Concilii Florentini Patribus habita recenſita ſunt, referre velim ex integro. Selectiora in medium proferam ab iis Græcæ Gentis Doctoribus petita, qui majorem apud illos Eruditionis, & Sanctitatis famam obtinent.

Prodit primus in ordine Sanctus Baſilius cognomento Magnus, quem aliàs tanti fecit, & æſtimavit Athanaſius, ut Eccleſiæ Catholicæ Gloriam *in Epiſtola ad Palladium* appellaverit. Is *lib.* 2. *contra Eunomium* prope finem, Eunomium confutaturus, qui Spiritum Sanctum a ſolo Filio, non item a Patre procedere contendebat, eo utitur Argumento; nimirum fieri non poſſe, ut ab uno procedat Spiritus Sanctus, & non ab altero, cum utrique ſimul & Patri, & Filio operationes communes exiſtant: *Nulla Filii operatio*, inquit, *a Patre diviſa eſt: nec eſt aliquid in rebus, quod Filio inſit, & a Patre alienum ſit. Omnia (inquit Filius) mea tua ſunt, & tua mea. Quomodo ergo Spiritus Sancti cauſſam, & originem ſoli Unigenito tribuit Eunomius?* Qua argumentatione Recentium Græcorum Errorem perinde confodit. Vel ergo abſonam Baſilii Magni argumentationem eſſe fateantur Græci neceſſe eſt; aut ſi eam, uti debent, efficacem, ac ſolidam agnoſcunt, eamdem pro ipſorum Errore confutando valere fateri coguntur. Si enim Spiritus Sanctus a Filio procedere nequit, quin etiam a Patre procedat, quia, qua proce-

procedit, Operatio Patri, ac Filio communis eſt; æqua ratione nequibit a Patre procedere, (quod tamen Græci Schiſmatici profitentur) niſi ut a Filio pariter jure procedat.

Id apertiùs ſignificat idem Sanctiſſimus Doctor *lib.* 3. ubi alterum Eunomii Errorem impugnat, quo Spiritum Sanctum quemadmodum in Trinitate Origine tertius eſt, ita & Natura tertium eſſe fabulatur: *Cur enim neceſſe eſt* (ait Baſilius) *ſi dignitate, ac ordine tertius eſt Spiritus Sanctus; Natura quoque ipſum tertium eſſe? Dignitate namque ipſum ſecundum eſſe a Filio, pietatis ſermo fortaſſe tradit; cum ab ipſo eſſe habeat, & omnino ab illo, uti cauſsâ, dependeat: natura verò tertia, uti nec a Divinis Scripturis docti ſumus, nec ex antecedentibus poſſibile conſequenter colligi*. Suum itaque eſſe habet a Filio Spiritus Sanctus; & ab eo uti Cauſſa, ſeu Principio procedit, judice D. Baſilio. Quo nihil puto diſertius eſſe poteſt. Jam vero quid Græci eo Teſtimonio in Synodo Florentina exagitati repoſuere? Corruptos Codices Latinos fuiſſe illico reſponderunt, eaque in Græcis Codicibus Baſilii verba non occurrere, quæ ſummam conficiunt: *cùm ab ipſo eſſe habeat, & omnino ab illo, uti Cauſſa dependeat*. Verùm Græcos Schiſmaticos inſigniter retuderunt Latini Theologi, productis venerandæ ſexcentorum annorum Antiquitatis Codicibus Græcis, ubi ea quoque Baſilii verba perleguntur. Quare rejiciendæ omnino ſunt, tanquam corruptæ Editiones illæ, in quibus ea Baſilii verba deſunt. Quinimo ex ipſamet ejuſdem Sancti Baſilii loquendi formula verba hæc a Græcis in apocriphiæ ſuſpicionem vocata, nonniſi ſtolida fraude, & imprudenti dolo a Schiſmaticis e nonnullis Codicibus Græcis fuiſſe expuncta, ſatis compertum eſt; cum idem plane ſenſus, eademque doctrina in ſubjectis ibidem verbis reperiantur. Subjungit enim e veſtigio Baſilius: *Nam, quemadmodum Filius ordine quidem a Patre ſecundus eſt, quoniam ab illo eſt; & dignitate, quoniam origo, & cauſſa eſſendi Pater ipſi eſt..... Naturâ verò nullo modo ſecundus, quoniam in utroque una eſt Deitas: ita videlicet & Spiritus Sanctus, etſi dignitate & ordine ſecundus a Filio eſt, ut illud concedamus: non tamen veriſimiliter alienæ ipſum eſſe Naturæ inde conſequetur*. Ubi notare operæ pretium eſt, quid ex Baſilii mente ſit, Perſonam unam dignitate, & ordine ab altera Secundam eſſe, ſicut Spiritum Sanctum a Filio Secundum eſſe concedit: id ſcilicet nihil aliud eſſe ait, quàm Perſonam unam alteri originem eſſe, ut cauſſam eſſendi. Quo circa hìc monere juvat, ne ob hanc loquendi formulam quis ambigere poſſit, dum a Græcis præſertim Patribus Perſonam unam alterius Cauſſam appellari audiunt, aut, quod etiam durius eſt, unam ab altera Pendentem aſſeri vident. Sunt enim hæ Græci Idiomatis voces innocuæ, ab eo ſenſu longè alienæ, quem Latini Theologi de more

re

re tribuunt, ac præcipue Recentiores, qui accuratiori criterio verba ſua limare ſoliti ſunt. Idem ſcilicet apud Græcos ſonat *Cauſſæ* vocabulum, quod Principium apud Latinos; idemque apud eos *unum ab altero pendere* ſibi vult, ac *ſine altero eſſe non poſſe:* quæ cùm apud nos receptiſſima ſint, non eſt, cur ea de re vel leviter moveamur; aut Græcis ob id negotium aliquod faceſſamus. Sed ad id, quod rei Caput eſt, redeamus. Faciunt & ad noſtrum Inſtitutum, ad Proceſſionem ſcilicet Spiritus Sancti a Filio comprobandam, Quæſtiones nonnullæ a Baſilio Magno *lib.* 5. *contra Eunomium* agitatę; quæ ſane nunquam ei veniſſent in mentem, niſi Spiritum Sanctum a Filio originem ducere pro certo ſupponeret. Hujus generis eſt Quæſtio ab illo propoſita, *num Spiritus Sanctus ſit Filius Filii?* Quis enim ſanæ mentis Controverſiam illam agitaret, qui Spiritum Sanctum a Filio nullo pacto procedere ſibi fingeret? Quis, amabo vos, Quæſtionem movit unquam, cur frater fratris filius non dicatur, a quo nullam originem trahit? Solus ergo Quæſtionis agitandæ Titulus Baſilii mentem in aperto ponit. Sed Quæſtionis hujus a Baſilio agitatæ definitionem audiamus, quæ Græcorum Errorem plane confodit: *Dicimus ergo* (reſpondit ille) *quod ſi quis Filium ex Filio diceret, in ſuſpicionem multitudinis Trinitatem Deitatis adduxiſſet apud homines, qui hoc audiviſſent. Facile namque ſuſpicari erat, quod ſi Filius ex Filio natus eſt, ex hoc alius utique natus eſſet, ac rurſus alius, & deinceps ad multitudinem progreſſu facto.* En itaque Baſilium non ideo negare, Spiritum Sanctum dici poſſe Filium Filii, quia ab ipſo non trahit originem, quo quidem nihil ad reſolvendam Quæſtionem luculentius, & efficacius fuiſſet: ſed ideo id inficiari, ne occaſio aliquibus præberetur, ut alium Spiritus Sancti filium comminiſcerentur, & rurſus iſtius alium; & ſic non Trinitas eſſet, ſed multitudo potius dicenda, per multiplices generationes conflata; ut contingit in animantium Speciebus; ubi una exiſtente natura, media generatione individua propemodum infinita multiplicari poſſunt.

Quæſtio altera a Baſilio ibidem agitata eſt: *an ſicut Filius Verbum Patris eſt, ita Spiritus Sanctus ſit Verbum Filii:* cui etiam movendæ Quæſtioni nulla ratio ſuppeteret, niſi Spiritus Sanctus a Filio originem duceret, quemadmodum & Filius a Patre originem trahit. Sed & quod mirandum magis, agitatæ Quæſtioni reſpondet, Spiritum Sanctum Filii Verbum eſſe: quod etſi benigna expoſitione emollire neceſſe ſit, ne ſiniſtro fortaſſe ſenſu Filii nomina Spiritui Sancto tribuantur; quod tamen Inſtituti noſtri eſt, Spiritum ſcilicet a Filio procedere, invictiſſimè probat.

Baſilio Magno in eodem aſſerendo Dogmate de Proceſſione Spiritus Sancti a Filio, adſtipulatur Gregorius Nazianzenus *Oratione*

37. *de Theologia*; ubi mota Difficultate, quid Spiritui Sancto deſit, ne & ipſe Æterni Patris Filius appelletur? Reſpondet, nihil quidem Spiritui Sancto deeſſe; ſed ob differentiam mutuæ inter Spiritum Sanctum, & Filium Relationis effectum eſſe, ut diverſa quoque nomina ſortirentur. *Deeſſe nihil dicimus. Non enim Deo quicquam deeſt. Verum manifeſtationis, ut ita dicam, mutuæque eorum Relationis differentia diverſa quoque ipſis nomina procreavit.* Mutua ergo inter ſe Relatione feruntur Spiritus Sanctus, & Filius: id verò qua ſorte, niſi unus ab altero originem ducat? Tum verò, ut Gregorius rudem (qualem humana tenuitas patitur) trium Perſonarum ideam nobis ingerat, Patrem Æternum Adamo, qui a nullo homine traxit originem, comparat; Filium Hevæ comparat, quæ ex Adamo ſolo formata fuit; Spiritum Sanctum Abeli, qui ab Adamo ſimul, & Heva traxit originem. Quæ verò hujuſce comparationis ratio, ſi Spiritus Sanctus a Filio minimè procederet? Nulla prorſus.

Gregorio Nazianzeno dat manus Gregorius alter, Nyſſenus ex Patria nuncupatus; a quo licet Græci Schiſmatici non pauca expunxerint, quæ ſuo Errori confutando nimis opportuna præſentiebant; quale eſt illud, quod Gennadiùs *in defenſione Concilii Florentini cap.* 1. memorat, non ſolùm a Patre eſſe Spritum, ſed & a Filio; non pauca tamen in eo ſuperſunt, quæ Proceſſionem Spiritus Sancti a Filio, a Græcis recentioribus pernegatam, invictiſſimè probant. In libro enim ad Ablabium de trium Perſonarum Diſtinctione diſſerens ita loquitur: *Quòd ſi quis calumnietur orationem, quaſi ex eo, quod non admittat differentiam circa Naturam, mixtionem quandam, & confuſionem Hypostaſeon facientem: hoc ad talem accuſationem reſpondebimus, quod nos, qui Divinam Naturam differentiæ, variationiſve expertem eſſe confitemur, eam, quæ circa cauſſam & cauſſatum conſideratur, differentiam non negamus, per quod ſolùm diſcerni alterum ab altero deprehendimus.* Quibus verbis iſtud Axioma poſuit Gregorius Nyſſenus: tres Perſonas Divinas inter ſe ſe idcirco diſtingui, quòd una cauſſetur, (ſeu quod apud Græcos, uti monuimus, idem eſt, ac originem ducat) ex alia: vel ergo Spiritum a Filio indiſtinctum exiſtimavit Gregorius Nyſſenus, quod dicere nefas eſt; vel eum a Filio originem ducere certiſſimè cenſuiſſe, dicendum eſt. Sed & conſecutionem ipſam ex poſito Axiomate intulit Sanctiſſimus Doctor: *Dicentes enim*, (ſubjungit) *alium quidem cauſſatum, & a cauſſa ortum; alium verò ſine cauſſa eſſe, non Naturam verbo cauſſæ ſeparamus, ſed ſolummodo neque Filiū ita ſe habere quaſi genitus non ſit, neque Patrem per nativitatem, & generationem eſſe indicamus.*

Divum Joannem Chryſoſtomum Eccleſiæ Græcæ lumen clariſſimum habemus in promptu; ſed non eſt, cur diu moremur. Adeo quippe nitidè, & apertè Dogma Catholicum adſtruit adverſus

verſus recentium Græcorum aberrationem, ut nulla noſtra commentatione ſit opus, ut verba ejus debite intelligantur. Siquidem is *Hom.* 1. *de Symbolo* (apud Bellarminum *Controverſia ſecunda de Chriſto lib.* 2. *cap.* 25.) inquit: *Iſte eſt Spiritus de Patre*, & *Filio procedens* : & rurſus *Hom.* 2. *Spiritum Sanctum dicimus Patri*, & *Filio coæqualem*, & *procedentem de Patre*, & *Filio* : & etiam *Hom.* 76. *in Joan. Ecce* (inquit) *quod non Pater ſolus*, *ſed* & *Filius Spiritum mittit*. Quid quæſo explicatius a quoquam optari poteſt?

Nec verò minus apertè S. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 13. *Theſaur. cap.* 2. *Ex Filio autem*(inquit) *naturaliter*, & *eſſentialiter Spiritum Sanctum*, *ſicut ex Patre*, *provenire credimus*.

Alter vero Cyrillus Hieroſolymorum Antiſtes *Catecheſi* 17. non modò Spiritum Sanctum a Filio procedere docet; verùm etiam qua ratione, quove pacto Proceſſio iſta fiat, luculenter exponit; & falſam, ridiculamque quorundam Opinationem retundit, qui Spiritum Sanctum externo quodam, ac materiali modo afflari. fabulabantur: *Ipſe unus tantùm eſt* (inquit) *atque idem Spiritus Sanctus vivens* & *ſubſiſtens*, *qui ubique Patri*, & *Filio adeſt*, *non qui ab ore*, & *labiis Patris*, & *Filii loquendo formetur*, *vel afflетur*, *aut in aerem diffundatur*: *ſed ſubſtantialis*, *loquens ipſe*, & *operans*, *adminiſtrans*, & *ſanctificans*.

Non abſimiliter Epiphanius in Ancorato rem eliquatiſſimè decernit: *Deus eſt* (inquit) *ex Patre*, & *Filio Spiritus*. Quare remirari ſatis non poſſum, qua forte factum ſit, ut ſepoſitis, ac omnino neglectis tot limpidiſſimis Veteris Eccleſiæ ſuæ Oraculis, nova Commenta ſectari Græci maluerint: niſi quod plus eos in Eccleſiam Latinam livor, & invidia movit, quàm debita Majoribus ſuis veneratio.

Adjungerem tot illis jam a me appellatis Eccleſiæ Græcæ Luminibus, Didymum Alexandrinum, Simeonem Metaphraſten, Anaſtaſium Antiochenum, Tarraſium Patriarcham Conſtantinopolitanum, alioſque non paucos ab eruditiſſimo Beſſarione laudatos in Oratione dogmatica ad Concilii Florentini Patres habita; qui recentium Græcorum Errori confutando abunde ſufficerent.

Ne tamen inſalutatum prætermittam Athanaſium, in turbam velut conjectum perfunctoria enumeratione obiter tantùm appellabo, quem eximia merita longo adeo intervallo a cæteris diſcreverunt? Abſit, ut id a me piaculi admittatur. Athanaſius ergo *Oratione* 4. *adverſus Arianos*, Judæos, & Arianos ſimul exagitans, qui plures a nobis Deos admitti audaciùs calumniabantur, ſatis prolixè, & luculenter demonſtrat, Catholicos, dum tres in Deo Perſonas admittunt, non tria Principia, neque tres Deos venerari, ſed unicum duntaxat Principium, unicum Deum in tres Perſo-

nas

nas diſtinctum, ſed in Subſtantia unum, atque indiſtinctum aſſerere; idque variis, ac potiſſimis Scripturarum Teſtimoniis, ſimilitudinibuſque congeſtis præclariſſimè evincit; ut totam illam Orationem legenti perſpicuum erit.

Nil minus dilucidè *in Epiſt. ad Serapionem*; ubi data opera nonnullos confutandos aggreditur, qui Filium quidem Deum eſſe a Patre genitum admittebant, Spiritum Sanctum autem a Filio inſtar Creaturæ productum effutiebant. Hos porro debellat ratione iſta Sanctiſſimus Doctor; quòd Spiritus Sanctus eo modo a Filio ſit, quo Filius eſt a Patre; ſic ut utrumque vel Creaturam fateri neceſſe ſit, aut utrumque Deum agnoſcere. *Cum igitur*, (verba ſunt Athanaſii) *iſtiuſmodi ordinem, & naturam habeat Spiritus ad Filium, qualem Filius habet ad Patrem, quî fieri poteſt, ut qui Spiritum Creaturam dicit, non illud idem neceſſariò & de Filio ſentiat? Si enim Filii Spiritus Creatura eſt, conſequens eſt, ut dicant, etiam Verbum Patris Creaturam eſſe.* Quo loco nemo, niſi plane ſit hebes, non videt, Athanaſium Spiritum a Filio procedentem certò ſupponere; quod niſi eſſet, tota ejus in illos, quos oppugnabat, fanaticos ratiocinatio in fumum abiret.

Compendio confecta res eſſet, fruſtraque Teſtimonia illa congererentur pro Athanaſii mente internoſcenda, ſi quod ejus nomine volitat de Trinitate, & Incarnatione Symbolum celeberrimum, ejus re vera fœtum eſſe, apud Eruditos conſtaret. Quid enim pro iſto adverſus Græcos ſtatuendo Dogmate eliquatius, & apertius deſiderari a quoquam poſſet, quàm quod eo in Symbolo decantatur: *Spiritus Sanctus a Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens?* Verùm quia non levis eſt illa apud Criticæ Scientiæ Peritos de hujuſce Symboli apocryphia Controverſia; hanc *ſingulariter* ſequenti Academica Exercitatione pertractabimus; & quid hac in re ſentiamus, ſepoſitis partium affectibus, proponemus, Argumentiſque graviſſimis confirmabimus.

PRÆ-

NOTA.

Quanquam in Autographis de Athanaſiano Symbolo Prælectiones, ut in Superiori Author innuit, hîc locum habeant; ut tamen, quoad fieri poſſit, æqua ſervetur Voluminum moles, eas, tanquam in proprio loco, reponere placuit in Tract. de Fide, ubi de Symbolis ſermo venit.

PRÆLECTIO XIV.

Græcorum Argumenta adverſus Spiritus Sancti a Filio Proceſſionem refelluntur.

PROBATA, multiplicique Argumentorum genere confirmata Spiritus Sancti a Filio Proceſſione, reliquum eſt, ut ad occupandas Adverſariorum munitiones animum convertamus. Latinos è veſtigio inſequuntur Græci Theologi, ac duplici ex Capite impetunt. Primò: Spiritum Sanctum a Filio minimè procedere multis demonſtrare adnituntur. Secundò Particulam *Filioque*, quam Latini explicandæ veritatis gratiâ Symbolo Conſtantinopolitano addendam exiſtimarunt, ut Fideles adverſus naſcentem Errorem communirentur, nonniſi auſu ſacrilego aſſutam oſtendere ſatagunt. Utrumque ex ordine perpendamus.

Ad impugnandam igitur Spiritus Sancti a Filio Proceſſionem, primùm ex eo Chriſti apud Joannem *cap.* 15. Oraculo aciem inſtruunt: *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Quo ex loco colligunt, Spiritum Sanctum a Filio minimè procedere; aliàs id Chriſtus pari jure ſignificaſſet. En Græcorum Theologorum, ut ipſi quidem putant, Achillæum Argumentum.

Verùm præpoſtera Conſecutio eſt a Græcis adeo confidenter illata; tantumque abeſt, ut Spiritus Sanctus a Filio minimè procedere dici debeat, eo quòd a Patre procedere dictus ſit, quin potius ab ipſo quoque Filio idcirco procedere dicendus eſt, quia a Patre procedere dictus eſt. Quod etenim uni Perſonæ tribuitur, alteri quoque non abſimili jure tribuendum eſt; iis duntaxat exceptis, in quibus Perſonæ relativè opponuntur: *omnia mea tua ſunt*. Porro Pater Filio relativè non opponitur in Virtute ſpirandi Spiritum Sanctum. Etſi ergo Pater dicatur ſpirare Spiritum Sanctum, ea tamen ſpirandi Vis Filio non negatur. Exemplis id palam oſtenditur. Petro Apoſtolo æternam Divini Verbi Generationem confeſſo ait Chriſtus: *Caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in Cælis eſt. Matthæi 16.* Ergo ne idcirco colligendum, Filium, aut Spiritum Sanctum tunc Petro veritatem minimè revelaſſe? *Nemo novit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis novit, niſi Filius*, ait Chriſtus *Matthæi* 11. Ergo ne Patrem minimè novit Spiritus Sanctus, aut ſemetipſum ipſe non novit?

vit? Abſit. Quidni idem de Spiritus Sancti Proceſſione dicamus? Procedit a Patre, abſque tamen Filii excluſione; a quo perinde procedit. Præſertim cùm Spiritum Sanctum altero in loco a Filio quoque procedentem Scriptura non leviter innuat; dum videlicet eum a Filio quoque Eſſe ſuum accipere monet: Spiritus Sanctus *de meo accipiet* Joannis 16. Cur hic porro ſolius Patris mentionem Chriſtus injecerit, ratio in promptu eſt, ut videlicet Patrem totius Divinitatis, & utriuſque Proceſſionis Fontem eſſe ſignificaret; a quo ipſe quoque Filius ſpirandi Virtutem accepit. Primò: quia in priori hujuſce periodi parte dicendo: *Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre*; Spiritum Sanctum a ſe, ſeu a Filio procedere ſignificat, quia Miſſio refunditur in Proceſſionem Perſonæ miſſæ a Perſona mittente. Ex Scripturis ad Patrum Authoritatem greſſum faciunt Græci Schiſmatici, ut Proceſſionem Spiritus Sancti a ſolo Deo Patre nobis oſtendant; totumque Sententiæ ſuæ præſidium in Græcis Patribus ponunt. Ex iis nubem, eamque denſiſſimam proferunt, qui Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere conſtantiſſimè docent: S. Athanaſius *in refutatione hypocriſeos Meletii, & Euſebii*; S. Baſilius Magnus *in Epiſt.*43. Gregorius Nazianzenus *Orat.*24. *ad Epiſc. qui venerant ex Ægypto*; Cyrillus Alexand. *lib.*2. *in Joan. cap.*3.; *ac* 13. *Theſaur. cap.* 2. Theophylactus *in Cap.*3. *Joan.* Damaſcenus *lib.* 1. *de Fid. Orthodoxa cap.* 11. S. Gregorius Thaumaturgus apud Gregorium Nyſſenum *in vita ejus*, & alii bene multi. Quorum Suffragiis tuti Græci novum aliquod ſe deтexiſſe putant; Spiritum Sanctum a Filio minimè procedere, ſed ſolùm *a Patre per Filium*; quaſi duo hæc multùm inter ſeſe diſtent; eoque pacto multùm a Theodoreto Neſtoriano recedere ſibi putant, quod is utrumque ſimul negaverit olim, & procedere Spiritum Sanctum a Filio, & procedere a Patre per Filium. Ego verò, ut meas quoque partes impleam, quæſiverim primùm a Græcis, quo titulo, quave ratione Veterum Patrum Latinorum Suffragium hac in Quæſtione tam frigidè deſpicantur? Cur illos uti minus æquos hujuſce Controverſiæ Judices miſſos faciunt? Atque illos etiam ipſos, qui eo tempore Eccleſiam illuſtrarunt, quo Græci omnes unà nobiſcum Fidei Communione juncti erant? Ea certè agendi ratione laqueo ſe implicant, dum laqueum effugere adnituntur. Concedere ſiquidem coguntur, Latinam Eccleſiam, quam Latini Patres egregiè repræſentant, a Veritate, ut ipſi putant, Catholica defeciſſe eo etiam tempore, quo ipſi unum cum illis Corpus, unum Ovile conflabant; ſeque idcirco ſacrilega cum errantibus communione polluiſſe. Majorum etiam ſuorum exempla ea agendi ratione peſſum dare dignoſcuntur. Legant enim, ſedulòque perpendant ultimorum Conciliorum in Oriente

te celebratorum Acta: comperient ſanè, Græcos Præſules, qui in eis unà cum Latinis conſidebant, Fidei Capita adverſus damnandos ibidem Hæreticos comprobaſſe, defendiſſe, demonſtraſſe promiſcuè Veterum cùm Latinorum, tum Græcorum Patrum Teſtimoniis: quòd videlicet certò noſcerent, Traditionem, quæ altera Fidei noſtræ Regula eſt, ex omnibus promiſcuè Patribus, qui unius ejuſdemque Eccleſiæ Communione fruuntur, repetendam eſſe. Sibi ergo meliùs Græci conſulant, ſi ſuæ ſapientiæ ſpecimen edere velint: nec Patrum Latinorum Suffragia ita facilè deſpicentur; eorum ſaltem, qui longo in Eccleſia tractu antea floruerunt, quàm Schiſmatis vexillum Photius erigeret.

Et verò, ſi Latinos Patres ita peſſumdare ſibi licitum arbitrantur Græci Theologi; quidni quoque Latini Theologi Græcos Patres æqua ſorte flocci facere poſſent? Juſta enim, & æqua conditio litigantium eſt, ut ſuſpecti ab utraque parte Teſtes, ac Judices rejiciantur. Sed abſit, ut id flagitii admittamus. Græcos Patres, uti locupletiſſimos hujuſce Controverſiæ Judices admittimus, eoſque nihilo nobis adverſari demonſtramus.

Quid ergo ſibi velint, paulò diſtinctiùs inveſtigemus: quid hæc apud illos verba ſonent a Græcis Theologis tantopere jactitata: *Spiritus procedit a Patre per Filium*: ſeu quod idem eſt, *Pater per Filium ſpirat Spiritum Sanctum*. Quocirca perfractè, audacterque pronuncio, nihil hæc aliud ſibi velle, quàm quòd Latini pro ſui varietate idiomatis, aliis iſtis verbis efferunt: *Procedit Spiritus Sanctus a Patre ſimul, & Filio*; ſic ut non Dogmatis apud Sanctiſſimos Patres, ſed Idiomatis tantùm diſſonantia ſit. Quod uſque adeo verum eſt, ut Cardinalis Beſſarion, qui Græci Idiomatis vim certiſſimè noverat, utpote Græcus ipſe, hæc omnia Græcorum Patrum Teſtimonia, qui *Spiritum a Patre per Filium* procedere ajunt, in Latinorum Sententiæ patrocinium ſine cunctatione protulerit in illa eleganti Oratione, quam eo de Argumento ad Concilii Florentini Patres habuit.

Ne porro quis putet, Cardinalem doctiſſimum ſtudio tuendæ Cauſſæ Latinorum nimis abreptum, & agglomerandis Teſtimoniis Veterum nimis intentum, ea etiam Teſtimonia protuliſſe, quæ vel nihil, vel ejus Inſtituto oppoſitum evincerent (quod tamen neſcio, an citra humanæ imprudentiæ labem de Cardinali meritiſſimo dici poſſit, Orationem præſentibus Græcis habente,) triplici ex Capite demonſtrabo, eum Græcorum Patrum loquendi modum nihil reipſa, ſed Idiotiſmo duntaxat a Latino differre; idemque omnino eſſe *Spiritus a Patre procedit, & Filio*; ac *Spiritus procedit a Patre per Filium*.

Et quidem illi ipſi Græci Patres, qui eum loquendi modum

locis in Objectione laudatis uſurpant, *Spiritus procedit a Patre per Filium*, alteram Latinorum loquendi rationem, *Spiritus a Patre procedit*, *&* *Filio*, aliis in locis uſurpant: ſic ut eamdem utriuſque locutionis poteſtatem, ſenſum eumdem eſſe neceſſe ſit; niſi velimus eos oppugnantia locutos eſſe. Baſilii Magni, Gregorii Nyſſeni, Cyrilli Alexandrini, Cyrilli Hieroſolymitani, Athanaſii loca retulimus in antehabitis Diſſertationibus.

Secundò, vice verſa Latini Patres (quos Spiritus Sancti ex Filio Proceſſionem tueri perſpicuum eſt, ut ipſi etiam Græci ſine cunctatione fatentur) aliis etiam in locis Græcorum Patrum phraſim uſurpantes & Spiritum procedere a Patre per Filium, perinde docent, (ut obſervat Beſſarion in Concilio Florentino *ſeſſ.* 25. apud Labbæum) Tertullianus *lib. contra Praxæam* utramque phraſim uſurpat, Græcorum quidem *cap.*4. Latinorum verò *cap.*8. & (ut habetur in eodem Concil. Florentino in ipſa *ſeſſione* 25. apud Labbæum) ipſe S. Maximus ibidem ab Epiſcopo Mitylenſi laudatus; Hilarius quoque *de epiſt. S. Baſilii ad Amphilochium*; & alii quamplures Latini Patres laudati in Epiſtola Hadriani ad Carolum Magnum data (ut legitur apud Labbæum in Synodo Nicæna II.) qui eam loquendi formulam Patribus tàm Græcis, quàm Latinis familiarem fuiſſe declaravit, eundemque ſenſum habere, ad Tharaſii purgationem. Adeo perſpicuum, phraſes illas in eumdem plane ſenſum redire; nec niſi ſono, & Idiotiſmo diverſas eſſe.

Tertiò, ſi earum locutionum, *procedit per Filium .... procedit ex Filio* voces, ſyllabaſque rimari velimus, res in propatulo fiet. Quid Particula *ex* apud Latinos ſibi velit, quidve ipſi ea phraſi *Spiritus Sanctus ex Patre procedit*, *&* *ex Filio* ſignificare ſtudeant, notum eſt: nempe Spiritum ex Subſtantia Filii etiam eſſe, ſeu Filium Fontem etiam eſſe, Principiumque, a quo Spiritus originem ducat. Jam quid Particula *per Filium procedit* a Græcis Patribus frequentiùs uſurpata ſignificare poſſit, videamus. Particulam *per* cauſalitatem, ut Scholaſtici loqui ſolent, aut principii alicujus activum influxum ſignificare, nota res eſt, non Suffragio Divi Thomæ duntaxat 1. *part. quæſt.* 36. *artic.* 3. verùm etiam ſolito loquendi uſu apud quoſvis homines receptiſſimo. Hinc triplicem ſenſum Particula *per* habere poteſt. Nonnumquam cauſalitatem, ut ita loquar, miniſterialem ſignificat ejus, per quod aliquid fieri dicitur, ut ſi dicam: *Spiritus Sanctus locutus eſt per Prophetas*; *Joannes Baptiſta a Deo miſſus eſt, ut omnes crederent per illum*; Prophetas, ac ipſum Prophetarum maximum Joannem Dei inſtrumenta fuiſſe ſignifico, quibus uti voluit Deus, ut & Veritatem patefaceret, & homines vocaret ad Fidem. Græcos non ita imprudentes exiſti-

exiſtimo, ut eo ſenſu Particulam *per* ab Eccleſiæ ſuæ Patribus uſurpatam fuiſſe velint, dum Patrem Spiritum ſpirare *per Filium* pronunciarunt; quaſi Filius Patris Spirantis ſit inſtrumentum : in impietatem ſiquidem Arianam laberentur, qua Filius Patris inſtrumentum appellabatur. Quinimo Arianis pejus Græci ſentirent, dum ii Filium Patris Creantis inſtrumentum aſſerunt, iſti Patris Spirantis aſſererent : cùm Spirando minùs, quàm creando, Deus egeat inſtrumento; prior ſiquidem eſt actio interna, & immanens; tranſiens altera, ac externa.

Secundò Particula *per* cauſalitatem, ſeu virtutem agendi ſignificat, ſuſceptam tamen, mutuatamque ab illo ipſo, perquod aliquid fieri dicitur; ut dum Geneſis *cap.* 4. dicitur : *poſſedi Hominem per Deum?* ſenſus eſt : genui Hominem fœcunditate a Deo mihi benignè conceſſa. Certè nec Græcos ita cœcutientes exiſtimo, ut hoc ſenſu ab Eccleſiæ ſuæ Patribus Particulam *per* uſurpatam arbitrentur, dum ajunt, Patrem ſpirare Spiritum Sanctum *per Filium* : quaſi Pater ſpiraret Spiritum Sanctum virtute a Filio ſuſcepta, ac mutuata : Sic enim Trinitatis Myſterium totum ſubverterent; quaſi verò in Divinis Pater a Filio acciperet aliquid.

Tertius ſupereſt Particulæ hujuſce ſenſus; is nempe, quo quis per alterum agere dicitur, dum ei virtutem agendi largitur, ſimulque cum eo agit. Frequens illa in Scripturis uſurpatio eſt, ubi de Divinis Perſonis agitur : *ad Hebræos* 1. Deus *locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula* : Joan. 1. *omnia per ipſum facta ſunt* : *ad Coloſſ.* 1. *omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt*. Quid enim hæc ſibi Oracula volunt? Nempe illud; Patrem, Filium generando, datâ, communicatâque individuâ Naturâ, agendi, creandique Virtutem ei contuliſſe, ut unâ ſecum æquo jure, & inſeparabiliter Orbem conderet. Atque hoc ipſum eſt, quod Græci Patres ſibi volunt eâ apud illos pervulgatâ loquendi formulâ *Pater Spiritum Sanctum per Filium ſpirat*; nempe Patrem, Filium generando, datâ & communicatâ Naturâ, ſpirandi quoque Virtutem illi indidiſſe, qua unâ ſecum ſpiraret Spiritum Sanctum. Hinc Doctor Angelicus 1. *part. quæſt.* 36. *artic.* 3. *quia Filius habet a Patre, quòd ab eo procedat Spiritus Sanctus, poteſt dici, quòd Pater per Filium ſpiret Spiritum Sanctum, vel quòd Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium; quod idem eſt*. Nihil ergo, niſi ſono, & Idiotiſmo a Latinis diſcrepant Græci Patres; Spirituſque Proceſſionem a Filio, alio licèt loquendi modo, profitentur. Niſi hunc Patribus ſuis ſenſum Græci tribuant, abſonam eis locutionem, & erroneam prorſus affingerent.

Græcos audio vulgò jactantes, non pati Græci Idiomatis elegantiam, ut Latinorum loquendi modum uſurpent, & Spiritum San-

ctum *ex Filio* procedentem eadem nobiſcum verborum proprietate pronuncient; propterea quòd apud illos, ut ajunt, Particula *ex* dimanationem a primo fonte, primoque principio ſignificare videatur: quod certè ſolius Patris eſt proprium in Spiritus Sancti Spiratione. An ita ſit, ut Græci jactant, definire omnino non poſſum, quippe qui in Græca lingua balbutire vix novi. Illud tamen ſcio, Baſilium Magnum, Gregorium Nyſſenum, Cyrillum utrumque, Alexandrinum, ſcilicet, & Hieroſolymitanum linguæ Græcæ politiſſimos Profeſſores Particulam etiam *ex* uſurpaſſe, ut Spiritum Sanctum *ex Filio* procedere dicerent. Sit ita tamen, ut volunt delicatuli Græci illi: nos Apoſtolicæ Sententiæ memores *nolumus contendere verbis*. Verba mittamus; Particulam *ex* e loquendi formulis deleamus, ſi ea ſola ſtomachum facit; uni Veritati conſulamus. Dicant explicatiùs, & abſque ambagibus mentem aperiant, an Filium agnoſcant, uti Spiritus Sancti, Fontem, atque Principium, ab Æterno licèt Patre promanans, a quo ſpirandi Vim ſua Generatione ſuſceperit? Dicant, an Spiritum Sanctum a Filio originem trahere fateantur, quamquam & Filius ſuam etiam a Patre originem ducat? Id ſi velint, dent manus, & medium parietem, quo diviſi ſumus, in præſentia ſolvamus, verbiſque, quibus libuerit, pro ſui Idiomatis opportunitate utantur. Verùm ſi ſpecie ſervandæ ſui Idiomatis elegantiæ Veritatem ipſam, ac rei Caput fateri detrectant, eoque vano verborum involucro Errorem obtegere ſibi geſtiunt, audiant, quid ſuæ quondam Eccleſiæ Lumen clariſſimum Gregorius Nazianzenus non abſimili occaſione dixerit: *Judaicæ perfidiæ genus eſt, relictis verbis, ſyllabas conſectari*. Cætera Græcorum Momenta in ſequenti expendemus.

PRÆ-

PRÆLECTIO XV.

Reliquæ Græcorum Objectiones ad trutinam revocantur, ac diſſipantur.

MULTÆ etiamnum ſuperſunt Græcorum in Latinam Eccleſiam Veſitationes examinandæ; ideoque in hacce Exercitatione Theologica finem imponemus. Poſt objecta nobis Scripturarum, ac Patrum de Spiritus S. Proceſſione Teſtimonia, duas jamdudum Difficultates attigerunt, quas nobis non ſine moleſtia identidem objecerunt. Prima erat; quòd poſita Spiritus S. a Patre ſimul, & Filio Proceſſione Divina, uti Latina contendit Eccleſia, conſequens plane ſit, duo eſſe Spiritus S. Principia, Patrem nimirum, & Filium. Altera erat; quòd eâ ſimul a nobis hypoteſi conſtitutâ, Pater non immediatum, ſed Filio veluti medio, Spiritus S. Principium ſtatuatur; quæ duo nec recta ratio, nec Religio patitur.

Exæſa rubigine, penituſque obtuſa ſunt tela hæc. Tantum enim abeſt, ut Patrem, ac Filium duo Spiritus S. Principia eſſe velit Eccleſia Latina, dum Spiritum S. originem ab Utroque ducere profitetur, quin potius iis ipſis in Conciliis, quibus explicatiùs, ac nitidiùs Spiritus S. ab Utroque Proceſſionem definivit, Patrem & Filium *unicum Spiritus S. Principium* eſſe ſanxit. Legant, ſi ea de re Græci dubitant, Definitionem Concilii Lugdunenſis in Cap. Fidei de Summa Trinitate *in 6.* & Concilium Florentinum in Decreto Unionis, cujus hæc verba ſunt: *In Nomine igitur Sanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus S. hoc Sacro approbante Univerſali Concilio diffinimus, ut hæc Fidei Veritas ab omnibus Chriſtianis credatur, & ſuſcipiatur, ſicque omnes profiteantur; Quod Spiritus S. ex Patre, & Filio æternaliter eſt, & Eſſentiam ſuam, ſuumque Eſſe ſubſiſtens habet ex Patre, ſimul, & Filio, & ex Utroque æternaliter tanquam ab uno Principio, & unica Spiratione procedit.* Ita plane Concilium Florentinum.

Qua porro ſorte id fieri queat, ut ambo unicum ſint Spiritus S. Principium, lucidiſſima ratione declarat Doctor Angelicus 1. *part. quæſt. 36. artic. 4.* Cum enim Utrique (Patri nimirum, & Filio) inſit ſpirandi Vis; tametſi in Perſona duo ſint, Spiratione ſunt unum. Exemplo res eliqueſcit: Dicant enim, amabò, Græci: Pater, Filius, & Spiritus S. tres ne Creatores appellari poſſunt, an

an num potius Creator omnino unus? Creatorem unum, ſine dubio reſpondebunt, niſi Scripturas omnes peſſumdare velint. At quorſum Perſonæ tres unicus tamen Creator appellantur, & ſunt? Prorſus quia una, eademque creandi Poteſtas, & Virtus tribus ineſt. Quidni itaque pari jure unicum Spirandi Principium Pater, ac Filius eſſe poſſunt, cum unâ, eâdemque ſpirandi Virtute ambo fruantur?

Reponent fortè; Patrem eſſe Principium improductum, Filium verò Principium productum a Patre: unum itaque Principium non ſunt. Verùm non advertunt, Principium ut productum, & improductum rationes eſſe merè relativas, quæ aliunde non tollunt identitatem Virtutis Principii in producendo Spiritum Sanctum. Rem Exemplo dilucido: Natura Divina, ut eſt in Patre, eſt a ſe; eadem verò, ut eſt in Filio, eſt ab alio; & tamen una, eademque & Patris, & Filii Natura eſt: quia eſſe a ſe, & ab alio, ſunt modi relativi, qui Naturæ identitatem minimè tollunt.

Non abſimili facilitate altera adverſus Latinam Eccleſiam inſtructa a Græcis Criminatio diluitur; quaſi verò Pater, nonniſi mediatum, uti loquuntur, Spiritus S. Principium eſſe poſſit, ſi illum unâ cum Filio ſpiret. Undenam enim id ſibi colligere poſſe videntur? Quia (inquiunt) in Latinæ Eccleſiæ hypoteſi Filius non ſpirat, niſi Virtute a Patre accepta: atque ita Pater, niſi Filio medio, non ſpirat. Egregia profectò conſecutio. Quidni etiam pari feſtivitate concludant? Filius non creat, niſi Virtute accepta ab Æterno Patre; Igitur Pater, niſi medio Filio, non creat; atque idcirco non immediatus Creator habendus eſt. Nihil itaque vetat, quominùs Filius ſpirandi, creandique Virtutem Æterna ſui Generatione ab Æterno Patre ſuſceperit; Uterque tamen, nullo illorum ſtante medio, ſpirare, atque creare ex æquo poſſit. Id familiari, atque domeſtico Exemplo compertiſſimum eſt. Demus duos homines, unum alterius Filium, qui uni ſimul ferendo oneri elaborent: tametſi Filius robur illud, quo onus ferre poſſit, a Patre ſui generatione obtinuerit, ambo tamen ex æquo, nullo illorum ſtante medio, ſua illa ferendi virtute probantur, & nullus alteri in ſuæ, ut ita dicam, virtutis uſu medius eſt. Sed ad altiora properemus.

Reſtat ultima (ſed ut fatear, quod res eſt, altioris longe Criterii, graviorisque momenti) Græcorum adverſus Latinos Expoſtulatio. Ea nempe, quæ de addita Conſtantinopolitano Symbolo Particula *Filioque* contra Latinam Eccleſiam inſtrui ſolet in hunc ferme modum. De Spiritus S. Proceſſione, inquiunt Græci Theologi, nihil in Concilii Nicæni Symbolo expreſſum erat, cum primò a Nicænis Patribus adornatum eſt. Cœpit ea de re in Concilio

cilio Conſtantinopolitano Primo aliquid Symbolo huic adjungi, quod Spiritus S. Divinitatem, ejuſdemque a Patre Proceſſionem contingeret; at de ejus a Filio Proceſſione nihil tunc additum eſt: *Credimus in Spiritum S. Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem*; de Proceſſione a Filio plane nihil: Cum paulò poſt Concilii Conſtantinopolitani tempora Concilium Epheſinum habitum eſt; in quo Symbolum alterum, ſeu Fidem alteram proferre, vel ſcribere ab ea, quæ Nicææ, & Conſtantinopoli ſancita fuerat, aut eidem quidpiam addere ſolemni Decreto vetitum eſt; idque Depoſitionis pœna adverſus Clericos, qui id attentare præſumerent; Anathematis verò in Laicos, qui hoc nefas admitterent. Quo itaque jure, inquiunt Græci, poſthabito, ſpreto, ac veluti conculcato Œcumenici Concilii Epheſini Interdicto, Particula *Filioque procedit* antiquæ Fidei formulæ, antiquo Symbolo addita eſt? En Græcorum Arietem, quo Eccleſiæ Latinæ, ut ajunt, temerarios auſus impetere ſibi putant.

Quòd nihil a Concilio Nicæno de Spiritus S. Divinitate, ejuſque Proceſſione in Symbolo notatum ſit, ratio in promptu eſt; quia ſcilicet adverſus Arianos in Synodo Nicænâ tota Lis erat: cumque ſolùm illi ex Inſtituto Filii Divinitatem oppugnarent, ſatis profectò Synodo fuit, inſcripto Novo Symbolo Filii Divinitatem explicatiùs, quàm in Apoſtolico Symbolo confirmare.

Rurſum, quòd in Concilio Conſtantinopolitano I. una duntaxat Spiritus S. Divinitas, ejuſdemque a Deo Patre Proceſſio ſolùm expreſſa, Veterique Symbolo addita ſit; ratio quoque in aperto eſt. Macedonianorum quippe Hæreſi damnandæ ſtudebat unicè Synodus Conſtantinopolitana: cumque ii Spiritum S. a ſolo Filio, atque inſtar Creaturæ procedere fabularentur (uti teſtis eſt S. Baſilius *lib.* 5. *de Spiritu S.* adverſus Eunomium) nil aliud hujuſce Synodi Patres facere cenſuerunt, quàm Spiritus S. Divinitatem, ejuſque a Patre Proceſſionem in tuto ponere, paucis illis ad Symboli Nicæni Fidem additis verbis *qui ex Patre procedit; qui cum Patre ſimul* & cæt. Quapropter cùm ſecutis inde temporibus novus Error in Eccleſia ſuboriri cœperit, qui Spiritum Sanctum a Filio procedere negat; eâdem illâ, qua ſemper Eccleſia pollet, authoritate Particulam *Filioque* præcedenti Symbolo addendam judicavit in Concilio, de quo nobis in ſubſequenti Exercitatione ſermo erit. Eccleſiæ quippe, atque ejus idcirco Supremi Capitis munus eſt, Fidem in Quæſtionibus controverſis exponere, atque etiam Symbolum, ac Fidei formulam ordinare majoris explicationis gratiâ, ne Fideles novo aliquo inſurgentium errorum aucupio capiantur. Unde & de hujuſce Particulæ *Filioque* additione, nullam bona fide Controverſiam moveri poſſe puto, ubi ſemel de Dogmate ipſo Latinos inter, & Græcos probè conſtaret.

At

At obſtabat, inquiunt Græci, Concilii *Ephеſini* Interdiсtum, quo, ne quid Veteri Symbolo adderetur, vetitum erat.

Difficultatem nec diſſimulo, nec effugio. Quare repono, Concilium Epheſinum Privatos duntaxat Decreto ſuo obſtrinxiſſe, non Concilia, non Supremum totius Eccleſiæ Caput, quibus nihil præſcribere potuit; Juris enim Regula eſt ipſo Naturæ lumine nota, *par in parem authoritatem non habet*.

Reſponſum hoc noſtrum juvat non ratio duntaxat; verùm etiam Veterum Conciliorum, quorum ſuprema apud Græcos authoritas eſt, praxis, & uſus. Ratio, inquam. Quorſum enim novam Fidei formulam edere, aut aliquod antiquo Symbolo additamentum aſſuere vetuit Epheſina Synodus? Profectò, ne quis exponendi Nicæni Symboli ſpecioſo prætextu avitam Fidem adulteraret, ſuoſque errores ſimplicibus propinaret; ut Arianis, & Semiarianis familiare erat. At nihil ejuſmodi quidquam de Sacris Conciliis ſecundùm Canonicas Sanctiones, ac Summi Pontificis accedente præſidio celebratis pertimeſcendum erat; cùm nihil adverſus Catholicam Fidem ab iis attentari poſſe notiſſimum ſit. Non ergo Synodus Epheſina ſequentium Conciliorum, Romanorumque Pontificum authoritatem arctavit.

Quibus addendum eſt; quòd in materia Diſciplinæ Concilium unum alterius ſubſequentis Concilii authoritatem reſtringere, & coarctare non poteſt. Porro quòd aliquod Fidei Dogma, ubi ſemel ab Eccleſia definitum eſt, Symbolo ad majorem Fidelium informationem inferatur, res meræ Diſciplinæ eſt. Rurſus Concilium Epheſinum Depoſitionis pœnam comminatur iis, qui addere quidpiam auderent; quod certè nec de Summo Pontifice, nec de poſterioribus Conciliis intelligi poteſt dictum. Probat hoc idem poſteriorum Conciliorum Exemplum: videlicet Concilium Epheſinum Decreto ſuo poſteriora Concilia non adſtrinxiſſe, ſed Privatos duntaxat. Concilium quippe Chalcedonenſe aliquantò poſt celebratum, ſe Epheſino Interdicto minimè ligatum exiſtimavit: quandoquidem vetus Symbolum novis additamentis amplificavit; quæ licet in Eccleſia minimè decantentur; in ejus tamen Actis conſignantur, ac etiam hodie perleguntur. Ita enim obſervat Hugo Etherianus *lib.* 3. *de Hæreſibus, quas Græci in Latinos devolvunt* (ob additam Symbolo Particulam *Filioque*) *cap.* 16. *Si Conſtantinopolitana Synodus Nicæno adjecit Symbolo*: in Spiritum Dominum & vivificantem, & ex Patre procedentem: *Si Chalcedonenſis Synodus quoque Conſtantinopolitano addidit Symbolo*: perfectum in Humanitate, perfectum in Divinitate, Conſubſtantialem Patri ſecundùm Deitatem, Conſubſtantialem nobis ſecundùm Humanitatem, *& cæt.* (apud Nat. Alex. ad Sæc. IX. & X. Diſſert. 18.)

En

Digitized by Google

En adjectio facta a Synodo Chalcedonenſi. Non itaque Concilii Epheſini Interdictum *ne quid Veteri Symbolo adderetur* (quod tanta animi contentione Græci nobis objiciunt) non, inquam, Concilia ligat, ne & ipſa, novorum Errorum occaſione, aliquid addere poſſint, ubi id judicaverint expedire.

Norunt id profectò Græci, ſed cautè diſſimulant. Etenim poſt factam Particulæ *Filioque* additionem in Concilio Romano ſub Agathone anno ſexcenteſimo octogeſimo a Latinis, ut ajunt, attentatam, duo in Oriente Concilia Œcumenica celebrata ſunt, Conſtantinopolitanum Tertium, & Nicænum Secundum, ubi Græca ſimul, & Latina Eccleſia convenere: & quanquam Græcos minimè lateret, quid Latini Veteri Symbolo addidiſſent; nullum tamen ob id negotium nobis faceſſivere, aut Epheſinæ Synodi Decretum objecerunt. Quin potius, ſi nonnullis Scriptoribus fides eſt, in Secunda Nicæna Synodo Symbolum cum ea additione Particulæ *Filioque* decantatum eſt. Poſt trecentos duntaxat annos ea nobis Objectio a Græcis facta eſt. Unde colligere meritò liceat, eam Græcorum contra Latinos accuſationem ex ſecreta quadam æmulatione, & anticipato Errore prodiiſſe.

Reponent fortaſſe Græci, (nec enim quidquam, quod eorum Cauſſam juvare poſſit, omittam) ſi ſic eſt; ſi quidpiam publica Conciliorum, Summique Pontificis authoritate Veteri Symbolo addi potuit, novi Erroris ſuborientis occaſione, quorſum in Epheſina Synodo poſt damnatum Neſtorium, qui Divinam Mariæ Virginis Maternitatem abnegabat, *Deiparæ* vocem Symbolo addere noluerunt Venerandi Patres, tametſi id nonnulli inſtantiſſimè poſtularent? Quorſum in Concilio Chalcedonenſi poſt damnatum Dioſcorum, & Eutychetem aliquantulam adverſus illorum Errores expoſitionem veteri Symbolo adnectere detrectarunt Sanctiſſimi Præſules, quanquam id aliqui vehementer optarent? Imo verò conclamarunt univerſi: *Expoſitionem alteram nullus facit. Neque tentamus, neque audemus exponere .... ſufficiunt quæ expoſita ſunt; alteram expoſitionem non licet fieri .... Regula eſt, quæ prædicat ſufficere, quæ ſunt expoſita;* nimirum, uti perſpicuum eſt, in Concilio Epheſino ſancita Lex. (apud Nat. Alexand. *Diſ.* 18. ad Sec. IX. & X.)

Reſponſio in promptu eſt, nullam a Patribus Chalcedonenſibus, & Epheſinis adverſus natos Errores Expoſitionem additam eſſe Veteri Symbolo, non quòd addere ſummo jure non poſſent, ſi id ita expedire judicaſſent; ſed quòd minimè neceſſaria foret ad Fideles contra eas Hæreſes communiendos. Quorſum id? Quia multa ſatis in Conſtantinopolitano Symbolo habebantur, quibus Virgo Maria *Deipara*; hoc eſt, Dei Mater ſignificabatur; cum idem ille,

 qui

qui & *ex Patre natus*, & *conſubſtantialis Patri* dicitur, & *incarnatus & Homo factus*, ex conſequenti ex Virgine genitus intelligendus ſit; ut infert Rhodius Præſul in *Seſſ. 6.* Concil. Florent. (apud Nat.) Quæ certè minus vera forent, niſi Virgo *Deipara*, hoc eſt, *Dei Mater* agnoſceretur. Similiter Eutychianorum Error duas Naturas in Chriſto confuſas blaſphemantium adeo apertè in Symbolo Conſtantinopolitano denudatus eſt, ut illud ipſum Eutychiani prorſus exploderent, atque rejicerent. Nec alia de cauſſa novam contra Eutychetem Expoſitionem inutilem cenſuere Chalcedonenſis Synodi Patres, quàm quòd ſatis eſſe judicarent, ſi Conſtantinopolitanum Symbolum Eutychiani reciperent. Cæterùm quòd aliquid Symbolo addendi authoritatem haberent, ſi id expedire judicaſſent, ſatis ſuperque Facto monſtrarunt: quippe qui, uti paulò ſupra ſignificavi, nonnullis re ipſa aliis additamentis Symbolum Conſtantinopolitanum amplificarunt.

Novo nos telo Adverſarii petunt: Illo ſcilicet, quo Additionem illam a Latinis temere factam, a Romanis ſubinde Pontificibus improbatam eſſe demonſtrare ſatagunt: & hoc erit ſequentis Exercitationis Argumentum.

DISPU-

N O T A.

Autographa exhibent hìc Prælectionem, in qua agitur de Particula Filioque *Nicæno Symbolo addita, adverſus Græcorum Criminationem: ſed nos, ob rationem ſuperiori Notatione indicatam, eandem tranſtulimus in Tract. de Fide, ubi de Symbolis diſputatur.*

DISPUTATIO ALTERA.

Adverſus Raymundum Lullum, alioſque Theologos.

PRÆLECTIO PRIMA.

Trinitatis Myſterium nulla poſſe naturali ratione demonſtrari; hocque ipſa naturali ratione luculenter evinci, propugnatur.

HACTENUS Sacroſanctum Trinitatis Myſterium, affulgente Sacrarum Scripturarum Revelatione, deteximus, & contra perfidos ejuſdem Hoſtes Divina Teſtificatione ſubnixi defendimus, probavimus, explicavimus. Hæc nobis felix Cynoſura fuit, qua duce, & auſpice Mare iſtud enavigavimus naufragiis celeberrimum. Hæc nobis *lucerna lucens in caliginoſo loco*, ut loquitur Petrus Apoſtolus *ep.* 2. *cap.* 1. cujus beneficio Myſteriorum omnium abditiſſimum, occultiſſimumque, quo humana Mens poteſt, internovimus. At novus nunc Campus nobis aperitur, mutaturque Scena, dum illud a nobis quæritur: num quod Divina Revelatione deteximus, & probavimus Trinitatis Myſterium, ratione etiam naturali, eâque demonſtrante cognoſci probarique poſſit.

Fuit enim illud olim Raymundi Lulli pium quidem, ut arbitror, ſed audax nimiùm, imprudenſque Conſilium, qui, ut Saracenos, Judæos, atque Gentiles de Sacroſanctæ Trinitatis Veritate convinceret, demonſtrantes rationes excogitavit, quibus illorum aſſenſum extorqueret. Non ita profectò Eccleſiæ Patres, qui in aſſerendo vindicandoque Trinitatis Myſterio humanæ Rationis præſidia nuſpiam attulerunt. Horum nos exempla ſecuti Raymundi Lulli vanitatem, atque audaciam præſenti Exercitatione perſtringemus, palamque faciemus Trinitatis Myſterium, niſi Divina Revelatione dignoſcatur, nulla unquam poſſe naturali ratione demonſtrari.

Id igitur nos ex pluribus Scripturæ Locis hauriemus; Matthæi nimirùm *cap.* 11. ubi cum Chriſtus rogatus eſſet ab Apoſtolis, ut Myſterium Generationis expromeret, reſpondit: *Nemo novit Filium, niſi Pater: neque Pater quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Porro cum Trinitas fundata ſit in Generatione, ſi Generatio nullâ naturali ratione cognoſci poteſt, jam nec Trinitas poterit. In hoc idem conſpirant Eccleſiæ Patres, qui ubi de aſſeren-

Digitized by Google

da, probandaque Trinitate actum eſt, non ad rationes naturales, ſed ad Scripturas confugerunt. Quorum nomine venit Hormiſdas Pontifex Maximus *in epiſt. ad Juſtinum Imperatorem*, in qua ſic legitur: *quis ergo illi Secreto Æternæ, impenetrabiliſque Subſtantiæ, quod neque ulla viſibilium, vel inviſibilium naturarum potuit inveſtigare Natura, prophanam diviſionem tentet ingerere?* Et certè Eccleſiæ Patres toties id aſſerere compelluntur, quoties cogitant illud Apoſtoli Pauli *in epiſt. ad Romanos cap.* 2. ubi probat, Veteres Gentiles inexcuſabiles fuiſſe quidem, quòd Deum non glorificaverunt; quia Virtus Dei, ejuſque Divinitas per ea, quæ facta ſunt, innoteſcere illis utique potuerunt: non autem eos inexcuſabiles dicit, propterea quod Perſonas in Deo non coluerint; quia videlicet neque ex viſibilibus, neque ulla naturali ratione Trinitatis cognitionem haurire illi poterant. Ex quibus conſtat, tam ex Patribus, quàm ex Scriptura Trinitatis Myſterium naturali ratione non poſſe cognoſci. Tamen Raymundus Lullus nihil his motus Momenta hæc noſtra non ſolùm elidere nititur, ſed contra nos retorquere conatur, multa proferens Exempla, quibus Philoſophos Veteres Myſterium hoc cognoviſſe, contendit oſtendere. Primum deſumit Exemplum ex Mercurio Triſmegiſto, quem noviſſe, & prædicaſſe aſſeveranter affirmat, cum dixit: *Monas genuit Monadem, & in ſe ſuum reflexit ardorem*.

Aliud ex Ariſtotele deſumit Exemplum, cui patuiſſe probat Myſterium ex eo, quod in Cathegoriis Numerum ternarium, Numerum Divinum appellat.

Alterum ex Platone, qui in ſuis Dialogis ſæpenumero mentionem facit de Verbo Dei. Ex quibus omnibus colligit Raymundus Lullus, Myſterium Trinitatis Veteres hoſce Philoſophos noviſſe, coluiſſe, prædicaſſe: Maximè verò, quia D. Auguſtinus *lib.* 7. *Confeſſionum cap.* 9. teſtatur, in Platone legiſſe ea, quæ in Dilecto Apoſtolo perleguntur: *in principio erat Verbum* ....

Tamen quàm ludicra ſint iſtiuſmodi Exempla, faciliùs intelliget qui rem paulò penitius conſiderabit. Quod attinet ad primum ex Mercurio Triſmegiſto deſumptum: *Monas genuit Monadem*; non eſt ita accipiendum, quaſi quòd hiſce verbis ſignificare voluerit & Generationem Verbi, & Spirationem Spiritus S. ſed referuntur ea verba ad Mundi Creationem ſignificandam, in qua *Monas* condidit Orbem, *& in ſe ſuum reflexit ardorem*; hoc eſt, amorem ſui in ſe reflexit. Cæterùm dico, *Pimandrum*, qui vulgò nomine Triſmegiſti jactatur, ſpurium eſſe, a quodam Nebulone conſarcinatum.

Quod verò attinet ad illud Ariſtotelis, quòd nempe ternarium Numerum Divinum appellaverit; ita Philoſophus intelligendus venit,

nit, ac ſi perfectiſſimum dicere voluiſſet; nam cùm Deus complectatur omnia perfecta, ideo quæ perfecta ſunt, Divina dicuntur; unde cum Numerus ternarius perfectus numerus cenſeatur, ideo Divinus ab Ariſtotele fuit nuncupatus.

Quod ſpectat ad Platonem, ajo, feciſſe quidem mentionem Verbi; tamen Nomine Verbi non ſignificaſſe Perſonam in Deo ſubſiſtentem, ſed Ideam tantùm intellexiſſe. Ponamus tamen, Philoſophos antiquos aliquid de Myſterio Trinitatis ſuis in Scriptis expreſſiſſe, non conſequitur ex hoc, naturali cognitione illud penetraſſe; nam hoc Myſterium aliunde dignoſcere potuiſſent. Potuerunt igitur eam notitiam habere ex prælectione Librorum Veteris Teſtamenti; maximè verò ex libris Propheticis aliquid ſubodorari potuerunt; quia trecentis annis ante Chriſti adventum ex Originali Hebræo in Græcum Idioma converſi fuere ſub Ptolomeo Philadelpho ab Septuaginta Interpretibus, quos in Ægyptum vocavit. Cum igitur in Græco Idiomate converſi legerentur, potuerunt etiam Philoſophi, qui ea ætate temporis verſabantur, aliquam Trinitatis notitiam haurire. Et certè Philoſophos illos Libros hoſce legiſſe patet apud Hiſtoricos. Potuerunt itidem Hi ex converſatione cum Judæis, & præcipuè cum Primoribus Synagogæ, vel etiam cum ipſis Patriarchis, atque Prophetis cognitionem accipere. Et quidem familiariter cum Prophetis converſaſſe, ſcribunt omnes ubique Patres; ſcribunt enim, Pythagoram Ezechielis amiciſſimum extitiſſe. Et certè non modò veteres Philoſophi, ſed etiam poſtremi cum Apoſtolis converſarunt. Senecam cum D. Paulo converſaſſe patet adeo, ut habeatur Epiſtola ad Senecam, & Epiſtola Senecæ ad Paulum, quæ licet ſpuriæ, & apocryphæ a Viris quibuſdam Criticis cenſeantur; ſunt tamen multi, & quidem celebres, qui ipſas genuinas affirmant.

Potuerunt etiam Hi addiſcere id ex revelatione Dæmonum, quos hujus cognitionem habere, certiſſimum eſt; nam credunt, & contremiſcunt; & hanc cognitionem, quam habent, habent ex vi præcedentis cognitionis: & hanc potuerunt Dæmones His certis in Orationibus manifeſtare, non ut ad cultum excitarent, ſed ad blaſphemandum; quemadmodum in Evangelio videmus Dæmones manifeſtaſſe Myſterium Incarnationis; ex quo conſequitur, quòd ſi hoc circa Incarnationem præſtarunt, id ipſum etiam circa Trinitatem præſtare potuerunt.

Potuerunt tandem alio ex Capite Trinitatis Myſterium cognoſcere: nempe ex Oraculorum conſultatione; Nam referunt Juſtinus Martyr, & Clemens Alexandrinus (apud Laurentium Beyerlink in T. V. H.) Tullum Regem interrogaſſe Serapidem, quidnam eſſet Deus? A quo reſponſum iſtud accepit:

Prin-

Principio Deus eſt, tunc Sermo, & Spiritus idem:
— ſunt & ter tendentia in unum.

Ex his omnibus igitur potuerunt Philoſophi Veteres Trinitatis Myſterium internoſcere.

Ea igitur ſtatione dejectus Raymundus Lullus ab Exemplis, quæ perperam venditavit, ad rationes naturales confugit, quibus ſuum illud Inſtitutum probare aggreditur. Quare ut illum è veſtigio inſequamur, quid poſſit Ratio naturalis, quidve non poſſit ad Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterium demonſtrandum, explicare neceſſe eſt, ne Lullum ſomniorum ſomniatorem audaciſſimum illæſum ſinamus abire. Pronuncio itaque, tantum abeſſe, ut ratione naturali Myſterium Trinitatis probari, demonſtrarique poſſit, ut contra potiùs ratione naturali probetur, Myſterii Trinitatis demonſtrationem nullam omnino excogitari poſſe; quæ altera ſuſceptæ Diſputationis pars eſt. Res patet ipſa per ſeſe: Omnis quippe Demonſtratio vel eſt a priori per cauſſam, vel eſt a poſteriori per effectum. Myſterium Trinitatis a priori nequit demonſtrari, cùm nulla cognoſci poſſit a priori cauſſa. Sed nec a poſteriori: nam per effectus demonſtrari ſolùm cauſſa poteſt eo modo, quo producit effectum. Porro Trinitas, quæ cauſſa eſt plurium effectuum ad extra, non eſt cauſſa, ut Trinitas eſt, ſed ut Deus eſt; quia Deus operatur ad extra per Omnipotentiam; Omnipotentia verò competit Deo, ut Deus eſt, non ut Trinus eſt: quemadmodum E. G. Pictor, qui & Pictor ſit, & Theologus, ſi lineet imaginem, ex hoc cognoſcitur, in quantum Pictor eſt, non ut Theologus eſt; nec poſſum inferre, Theologum eſſe, quia pinxerit.

Hanc rationem cavillatur Lullus; nam ait, dari effectus ad extra, qui a Deo uti Trino ſint. Exemplum affert Viſionis Beatæ: Viſio illa Beatifica eſt a Deo, ut Trinus eſt; quia Deus, ut Trinus, eſt Objectum Viſionis Beatæ; objectum verò ſe habet ut cauſſa efficiens operationis. At hallucinatur quam maximè: Deus ut Trinus, non eſt cauſſa Viſionis, ſed ut Unus.

Ad ſecundum nempe, quod Deus, ut Trinus, ſit Objectum Viſionis Beatæ, dico, eſſe Objectum terminativum, non verò motivum; unde invicta ſtat prima ratio contra Lullum allata.

Altera ratio eſt. Totus ordo Naturæ nequit præbere Homini, niſi medium naturale; Trinitatis Myſterium inter alia Myſteria eſt magis Supernaturale; nulla ergo ratione naturali poteſt demonſtrari.

Cavillatur hanc Lullus. Ait itaque: Deus, etiam ut Unus, eſt quid ſupernaturale; & tamen probatur medio naturali: quidni ergo & Trinitatis Myſterium, tametſi inter cætera Myſteria magis Supernaturale ſit?

Sed

Sed abſurda eſt iſtiuſmodi Reſponſio. Deus, ut Unus, eſt quid ſupernaturale, ſi entitativè ſpectetur, non verò reduplicativè ut cognoſcibilis; nam ſic eſt quid naturale; quia, ut cognoſcibilis, habet connexionem cum effectibus naturalibus.

Subintrat hìc nobiſcum in Scenam Raymundus Lullus Myſterii Trinitatis ſubtiliſſimus Demonſtrator, omneſque ingenii nervos intendit, ut quod ſola Dei Revelatione dignoſci poſſe tota putavit Antiquitas, naturali ratione probari poſſe nobis oſtendat. Demonſtrationes plures in medium profert, quibus Trinitatis Myſterium ſe probaturum pollicetur. Audiamus itaque diſputantem; videamuſque, quid tanto ferat magnus promiſſor hiatu. Prima Demonſtratio, quam nobis offert, hæc eſt: demonſtrari naturaliter poteſt, in Deo eſſe quamcumque Perfectionem ſimpliciter ſimplicem; ſed Generatio eſt Perfectio ſimpliciter ſimplex; ergo demonſtrari naturaliter poteſt, dari in Deo Generationem. At duplici capite labitur prima hæc Demonſtratio. Do ego, Perfectionem ſimpliciter ſimplicem Deo eſſe tribuendam; nego tamen, naturaliter ſciri poſſe, dari in Deo Generationem, cùm hujus cognitio ex Fide tantùm, non naturaliter haberi poſſit. Cæterùm reſpondeo, quod, cum Dei Generatio in identitate Naturæ, non autem in diſtinctione conſiſtat, ſequitur, quod licet cognoſcamus, poſſe generari in diſtinctione Naturæ, non tamen poſſumus cognoſcere, generari in identitate Naturæ, ſcilicet individuæ.

Poſt hanc aliam affert Demonſtrationem: ex effectibus poteſt naturaliter cauſſa probari; ſed tota Trinitas eſt cauſſa Creaturarum; ergo Trinitas naturaliter cognoſci, probarique poteſt. Cui robur addit: effectus ducit ad cognitionem cauſſæ exemplaris, ad cujus normam productus eſt; ſed nonnulli effectus ſunt in natura, qui producti ſunt ad Exemplar Trinitatis; E. G. Paternitas creata ad Exemplar Paternitatis Divinæ, juxta illud *ad Epheſios* 3. *flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti; ex quo omnis Paternitas in Cælis, & in Terra nominatur.*

At futilis, & caſſa eſt Demonſtratio: nam Paternitas Divina non eſt Exemplar Paternitatis humanæ, ſed ipſamet Natura Divina, ut Principium operandi, & ut eſt variè imitabilis a Creaturis. Dum autem dicimus, Paternitatem terrenam ex Paternitate Patris Domini noſtri Jeſu Chriſti nominari, id eſt intelligendum de nominatione extrinſeca, non de intrinſeca, & exemplari.

Patefacta igitur inſulſitate rationum, & demonſtrationum, quibus uſus eſt Raymundus ad ſuam ſuſtinendam Sententiam, tuendamque, non erit prorſus inutile, ſuam illam etiam rationem explodere, quæ ipſi tam magni momenti ſemper viſa fuit. Ideo enim contendit ille, ſufficere Rationis lumen, ut Trinitatis Myſterium

pro

probetur, & cognoſcatur, quia ſi ad id eſſet neceſſaria Divina Revelatio, poſſent de Deo conqueri quicumque ea Revelatione deſtituti Myſterium hujuſmodi non agnovere.

At hoc abſurdiſſimum eſt duplici ex capite. Primò; quia Patres bene multi ultro citroque concedunt, Veteres Philoſophos, qui ea Revelatione deſtituti Myſterium hoc non noverunt, excuſabiles omnino fuiſſe: Non eſt ergo, quòd de Deo conquerantur. Secundò; quia hæc ipſa inſulſa eſt, & ineptiſſima argutia, qua Pelagiani non eſſe Divinam Gratiam neceſſariam garriebant ad Fidem, ad Dilectionem Dei, ad implenda Divina Mandata. Cur ergo illi non excuſentur, ſi non credant, ſi Deum non diligant, tametſi eâ Gratiâ ſint deſtituti, quæ eſt ad id neceſſaria? Hac maximè ratione: quia Deus ad eam dandam ſe ipſo eſt paratiſſimus: eam tamen in pœnam præcedentium delictorum illis negat.

Hinc meritò videmus, decretoriam hanc Raymundi Lulli rationem, atque Propoſitiones ejuſdem longè multas ſub Pontificatu Clementis VIII. a delegatis Cenſoribus fuiſſe damnatas, atque in illis binas iſtas: *Myſterium Trinitatis eſt demonſtrabile per rationes naturales .... Articuli Fidei poſſunt rationibus naturalibus demonſtrari; aliàs Infideles poſſent juſtè conqueri de Deo*: ut refert Cardinalis Albizius *in Opere ſuo de inconſtantia Fidei pag.* 524. Sed tempus eſt, ut ad Divinas Proceſſiones accedamus, & varias Theologorum inter ſeſe diſſidentium Opiniones examinemus.

PRÆ-

PRÆLECTIO II.

De Divinis Proceſſionibus. Veterum, Recentiorumque Theologorum Placita referuntur.

DIU eſt, ex quo communi fertur Adagio, Chriſtianæ Religionis Myſteria a Fidelibus quidem credi, rationes verò Myſteriorum a Theologis aſſignari. Id in ea, quam modò tractaturi ſumus, Controverſia experimento maximè comprobamus. Cum enim primam Proceſſionem (qua Verbum a Patre originem ducit) Generationem Fides agnoſcat, Verbumque a Patre productum, Genitum, Primogenitum, Unigenitum profiteatur Eccleſia, quo ſane titulo Spiritum S. nunquam exornat, illud maximè Theologi quærunt, quæ ſit hujuſce diſcriminis ratio? Cur, inquàm, prima Proceſſio Generatio dicatur, non item altera? Cur prioris Proceſſionis terminus dicatur Genitus, non itidem poſterioris?

Mirum eſt, quantum in ea Controverſia dirimenda ab Antiquis Theologis diſſentiant Recentiores. Contendunt nonnulli, nempe Alexander Alenſis, Richardus a S. Victore; S. Bonaventura, primam Proceſſionem Generationem dici, Verbumque ex ea procedens Genitum nuncupari, quia recipit Naturam uti fœcundam, & potentem aliam producere, quod altera Proceſſio non facit.

Verùm hanc Veterum Opinationem triplici ratione refellimus. Primò; quia Fœcunditas in Filio nihil ad Filiationem facit. Secundò; quia ad filiationem requiritur ſimilitudo in naturâ, ut natura eſt; at Natura eſt, tametſi non ſit fœcunda. Tertiò tandem; quia ſi ad ſimilitudinem fœcunditas deſideraretur in Perſona producta, Spiritus S. nequidem materialiter, & identicè eſſet ſimilis Patri.

Contendunt alii Veteres, ut Petrus Aliacenſis, primam Proceſſionem eſſe Generationem, non item alteram, quia per primam Filius procedit ab uno; per aliam Spiritus S. procedit a duobus.

At tantum abeſt, ut Genito repugnet a duobus procedere, ut potius congruat. Tametſi enim Pater Æternus ſolus generet, duorum veluti vices gerit, proindeque a Patribus *Patrimater* nuncupatur.

Fuere ex his etiam nonnulli, qui ſuſtinebant, nullam aſſignari

poſſe rationem, cur prima Proceſſio Generatio dicatur, non item altera; inter quos Magiſter Sententiarum, *lib.* 1. *diſtinct.* 13. nititurque loco illo Auguſtini *lib.* 3. *contra Maximinum cap.* 14. ubi ait *: diſtinguere autem inter illam Generationem, & hanc Proceſſionem neſcio, non valeo, non ſufficio.*

Dico tamen bona venia tanti Viri, idcirco ita locutum fuiſſe Auguſtinum, quia nullam invenire potuit rationem, qua poſſet diſtinctionem hanc demonſtrare, licet probabilis aliqua reperiatur.

His poſitis, in eam tandem Sententiam veniunt Recentiores Theologi (in quam & nos libenter inclinamur) ut dicant, idcirco primam Proceſſionem Generationem vocari, quia per primam hanc Proceſſionem qui procedit, recipit Naturam ſimilem ſuo Principio ex vi Proceſſionis ſuæ; alteram Generationem dici non poſſe, quia licet qui per hanc procedit recipiat Naturam, non tamen recipit ſimilem ex vi ſuæ Proceſſionis; quod totum deſumitur a definitione Generationis. Generatio itaque definitur : *Origo viventis a vivente conjuncto in ſimilitudinem naturalem* ex vi proceſſionis. Quia ergo prima Proceſſio eſt *origo viventis a vivente*; nempe a Patre, & *a vivente conjuncto in ſimilitudinem naturæ*, cùm Naturam ſimilem Patri habeat Filius ex vi Proceſſionis, nempe ex vi modi, quo procedit a Patre; idcirco Generatio jure nuncupatur: cum contra Proceſſio ſecunda, licet origo ſit viventis a vivente, licet in ſimilitudinem naturæ; quia tamen eam Naturam non habet ex vi Proceſſionis ſuæ, cùm a Voluntate procedat, quæ non eſt aſſimilativa ſui objecti; ideo Generatio non dicitur, ſicuti Proceſſio Filii vocatur : E. G. ſi quæratur, cur Chriſtus non dicatur Filius Spiritus S. Reſpondetur; quia non eſt ei ſimilis ſecundùm temporalem Generationem, licet Principium ille fuerit activum generationis ipſius. Patet hoc etiam Hevæ Exemplo, quæ licet originem traxerit ex Adamo; filia tamen Adami non dicitur, quia ſimilitudinem in natura humana non habuit ex vi proceſſionis, qua proceſſit ex eo. Nunc quid nonnulli opponere ſoleant, videndum eſt.

Opponunt igitur loco primo : Spiritus S. non minùs eſt Patri ſimilis in Natura ex vi ſuæ Proceſſionis, quàm Filius; Ergo vel non valet ratio Concluſionis allata; vel ſi valet, Spiritus S. æquè Genitus dici debet, ac ſecunda Trinitatis Perſona. Hoc probant: Spiritus S. non habet eam ſimilitudinem a ſe ipſo, ſed a Patre, & Filio, a quibus procedit : ergo habet illam ex vi ſuæ Proceſſionis.

At hæc argutia in æquivoco laborat, cum non ſatis diſtinguat, qui id reponit, recipere per Proceſſionem, & recipere ex Proceſſione.

ſione. Damus, Spiritum S. recipere per Proceſſionem; negamus tamen recipere ex vi Proceſſionis. Tunc enim recipitur aliquid ex vi Proceſſionis, quando id, quod recipitur, eſt terminus formalis; ſi verò terminus ſit materialis, per identitatem, & concomitantiam dicitur recipere. Id ut oſtendam, Exemplum affero Sacramenti Euchariſtiæ: dum conſecratur prima Species, ex vi verborum ſub hac ponitur Corpus Chriſti; & licet ex vi verborum non ponatur Sanguis Chriſti, ponitur tamen per concomitantiam; quia Corpus Chriſti eſt terminus formalis expreſſus per ea verba: *Hoc eſt corpus meum*, non Sanguis: ita quia ea ſimilitudo ſecundæ Proceſſionis non eſt terminus formalis, dicimus, Spiritum Sanctum eam recipere ſimilitudinem per Proceſſionem, non ex vi Proceſſionis.

Urgent tamen: Spiritus S. ex vi Proceſſionis procedit ut Deus. Unde hoc habent? Ex eo, quod Spiritus Ex vi Proceſſionis procedit ut eſt; ſed eſt Deus; ergo procedit ex vi Proceſſionis ut Deus.

At hæc mera æquivocatio eſt. Procedit quidem ut eſt; non tamen ſecundùm omnem modum, quo eſt: procedit ut Amor, non ut Deus; quemadmodum Sanguis Chriſti eſt ſub prima Specie non ſecundùm omnem modum, quo eſt; ſed per concomitantiam.

Urgent nihilominus: Spiritus S. ex vi Proceſſionis recipit exiſtentiam; at exiſtentia in Divinis non diſtinguitur a Natura; adeoque Genitus vocari poteſt.

Hæc pariter æquivocatio eſt. Spiritus S. recipit exiſtentiam tanquam conditionem comitantem quemcumque terminum productionis; at verò exiſtentia non recipitur in Proceſſione Spiritus ut terminus formalis, ſed tanquam conditio comitans terminum productionis.

His poſitis, Momentum aliud colligunt: Pater, & Filius ſpirando Spiritum S. intendunt producere ſibi ſimile; ergo dum producitur, producitur ut formaliter ſimilis eſt. Hoc habent ex vulgari Proloquio, quo *Agens agendo intendit producere ſibi ſimile*. At axioma illud intelligendum eſt de Agente, quod agit per virtutem proximam ad id deſtinatam, ut poſſit facere ſibi ſimile; ſecus, ſi tali virtute non agat. Deus autem agit duplici Facultate, Intellectu ſcilicet, & Voluntate; & hoc tantùm præſtat Intellectus, minimè verò Voluntas; quia Voluntas nec in Deo, nec in Creaturis eſt deſtinata ad aſſimilandum.

Nunc alia agitanda Quæſtio venit; cur in Divinis ſit unicus terminus utriuſque Proceſſionis; V. G. quare Deus generet unicum Verbum; & Pater, & Filius unicum Spiritum? Reſponſio facillima eſt. Idcirco Deus unicum producit Verbum, quia Terminus

eſt ſimpliciter infinitus. Et ſi quis audacter reponere vellet : ſi Deus nequit producere, niſi unicum Verbum, finita igitur dicenda venit Divina Potentia : Reſponſio in promptu eſt. Eſto enim Potentia Intellectiva, & Volitiva Dei ſit infinita, non repugnat tamen ex unica Generatione Verbi, & Spiratione Spiritus Sancti penitus exhauriri. Quandoquidem Potentia tunc ſolùm finita dicenda eſt, cùm exhauritur ab aliquo Termino, qui (ut Scholæ verbis utar) in terminandi ratione finitus ſit; minimè autem, ſi ab aliquo Infinito exhauriri contingat; ut manifeſtum ſit in Omnipotentia, quæ licet a Poſſibilium omnium collectione exhauriri dicatur; non tamen propterea finita dicitur. Porro cum Verbum Divinum, & Spiritus Sanctus quid infinitum ſint, quatenus Divinæ Generationis, & Spirationis termini ſunt; eſto dicamus, per unicam Generationem, & Spirationem Potentiam Divinam ad intra omnino exhauriri; dicere tamen haud poſſumus, eandem idcirco finitam evadere.

Quoniam verò de Divini Verbi Generatione ſermo incidit, non abs re erit inquirere, per quam cognitionem Verbum generetur : quod ſequentis Prælectionis Argumentum erit.

PRÆ-

PRÆLECTIO III.

Per quam cognitionem generetur Divinum Verbum explicatur.

DE Divinis Proceſſionibus, ac Relationibus generatim, & univerſim in antehabitis diſſeruimus: de iis modo Proceſſionibus, ac Relationibus ſpeciatim agendum venit. Ac primò de Proceſſione Filii, quæ Spiritus Sancti Proceſſionem cognitione, & ordine antecedit. Quia itaque Pater Æternus cognoſcendo generat Filium, & multa ipſe cognoſcit; idcirco loco primo quærendum a nobis eſt, ex quarum cognitione rerum genitum ſit Verbum a Patre. Pater enim multa cognoſcit ad intra, multaque ad extra. Ad intra cognoſcit Eſſentiam ſuam, Attributa, & Perſonam: cognoſcit ſubinde Perſonam Filii, Perſonam etiam Spiritus Sancti. Ad extra verò cognoſcit Creaturas ſive præſentes, ſive præteritas, ſive futuras. Inquiritur ergo, num Verbum generet ex cognitione, quam habet Eſſentiæ ſuæ, & Attributorum, vel etiam de ſua ipſius Perſona; an cognitione, quam habet de Spiritu Sancto, vel Filio ipſo?

Fatentur Theologi omnes, Patrem generare Verbum ex cognitione Eſſentiæ ſuæ, & Attributorum: negant aliqui, generare ex cognitione propriæ ſui ipſius Perſonæ; & hæc Subtilium Theologorum ſententia eſt. Ego tamen, prout vires ſuppetunt, demonſtrabo, Patrem generare Verbum, non modò per cognitionem, quam habet de ſua Eſſentia, & Attributis; verùm etiam quam habet de ipſamet ſua ipſius Paternitate. Id palam decretoriis Argumentis oſtendo. Verbum producitur per ejus cognitionem, quod Verbum intimè repræſentat; ejus ſcilicet, cujus eſt imago: hæc enim Verbi Natura eſt; ut ea cognitione producatur, quæ de eo habetur, cujus imago eſt. Porro Filius repræſentat intimè Patrem, cùm Imago ſit ejus: Pater itaque generat Verbum non modò ea cognitione, quam habet de ſua Eſſentia, & Attributis, ſed eâ etiam, quam tenet de ſua ipſius Paternitate.

Quod verò Pater ratione Perſonæ ſit Species repræſentata a Filio, ex Scriptura patet evidentiſſimè, Joan. cap. 14. ubi Chriſtus inquiebat Philippo: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Item ad Hebræos cap. 1. legitur de Filio: *qui, cum ſit ſplendor gloriæ ejus, & figura ſubſtantiæ ejus*; hoc eſt, Perſonæ, ſecundùm Græcum Textum.

Pa-

Patet hoc etiam ex aliis Capitibus. Conſentiunt omnes ferme Patres, Verbum eſſe Imaginem Dei; porro non intelligitur ſumto Deo communiter; ſic enim Verbum ſui ipſius eſſet Imago: dum porro hoc affirmant Patres, aſſeritque Scriptura, ſupponunt pro Perſona.

Accedit & alia ratio, quæ magis decretoria videtur. Verbum producitur a Patre ea Cognitione, quæ eſt quidditativa, intuitiva, comprehenſiva; quia cognoſcitur Cognitione perfectiſſima: At Cognitio, quæ habetur de Eſſentia, & Attributis, non eſt quidditativa, intuitiva, comprehenſiva, niſi cum Eſſentia, & Attributis cognoſcatur ſimul Perſona; quia Cognitione comprehenſiva cognoſci debet totum id, quod complexum eſt in eo, quod cognoſcitur; Perſona autem complexa eſt in eo, quod cognoſcitur: itaque unà ſimul cum Eſſentia, & Attributis cognoſcitur etiam Perſona.

At ſcio, quid reponunt Adverſarii. Dicunt ſcilicet: Cognitio non pendet ab Objecto ſecundario, ſed ab Objecto primario; Objectum autem primarium Divinæ Cognitionis eſt eſſentia Divina; Perſona verò eſt Objectum ſolummodo ſecundarium; igitur ea Cognitione, qua Divina Eſſentia cognoſcitur, non cognoſcitur Perſona.

At ſi hæc Argutia aliquid valeret, colligere ex hac poſſemus Momentum contra ipſos: nam ita liceret argumentari: Cognitio pendet ab Objecto primario; ſed Attributa non ſunt Objectum primarium; ergo nec per Cognitionem, quam habet de ſua ipſius Eſſentia, & Attributis, Deus poteſt generare Verbum ſuum; quod tamen conſequitur ex ipſorum Reſponſo.

Quare repono ego: cognitio non pendet ab Objecto ſecundario, quando primarium comprehendi poteſt, non cognito Objecto ſecundario, verum eſt; ſed quando nequit comprehendi, niſi & ſecundarium cognoſcatur, pendet quoque cognitio a ſecundario: Porro Cognitio, quam habet Deus Eſſentiæ ſuæ, nequit haberi, niſi habeatur & Paternitatis; aliter Cognitio comprehenſiva non eſſet.

Subtiliùs jactitant alii: Verbum procedit ex cognitione illius, cujus eſt Imago, ſed Verbum non eſt Imago Patris ratione Paternitatis, ſed ratione Eſſentiæ; ergo non procedit a Patre ex cognitione, quam habet Paternitatis, ſed ex cognitione duntaxat ſuæ Eſſentiæ.

Ut hæc diſſipetur Argutia, obſervandum nobis eſt, ad rationem Imaginis ſatis non eſſe ſimilitudinem, ſed ultra requiri, ut unum procedat ab alio; V. G. nihil eſt Ovo ſimilius, quàm alterum Ovum; unum tamen non dicitur imago alterius; quia licet ſimile unum alterius ſit; unum tamen non trahit originem ex alio; unde ad rationem imaginis non tantum requiritur ſimilitudo, quàm

quàm quod unum procedat ab alio. Filius autem procedit a Patre, non ut Deus eſt reduplicativè, ſed ut Pater eſt; aliàs & Filius ipſe, & Spiritus Sanctus generarent, cum Uterque non minùs, ac Pater, Deus ſit.

Urgent tamen: abſurdum eſt dicere, unum eſſe repræſentativum alterius ratione illius, per quod opponitur: porro per Paternitatem Pater opponitur Filio: Paternitas itaque nequit eſſe repræſentativa Filii.

At ludicrum, ac futile argumentum hoc eſt: nequit certè quìs eſſe ſimilis alteri per id, quod Contradictoriè alteri opponitur; Bene verò per id, quod Relativam duntaxat dicit Oppoſitionem; cùm Relativa non modò ſint ſimul naturâ, ſed etiam cognitione.

His poſitis, ad alteram Quæſtionis Difficultatem accedamus; num ſcilicet Pater Verbum generet per Cognitionem, quam habet de ipſomet Verbo, & Spiritu Sancto? Cum enim Deus in ſe multa cognoſcat, Eſſentiam nempe, Attributa, Perſonam ſuam, Verbum, & Spiritum Sanctum, ut ſuperiùs aſſeruimus, & cùm probaverimus, ea Cognitione generare, quam habet, nedum de ſua Eſſentia, & Attributis (quod omnes fatentur) ſed etiam de ſua Perſona, ſeu Paternitate; videndum modò, num idipſum præſtet etiam per Cognitionem, quam habet de Filio, & Spiritu Sancto?

Mirum eſt quanta in hacce Controverſia diſſenſio ſit inter Theologos. Res tamen utcumque ſit, pronunciamus, Verbum produci ea Cognitione, quam Pater habet de ipſomet Verbo; idque ſtatuemus Probatione in anteceſſum a nobis habita. Oſtendimus enim, Verbum produci Cognitione, quam Pater habet de ſua ipſius Perſona; ſed repugnat cognoſci Perſonam Patris, niſi cognoſcatur & Perſona Filii: igitur quo titulo producitur Verbum ex Cognitione, quam Pater habet de ſua ipſius Perſona, eodem titulo producitur ex Cognitione, quam habet de Verbo ipſo; cum Relativa ſint ſimul naturâ, & cognitione.

Ratio altera hæc eſt; quia Verbum procedit ex Cognitione quidditativa, intuitiva, comprehenſiva; ſed Cognitio Eſſentiæ Divinæ, quæ eſt intuitiva, quidditativa, comprehenſiva, nequit eſſe ſine Cognitione Filiationis; cum per hujuſmodi Cognitionem omnia cognoſci oporteat, quæ in Deo ſunt; Filiatio autem in Deo neceſſariò eſſe debet; Pater igitur producit Verbum ea Cognitione, quam habet de Verbo ipſo.

Altera itidem Ratio afferri poteſt. Generaliter loquendo, omne Verbum producitur hac ipſa Cognitione, qua cognoſcitur; quia Verbum nil aliud eſt, quàm Species Mentis Expreſſa; eaque Species cognoſci nequit, niſi & cognoſcantur ea omnia, quæ in Verbo ſunt. Exemplum habemus in Ente Rationis; idcirco Ens Rationis ea cogni-

gnitione, qua producitur, etiam cognoſcitur, quia hoc habet totum ſuum Eſſe ab Intellectu : cum itaque Verbum ſit quædam Species a Mente expreſſa, in qua contemplatur Objectum ſuum, in Verbo cognoſci eſt ipſum produci, produci eſt ipſum cognoſci. Unum tamen jactitant in contrarium : Si Verbum produceretur ea Cognitione, qua cognoſcitur, ſupponeretur eſſe antequam eſſet; quia quidquid intuitivè cognoſcitur, ut præſens cognoſcitur : nequit igitur ea Cognitione produci, qua cognoſcitur ipſum.

At principium illud, quo abutuntur Adverſarii, nempe : quod intuitivè cognoſcitur, ut præſens cognoſcitur, exponendum eſt. Reſpondeo itaque; cognoſci quidem ut præſens, ſi cognitione merè ſpeculativa cognoſcatur; non verò ſi cognitione practica : nam neceſſe non eſt, ſi hac cognitione cognoſci debeat, ut antecedenter exiſtat, ut cognoſcatur; eo modo, quo non eſt neceſſe, ut Ens Rationis antea ſit, quàm cognoſcatur; cum illius cognitio practica ſit.

At quid de altero poſiti Quæſiti Membro dicendum? Num ſcilicet Verbum producatur a Patre per eam etiam Cognitionem, qua Pater cognoſcit Spiritum Sanctum? Dico, Verbum Divinum procedere per eam etiam Cognitionem, qua Pater Spiritum Sanctum cognoſcit. Hoc probo generali illo Principio, quo in antehabitis uſus fui. Verbum etenim procedit ex Cognitione quidditativa, intuitiva, comprehenſiva Divinæ Eſſentiæ; at nequit eſſe quidditativa, intuitiva, comprehenſiva Divinæ Eſſentiæ, niſi ſimul & ſemel Perſona Spiritus S. cognoſcatur; quia omne, quod in Objecto continetur, Cognitione comprehenſiva cognoſci debet; Perſona autem Spiritus S. ſubſiſtit in Natura Divina : igitur producitur Verbum a Patre ea etiam Cognitione, qua Spiritum Sanctum cognoſcit.

Altera Ratio, quæ magis decretoria videtur, hæc eſt : Pater, generando Verbum, non ſolùm ei communicat Naturam, ſed etiam Virtutem Spirativam Spiritus Sancti, eamque Virtutem certè cognoſcit, dum producit Verbum; nam communicat ſciens, & intelligens : porro nequit cognoſci talis Virtus Spirativa, niſi etiam cognoſcatur Terminus Spirationis, cùm ea Virtus cognoſci debeat perfectiſſimo modo, nimirum non ut otioſa, vel in potentia duntaxat, ſed ut fœcunda, & actu operans : nequit igitur cognoſci Verbum, ut Verbum fœcundum eſt, niſi & Spiritus Sanctus, qui talis fœcunditatis eſt Terminus, pariter cognoſcatur.

At unum hoc præ cæteris Magnum jactitant : eo Signo rationis, quo Pater concipitur generare Verbum, nondum intelligitur Spiritus Sanctus exiſtens, cum ſit ordine poſterior Proceſſione Filii : quo pacto ergo, dum cognoſcitur, & gignitur Filius, cognoſcitur & Spiritus Sanctus?

Nego

Nego tamen ego, quod eo Signo rationis nondum concipiatur Spiritus Sanctus exiſtens; quinimo eodem ipſiſſimo Signo concipitur & Spiritus Sanctus: nam etſi dicatur poſterior Proceſſione Filii, poſterior tamen eſt poſterioritate duntaxat ordinis, non durationis; quæ ſola non ſupponit coexiſtentiam extremorum. Prima autem poſterioritas, cùm ſolius ordinis ſit, utique extremorum coexiſtentiam ſupponere poteſt, ac etiam debet. Exemplum habemus: Pater enim ordine, & cognitione prior eſt Filio, & tamen cognoſcitur Pater eo Signo, quo cognoſcitur Filius; quia ſunt ſimul cognitione, & natura: & ratio eſt; quia non concipitur prior prioritate durationis, ſed prioritate duntaxat ordinis. Urgent nihilominus: ſi Verbum generatur ea cognitione, qua Spiritus S. cognoſcitur, poſſet dici Verbum imago Spiritus Sancti: falſum hoc eſt: ergo non generatur Verbum ea cognitione, qua Spiritus S. cognoſcitur.

Huic Difficultati ſatis ſuperque ſatisfecimus: nam ut unum ſit imago alterius, neceſſum eſt, quod & ab altero originem habeat: porro Verbum non ducit originem a Spiritu Sancto: non itaque imago dici poteſt Spiritus Sancti, etſi Verbum ea cognitione, qua Spiritus Sanctus cognoſcitur, generetur a Patre. Supereſt modò, ut ad aliam hujuſce Quæſtionis Difficultatem eliquandam animum convertamus; videlicet, an Pater Verbum etiam generet per aliquam aliam cognitionem extra Deum? Cùm enim ea ſit Divinæ Scientiæ amplitudo, ut non ad ea duntaxat cognoſcenda feratur, quæ Dei ſunt, & intra Deum; ſed etiam ad ea, quæ ſunt extra ipſum; idcirco Theologi ſolent inveſtigare, ex quarum rerum cognitione extra Deum producatur Verbum? Res enim extra Deum duplicis generis ſunt: ſunt aliæ merè Poſſibiles, aliæ Exiſtentes pro variis temporum differentiis: unde quæritur, num ex cognitiòne rerum poſſibilium procedat Verbum, vel ex cognitione exiſtentium. Mirum quidem eſt, quantùm hac de re digladientur Theologi Scholaſtici.

Ego verò, ut hanc Difficultatem expediam, illico profero: Verbum per ſeſe, ac neceſſariò procedere ex rerum poſſibilium cognitione, non verò exiſtentium, pro quacumque ſumantur temporis differentia.

Hoc evinco ex Principiis in anteceſſum habitis: Verbum procedit per ſeſe ac neceſſariò ex Cognitione Eſſentiæ, & Attributorum; in hoc omnes conſentiunt: at hæc ſecum infert Cognitionem Omnipotentiæ, quia & Omnipotentia Divinum eſt Attributum; & hæc neceſſariò ſecum infert Cognitionem omnium Poſſibilium, cùm non aliter hæc cognoſcatur, quàm per res poſſibiles: ſi ergo Deus cognoſcit Eſſentiam, & Attributa, cognoſcit proinde & Poſſibilia: quandoquidem nulla Potentia cognoſci comprehenſivè poteſt, niſi cognoſcantur Termini, ad quos Potentia ipſa ferri poteſt. Id confirmatur ex eo, quòd Poſſibilitas rerum non eſt quædam Denominatio intrinſeca, quæ pro-

veniat ab aliqua forma; ſed eſt extrinſeca Denominatio, quæ ab Omnipotentia petitur; imo Poſſibilitas rerum eſt ipſa Omnipotentia.

Theologi, qui huic Sententiæ noſtræ adverſantur, eâ ratione preſſi Suffugia perquirunt. Putant itaque, Potentiam cognoſci poſſe, quin Termini cognoſcantur; & ſatis eſſe ajunt, ut cognoſci poſſit, ſi in univerſum ii cognoſcantur. Id duplici probant Exemplo; unum deſumentes a Potentia Viſiva, a Potentia Intellectiva alterum: Potentia Viſiva, dicunt iſti, cognoſci poteſt, quin in individuo Viſibilia omnia cognoſcantur; ſed ſatis eſt, ſi cognoſcantur in univerſum: Potentia igitur poteſt cognoſci, quin Termini cognoſcantur: Potentia etiam intellectiva cognoſci poteſt, quin cognoſcantur in individuo omnia Intelligibilia; ſed ſatis eſt, ſi generatim cognoſcantur. Angelum pro Exemplo afferunt, qui cognoſcit Potentiam ſuam Intellectivam, non tamen omnia Cognoſcibilia cognoſcit; aliter eſſet infinita ipſius Potentia.

At hæc peregrina ſunt omnia, & a præſenti Diſputatione quâm maximè diſſita. Potentiæ Operativæ duorum generum ſunt: aliæ Operativæ dicuntur, quæ habent in ſe, & a ſe omnia, quæ requiruntur ad operandum; aliæ, quæ non habent hæc omnia. Potentia porro Intellectiva non habet omnia, quæ ad operandum requiruntur; ſic quoque Potentia Viſiva, quia tam ad Intellectionem, quàm ad Viſionem requiruntur Species intentionales, quæ non habentur, niſi ab Objectis; & maximè hæ Species requiruntur in Angelis, quibus infundi debent: unde hæ Potentiæ, quæ non habent totum id, quod requiritur ad operandum, tametſi cognoſcantur, non tamen cognoſcuntur Termini. E contra Omnipotentia habet a ſe, & in ſe totum id, quod requiritur ad operandum; quia Deus nullo indiget adminiculo, ut operetur: atque in hoc ſtat diſcriminis ratio.

Sed audiamus Oppoſita: Verbum non procedit ex ea Cognitione, quæ tametſi non eſſet, nihilominus proceſſiſſet: porro, licet Poſſibilia non eſſent, Deus tamen Verbum ſuum generaret.

At per hoc non terreor. Verbum non procedit ex ea Cognitione, quæ licet non eſſet, tamen Verbum proceſſiſſet: bene eſt: At ſi non eſſent Poſſibilia, Deus generaret Verbum ſuum: Dico, quòd ſi non eſſent Poſſibilia, Verbum non procederet; non quaſi quòd Poſſibilitas rerum ſit ratio a priori Proceſſionis, ſed quia ratio eſt a poſteriori; ſicut Deus Creator non eſſet, ſi Creaturæ nunquam fuiſſent; non quia Creatio dependeat a Creaturis, ſed quia Creaturæ dependent a Deo: ita ſi non eſſent Poſſibilia, Verbum non procederet, non quia Poſſibilitas rei ſit ratio Omnipotentiæ, ſed quia datur connexio inter Poſſibilia, & Omnipotentiam.

Opponunt: Cognitio Divina prius fertur ad Omnipotentiam, quàm ad Poſſibilia; ergo Verbum concipitur ut Genitum, antequam con-

concipiantur a Deo Objecta cognita. Satisfeci, cum dixi, non ferri prioritate durationis, ſed prioritate ratiocinationis; nam eodem Signo reali, quo Deus cognoſcit Omnipotentiam, & Poſſibilia cognoſcit.

Alterum afferunt Argumentum, quod inſalutatum relinqui non debet. Eodem modo Spiritus procedit ex Amore, quo Verbum procedit ex cognitione; ſed Spiritus S. non procedit ex amore Poſſibilium; ergo nec Verbum per ipſorum cognitionem.

At diſcrimen maximum eſt: nam Spiritus Sanctus non procedit ex amore Poſſibilium, quia Deus Poſſibilia non amat; cùm primum bonum ſit Exiſtentia: Deus autem Poſſibilia non vult exiſtentia.

Jam ad alteram venio Quæſtionis partem: num ſcilicet ex cognitione Exiſtentium procedat? Quam tali pacto expedio. Proceſſio Verbi eſt neceſſaria non neceſſitate coactionis, quaſi quòd Coactio inferatur ab aliquo Agente externo, ſed naturæ; adeoque nequit procedere, niſi Cognitione, quæ ſit neceſſaria: Res autem exiſtentes liberè cognoſcit Deus, nempe per Scientiam Viſionis fundatam in Decreto: quare dum D. Auguſtinus lib. 5. de Trinitate cap. 17. ait, Verbum eſſe ex iis omnibus, quæ ſunt in Scientia Dei, intelligendum eſt, locutum fuiſſe non de qualicumque Scientia, ſed de Scientia Neceſſaria; hoc eſt, Simplicis intelligentiæ. Nunc de Spiritus Sancti Proceſſione nobis agendum eſt; non quidem a quo, vel a quibus procedat (hoc enim in ſuperioribus ſatis abunde expoſuimus) ſed quo modo, quave ratione procedat inquirendo.

Digitized by Google

PRÆLECTIO IV.

Agitur de Proceſſione Spiritus Sancti.

AGITATIS Quæſtionibus inter Theologos controverſis de Generatione, ſeu Proceſſione Filii, nunc ad eas Quæſtiones animum convertere neceſſum eſt, quæ de Proceſſione Spiritus S. habentur in Scholis. Itaque non de ipſa Proceſſione verba faciemus, ſed de Modo, quo Spiritus Sanctus procedit; videlicet, primò; ex quo Amore procedat; tum verò, utrum a Patre, & Filio, tanquam ab Unico ſpirandi Principio, vel potius, ut a duobus Principiis procedat; loco tertio Controverſiam illam attingemus, quæ inter Theologos agitari ſolet; num ſcilicet, ſi Spiritus Sanctus non procederet a Filio, adhuc diſtingueretur ab ipſo? Illa igitur primum tractanda Quæſtio nobis eſt, ex quo Amore Spiritus Sanctus procedat? Quia tamen ante (dum de Cognitione illa, qua Filius a Patre procedit, egimus) quædam Principia poſuimus, neceſſe modò non eſt, imo ſuperfluum eſſet, ſi ea, quæ in anteactis dixi, iterum afferre velim. Tamen ne hac in re jejuni ſimus, nonnulla ad inſtar ſpicilegii impræſentiarum adjiciam, non tam ad præſentis Diſputationis elucidationem, quàm ad confirmationem prioris. Id ut intelligamus, advertere operæ pretium erit, Deum, amando, quædam amare intra ſe, quædam amare extra ſe; quemadmodum multa intra ſe cognoſcit, multa quoque extra ſe. Amat igitur intra ſe Eſſentiam, Attributa, Perſonam. Extra ſe Creaturas amat; quarum aliæ ſunt Poſſibiles, Exiſtentes aliæ: unde a Theologis quæri ſolet, per quem Amorem intra Deum Spiritus S. procedat, per quem extra Deum.

Ad primam hujus Quæſtionis partem, Theologi dicunt, procedere eo Amore, quo amat Eſſentiam ſuam, Attributa, & Perſonam. Dein probant, procedere ex Amore perfectiſſimo; at Amor hic perfectiſſimus eſt ille, quo amat Eſſentiam ſuam, Attributa, & Perſonam. Ea de re nullam difficultatem patiuntur Theologi. At verò quantùm ad alteram: num ſcilicet Spiritus S. procedat ex Amore Creaturarum & poſſibilium, & exiſtentium, alia ratio eſſe debet. Quare ponunt, non procedere ex Amore Poſſibilium. Et ratio iſtorum eſt, quia Deus res poſſibiles non amat. Cur verò Deus Poſſibilia non amet, patet; nam amare, eſt alicui bonum velle; Deus autem his non vult bonum; nam primum bonum eſt Exiſtentia; reſque poſſibiles non vult exiſtentes.

Quod

Quod ad alteram partem hujuſce Quæſtionis attinet, reponunt, Spiritum S. non procedere ex Amore Exiſtentium, in quacumque temporis differentia intelligantur; quia Amor, ex quo procedit Spiritus S. eſt neceſſarius, cum ejus Proceſſio utpote neceſſaria, nequeat eſſe, niſi ex Amore neceſſario : Amor autem rerum exiſtentium liber eſſe debet.

Unum eſt, quod opponere ſolent. Amor liber eſt longè perfectior neceſſario; Spiritus S. procedit ex Amore perfectiſſimo; non itaque procedit ex neceſſario.

At Principium illud, quod fingunt, magnam patitur apud Theologos difficultatem. Nam Amor liber perfectior eſt in ordine Meriti; non verò in ordine Naturæ: quia ad rationem Meriti neceſſaria eſt Libertas, juxta illud ab Eccleſia definitum, quòd ad merendum, & demerendum Libertas requiritur : & hac Reſponſione eliquari poſſunt omnes Difficultates, quæ in oppoſitum afferri poterunt.

Ad alteram Quæſtionem paulò difficiliorem noſtra feſtinat Oratio : num Pater ſcilicet, & Filius ſpirantes Spiritum S. ſint Unicum Principium?

Vigebat olim ea Controverſia inter Theologos; an Pater, & Filius Unicum Principium ſint, an duo. Verùm in Conciliis Œcumenicis definitum fuit, Unicum eſſe Principium; in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. *cap. Fideli de ſumma Trinit.*, *&* *Fide Catholica : Damnamus, & reprobamus omnes, qui negare præſumpſerint, æternaliter Spiritum S. ex Patre, & Filio procedere; ſive etiam temerario auſu aſſerere, quod Spiritus S. ex Patre, & Filio, tanquam ex duobus Principiis, & non tanquam ex Uno, procedat :* & in Concilio Florentino *in Literis Unionis* duo definita fuere : Spiritum S. a Patre, Filioque procedere; & tanquam ab Uno Principio ab ipſis procedere. Et ratio harum Definitionum fuit, quia in Divinis omnia ſunt unum, in quibus Oppoſitio non eſt : Pater autem, & Filius in ſpirando Spiritum S. ſunt Unum, eo quòd in ſpirando non opponuntur, quia Uterque ex æquo ſpirat.

Altera ratio fuit, quia Virtus Spirativa Spiritus S. una eademque eſt in Patre, & in Filio; ergo eo modo, quo, quia Pater, Filius, & Spiritus S. unâ eâdemque Omnipotentiâ creaverunt Orbem, ſunt Unicum Principium Creativum Orbis; ita Pater, & Filius ſpirantes unâ eâdemque Virtute Spiritum S. Unicum Principium ſunt ejuſdem Spirati.

Erit fortaſſe, qui dicat, falſum eſſe, Virtutem Spirativam unam eſſe, eandemque in Patre, & Filio; nam Virtus, quæ in Patre eſt, eſt Virtus a ſe. Virtus, quæ eſt in Filio, ab alio eſt: quomodo ergo una eademque Virtus in Patre,& Filio dici poteſt?

At

At hæc ludicra ſunt, & futilia: nam hoc pacto a nobis dici poſſet, non eſſe unam, eandemque Naturam in Patre, & Filio; quandoquidem Natura Patris eſt a ſe, Natura Filii eſt ab alio. Repono igitur, unam eandemque Virtutem eſſe in Patre, & Filio quoad identitatem, non quantùm ad modum; ſicut & Natura Divina, quæ in Filio eſt, licèt quoad modum diverſa ſit; quia tamen quoad identitatem una, eademque eſt; ita una, eademque dicitur in Patre, & Filio.

Sunt nihilominus, qui audacter nimis reſpondent: ubi ſunt diverſa Suppoſita Spirantia, ſunt etiam diverſæ Spirationes; ſed in Trinitate ſunt duo Spirantia Suppoſita; ergo duæ Spirationes; itaque tanquam ex duobus Principiis derivatur Spiritus Sanctus.

Eadem ipſiſſima Argutia circa Divinam Naturam formari poſſet: Pater enim, & Filius, & Spiritus S. ſunt tria Suppoſita Creantia Orbem; ergo non una Creatio dicenda eſſet, proindeque nec unum Principium Creativum. Quod ergo vulgò dicitur: ubi ſunt plura Spirantia, ſunt etiam diverſæ Spirationes, verum hoc eſſet, ni unâ eâdemque Spiratione quilibet ex his ſpiraret; ſecus ſi quilibet ſpiret eadem ipſiſſima Spiratione.

His itaque elucidatis, ad tertiam propoſitam Quæſtionem accedimus; num ſcilicet, ſi Spiritus S. non procederet a Filio, diſtingueretur ab ipſo; quòd enim a Patre æquè, ac a Filio procedat, jam ſatis abunde contra Græcos Schiſmaticos in antehabitis Prælectionibus demonſtravimus tum ex Scriptura, tùm ex Conciliis, & Sanctis Patribus. Hæc porro Controverſia excitata fuit olim a Theologis de Schola Subtili contra Thomiſtas, quos cum viderent in Concilio Lugdunenſi Secundo contra Græcos ad diſputandum vocatos, quique non alia ratione Græcos impugnarunt, quàm iſta; quòd ſi Spiritus Sanctus non procederet a Filio, non diſtingueretur ab ipſo, æmulationis æſtu concitati hanc excogitarunt Quæſtionem, ut futilem, & ludicram Thomiſtarum rationem in Concilio contra Græcos allatam oſtenderent. Officii itaque mei ratio nunc poſtulat, ut probem, Spiritum Sanctum non iri diſtinctum a Filio, ſi a Filio non procederet. Hujuſce Veritatis probandæ duplex Fundamentum invenio. Primum; ſola Proceſſio ratio eſt Diſtinctionis Perſonarum. Conſtat id Authoritate Patrum, & Conciliorum; Patrum, quia S. Gregorius Nyſſenus *in lib. ad Ablabium* loquens de tribus Divinis Perſonis, & de earundem Diſtinctione, eam inter illas differentiam primam ponit, qualis eſt inter cauſſam, & cauſſatum; deinde aliam ponit differentiam inquiens: *nam aliud quidem continenter, & ſine medio ex primo eſt: aliud verò per id, quod immediatè, & ex continenti eſt, ut & Unigeniti proprietas abſque ambiguitate in Filio maneat, & ex Patre Spiritum eſſe non dubitetur:*

Filio,

Filio, qui medius intercedit, & ſibi Unigeniti proprietatem ſervante, & Spiritum a naturali ad Patrem habitu non arcente. Nullus ex vobis ſit, qui ſcandalum patiatur ex hoc nomine cauſſæ, & cauſſati; nam Græci Principium cauſſam vocant, & Principiatum cauſſatum appellant; per quam ſolam rationem una Perſona ab altera diſtincta cognoſcitur. Patet hoc totum ex verbis Concilii Toletani XVI. *in Fidei confeſſione*; ubi Patres illi Hiſpanienſes profitentur, Spiritum Sanctum idcirco a Patre, Filioque diſtingui, quia a Patre, Filioque donatur: *Qui in Sancta prænoſcitur Trinitate tertia eſſe Perſona: pro eo quòd a Patre, Filioque, cum quibus unius Eſſentiæ per omnia creditur, Fidelibus condonetur.* Ergo ſi ex eo, quòd donatur, diſtinguitur (Donatio ſeu Proceſſio cùm ſit fundamentum Diſtinctionis) conſequens eſt, non iri diſtinctum Spiritum Sanctum a Filio, ſi a Filio non procederet. Quòd verò ſola Relatio ratio ſit Diſtinctionis Perſonarum, id apertè colligitur ex Boetio, & S. Anſelmo. Boetius namque *in lib. de Trinitate* circa finem aſſerit, ſolam Relationem in Divinis multiplicare Trinitatem. Anſelmus autem *lib. de Proceſſione Spiritus S. cap.* 2. pro Principio ponit, omnia in Divinis eſſe idem, niſi ubi obviat Relationis Oppoſitio. Quod etiam patet ex Concilio Hiſpanienſi Toletano XI. *in Profeſſione Fidei*; ubi habetur: *in Relatione Perſonarum Numerus cernitur .... ergo hoc ſolum Numerum inſinuat, quòd ad invicem ſunt.* Porro ad invicem eſſe eſt unum ab altero procedere; ut conſtat ex Concilio Florentino *Seſſ.* 18. ubi Joannes Theologus in Diſputatione contra Græcos habita expreſsè aſſerit, *Solam Relationem eſſe, quæ multiplicat Perſonas in Divinis Productionibus; & hoc tam ſecundùm Græcos, quàm ſecundùm Latinos Patres.* Si ergo Spiritus Sanctus non procederet a Filio, cùm nullam haberet Relationem, proinde ab ipſo non diſtingueretur. Quod etiam confirmatur ex hoc, quòd ſi ea Relatio non admittatur, tanquam ratio Diſtinctionis Perſonarum, nulla alia cogitari poſſit.

Quoad illud autem, quod hæc ſubtiliora Ingenia contendunt; Oppoſitionem nempe Diſparatam eſſe fundamentum ſufficiens hujuſce Diſtinctionis; dico, ludicrum eſſe hoc dicere, ex duplici Capite. Primò; quia hæc Oppoſitio Diſparata omnibus Philoſophis, & Theologis incognita eſt; hi enim quatuor dignoverunt tantùm Oppoſitiones, Contradictoriam ſcilicet, Contrariam, Privativam, & Relativam. Cæterùm etiam Oppoſitio hæc Diſparata non eſt ratio ſufficiens Diſtinctionis; quia inter ea dari poteſt, quæ in Divinis non diſtinguuntur: datur nempe inter Paternitatem, & Spirationem activam; & tamen non facit, ut Paternitas realiter diſtinguatur a Spiratione activa. Futile perinde dicendum eſt hoc, quod excogitarunt Adverſarii, diſtinctionis Fundamentum.

Audia-

Audiâmus quæſo, quid nobis opponant. Inquiunt illi: Si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, daretur ſufficiens Perſonarum Diſtinctio; quia Diſtinctivum eſt etiam Conſtitutivum. Porro ſi non procederet Spiritus S. a Filio, ſtaret adhuc Conſtitutivum; quia ſtaret Filiatio, quæ Conſtitutivum, & Diſtinctivum eſt Filii.

Fateor & ego, Conſtitutivum eſſe Diſtinctivum ſufficiens, ſi Conſtitutivum ſit integrum, & adæquatum; ſecus ſi inadæquatum ſit: E. G. Animalitas, quæ eſt Conſtitutivum inadæquatum Hominis, non ſatis diſtinguit Hominem ab Animantibus: ſed Filiatio non eſt Conſtitutivum ſufficiens, ſed prout adjunctam habet Vim Spirativam; quia Pater non ſolùm communicat Filio Naturam, ſed etiam Vim Spirativam ad producendum Spiritum Sanctum.

Opponunt tamen: Si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, diſtincta tamen eſſet Origo Filii ab ea Spiritus Sancti; quia Filius ab Intellectu procedit, Spiritus S. a Voluntate.

Id ut expediam, obſervandum eſt, quod eâ in Hypotheſi Origo unius eſſet diverſa ab Origine alterius virtualiter tantùm, non verò realiter, uti Intellectus Divinus non realiter, ſed virtualiter duntaxat diſtinguitur a Voluntate Divina. Alterum adferunt Momentum ex paritate deſumptum: Si Spiritus Sanctus non procederet a Patre, adhuc tamen diſtingueretur a Patre; quidni ergo idipſum dicendum relatè ad Filium?

At lata, infinitaque Diſparitas eſt; idcirco enim, ſi non procederet a Patre, adhuc diſtingueretur ab ipſo, quia, tametſi non procederet ab eo, ſin minùs immediatè, mediatè ſaltem illi opponeretur; & ratione hujus Oppoſitionis, licèt non procederet, adhuc diſtingueretur ab ipſo. At verò, ſi a Filio non procederet, nec mediatè, nec immediatè opponeretur; proindeque nec diſtingueretur a Filio.

Hæc ſatis eſſe opinor ad eliquanda Subtilium Theologorum Argumenta, quæ æmulationis æſtu contra Theologos Thomiſtas excogitarunt. Reliquum eſt, ut ad plenam hujuſce Sacroſancti Myſterii notitiam pauca dicamus de Divinis Relationibus, de quibus adeo acriter diſputatum eſt a Theologis, præſertim Antiquioribus: quod in ſequenti, Deo auſpicante, præſtabimus.

PRÆ-

PRÆLECTIO V.

Relationes Divinas ex proprio conceptu Perfectionem dicere, demonſtratur.

TAMETSI de Divinis Relationibus, quas in Deo Catholica Fides admittit, non pauca ſoleant a Theologis Scholaſticis in Controverſiam vocari; illud tamen præ cæteris difficultatem præſeferre videtur aliquam, quod magno animorum æſtu in Scholis etiam Thomiſticis agitatur; num ſcilicet Relationes Divinæ ſub conceptu explicito Relationum perfectionem ſonent; an contra a perfectionis conceptu penitus abſtrahant. Ea de re tanquam pro aris, & focis Noſtrates Theologos videas digladiari, in oppoſitas hinc inde Sententias abeuntes, Doctoremque Angelicum in partes alterutras pertrahere adnitentes.

Ego verò, ubi rem penitius perpendi, in eam deſcendi Sententiam, quæ Divinas Relationes ſecundùm proprium conceptum ex neceſſitate importare perfectionem propugnat. Ad id me maximè movet SS. Patrum Authoritas, Cyrilli *lib.* 2. *Theſ. cap.* 1. Joan. Damaſceni *lib.* 1. *de Fide Orthod.* ubi concordes docent, Naturam Divinam plenam, & perfectam non eſſe, ſi Relationibus careret. Unde argumento eſt, Relationes importare ex neceſſitate ſecundùm proprium conceptum perfectionem. Me movet etiam D. Th. Authoritas *quæſt.* 9. *de pot. art.* 5. *ad* 23. ubi habet: *ad Perfectionem Divinitatis pertinet, ut ſint plures modi exiſtendi in Divinis; ut ſcilicet ſit ibi a quo alius, & ipſe a nullo; & aliquis, qui eſt ab alio: non eſſet enim omnimoda Perfectio in Divinis, niſi eſſet Proceſſio Verbi, & Amoris.* Et 1. *part. quæſt.* 27. *art.* 2. *ad* 3. *in ipſa Perfectione Divini Eſſe continetur & Verbum intelligibiliter procedens*, & *Principium Verbi.* Rurſus *quæſt.* 9. *de pot. art.* 5. *ad* 24. *Non poſſet eſſe Patri plenum gaudium de ſe ipſo, niſi in Filio. Sicut nec Homo de ſe ipſo gaudet, niſi per conceptionem, quam de ſe ipſo habet.* Ex quibus perſpicuum videtur, Doctorem Angelicum in Divinis Relationibus perfectionem agnoviſſe.

Alias plures Patrum Authoritates in medium afferre poſſem ad Veritatem hanc comprobandam; ſed præſtat Rationem ipſam conſulere; ut quiſque perſpiciat, quàm clara, quàm manifeſta Concluſionis propoſitæ probatio reſultet. Perfectum illud dicitur, cui nihil

nihil deeſt eorum, quæ ad generis ſui integritatem pertinent; & & ſi quid ei in alio genere deficiat, non deſinit per hoc eſſe in priori genere perfectum. In Moralibus ſumamus Exemplum: Ille dicitur perfectus Theologus, cui nihil deeſt Theologicarum Quæſtionum; ſi verò aliquid earum cognitionum ei deſit, quæ Medicinam, aut aliam quamcumque Scientiam reſpiciunt, non deſinit propterea eſſe perfectus Theologus. Porro Divinis Relationibus nihil quicquam deeſt. Quid enim deeſt Paternitati Divinæ? Quid Filiationi? Quid Spirationi? Indubitatum itaque ſit, Relationes Divinas omnimodam dicere perfectionem.

Accedit & alia ratio, quæ mihi quidem decretoria videtur. Relatio aliud non eſt, quàm reſpectus ad terminum: unde videtis, totam perfectionem relationis in termino reſpiciendo conſiſtere. Porro Terminum, quem reſpicit Pater, perfectum eſſe, nemo quòd ſciam denegavit, aut dubitavit.

Momentum tertium proferre libet haud minoris efficaciæ, atque roboris. Illud nequit non eſſe Perfectum, quod colitur, & adoratur; porro Deus quoad omnes ſuas Relationes colitur, & adoratur; nam Eccleſia non ſolùm colit, & adorat Naturam Divinam, ſed etiam Relationes; quinimo Apoſtolus *ad Epheſ.* 3. hæc habet: *Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti; ex quo omnis Paternitas in Cœlis, & in Terra nominatur:* Fatendum igitur, Relationes Divinas ſecundùm proprium conceptum dicere perfectionem.

Unde autem ortum Syſtema illud ſit, quod in Scholas Theologi non pauci, & quidem haud infimæ notæ intulerunt; Divinas videlicet Relationes ſecundùm proprium conceptum perfectionem minimè importare, declarabò. Noverunt Theologi illi, quod Fides docet in Trinitatis Myſterio; nimirum ſummam eſſe Perſonarum Æqualitatem; quapropter dixerunt: ſi Relationes Divinæ ſecundùm proprium conceptum perfectionem induerent, profectò Divinæ Perſonæ æquales in Perfectione non eſſent, quia Pater Paternitatem habet, quam Filius non habet; Filius habet Filiationem, qua Pater caret; Spiritus Sanctus Spirationem Activam nullam habet, qua tamen præditi ſunt Pater, & Filius. En qua Argumenti ſpecie deluſi fuere Theologi illi.

Mera tamen hæc eſt Argutia nullo rationis pondere nixa. Eſto enim Pater ea Paternitate potiatur, quam Filius non habet; Filius ex adverſo Filiatione donatus ſit, qua caret Pater, ſunt nihilosecius æqualis inter ſeſe Perfectionis, eo quòd Filius aliquid poſſidet, quod tantæ perfectionis eſt, quantam habet in Patre Paternitas; & Pater viciſſim continet in ſe aliquid, quod tantam complectitur perfectionem, quantam Filio tribuit Filiatio. Quid iſtud eſt?

eſt? Paternitas ipſa in Patre; Filiatio in Filio. Sed quid de Spiritu Sancto dicendum erit? Idem omnino: nempe, paſſiva Spiratio illiuſmet Spiritus æqualem in ſeſe perfectionem continet, ac habeat in Patre Paternitas, vel Filiatio in Filio, vel etiam Utriuſque Activa Spiratio, qua ipſum ſpirant Spiritum Sanctum. Deinde dico, verum abſolutè non eſſe, Patrem non habere Filiationem, Filium non habere Paternitatem. Pater enim ſecundùm conceptum explicitum non habet Filiationem; bene eſt: habet tamen illam Pater, ut Deus eſt: & ita de Filio, & Spiritu Sancto, ſervata utriuſque Relationis ratione, dicendum venit. Quamobrem nihil ex eo Argumento extundere poſſunt Theologi illi ad ſui Syſtematis poſitionem firmandam. Atque hæc de Divinis Relationibus dicta ſufficiant; quibus integram de Sacroſancto, atque imperſcrutabili Trinitatis Myſterio Tractationem, anno ſcholaſtico deſinente, abſolvimus, & Scholæ noſtræ januam obſeramus. Novo ineunte anno Scholas iterum ingreſſuri, ſi nos incolumes Trinitas ipſa ſervaverit, Audientiam noſtram in amœniora prata deducemus; ut quantum ſacri cujuſdam horroris pertractati Myſterii alta profunditas veſtris mentibus hucuſque ingeſſit, tantum oblectationis, atque jucunditatis afferant feſtiviora, quæ tractaturi tunc erimus, humanoque captui longè accommodatiora Controverſiarum Argumenta.

DE MUNDI OPIFICIO, PROTOPARENTIBUS, ET PARADISO TERRESTRI.

DISPUTATIO UNICA.

PRÆLECTIO I. PRÆLUDIALIS.

In Divinarum Naturæ Operum indagatione tria Viro Theologo Principii loco ponenda inſinuantur : Primò ; eorum Notitiam ex Sacris Literis non eſſe curioſiùs petendam ; ſed ea potiùs naturali ratione inveſtiganda : Secundò ; quæ naturali ratione probantur , ſi quo fortè modo Sacris Literis repugnare videntur , cum Divina Revelatione eſſe concilianda : Tertiò ; ſi nullo modo conciliatio fieri poſſit , naturalem rationem , quæ Sacris Literis adverſatur , tanquam fallacem abjiciendam , & Divinæ Revelationi penitus inhærendum .

HABITA de Sacratiſſimo Trinitatis Myſterio Theologica Tractatione , poſtulat Officii ratio , & a Magiſtro Sententiarum ſervata docendi methodus , ut de Creatione Mundi , ſeu (ut Theologi de Schola loquuntur) de Opere ſex dierum Diſputationem aggrediamur . Ita ſcilicet , conſiderato pridem Summo illo , quo ſolo fruimur , Bono , Creaturas nunc , quibus utendum duntaxat nobis eſt , attentis animis ſpeculabimur . In qua quidem obeunda provincia , non levi ſub ipſum ſtatim initium difficultate detineor ; quam tamen ſi modò feliciter expedierim , certa mihi deinceps docendi patebit via . Iſtud enim Argumenti genus dum tractant Theologi ferme omnes , in illum impingunt ſcopulum , quòd eas in perſcrutandis Divinis Naturæ Operibus tenendas Leges exiſtiment , quas in cæteris Theologiæ partibus ,

ubi

Digitized by Google

ubi Opera Gratiæ, Myſteria Fidei, Diſciplinæ, Morumque Regulas tractant, ſervare, atque tenere conſueverunt. Nempe cùm in iis pertractandis ad Sacrarum Scripturarum Authoritatem, tanquam ad certum Religionis, & Fidei Canonem, confugere ſoliti ſint (ablegatis, ſi fortè repugnent, ſenſuum experimentis, ac naturali etiam Ratione ſilere juſſa) idem ſibi in retegendis Naturæ arcanis, ſcrutandiſque Dei Conditoris Operibus faciundum arbitrantur. Quodque in eorum quibuſdam dolendum magis, ſi quem fortè Philoſophum viderint de iiſdem paulò aliter ſentientem, quàm ipſa prima Sacrarum Scripturarum facies præſeferre videatur, Hæreticum ſtatim inclamant; ac pro ea, quam in re literaria ſibi arrogant, authoritate atrociſſimis Cenſuris inurunt. Quis hæc, rogo vos, æquo animo ferat? Unde non modò Philoſophis omnis in inveſtiganda Natura libertas tollitur, ſed & Theologis ipſis in explicando, quod modò ſuſcipimus, Mundi hujus Opificio jugum imponitur nulla prorſus ratione ferendum. Si enim, ut in Fidei, Morumque Quæſtionibus fit, ita in Creationis Operibus explicandis Sacrarum Scripturarum narrationes juxta proprium, ac nativum verborum ſenſum ſemper accipiamus; nihilque Rationi, nihil ſenſuum experimento tribuamus; quì quæſo explicare aggrediemur, quæ miro quodam, myſticoque verborum involucro obvolvit Moyſes potiùs, quàm narravit ſub ipſum ſtatim Geneſeos initium? Productam E. G. omnium primò Lucem quamdam erraticam, nulli interim ſubjecto hærentem: Dies tres ex veſpera, & mane coaleſcentes ante Solis, & Lunæ productionem a Deo conditos: Aquas, neſcio quas, ſuper Firmamentum poſitas: Lunam ex magnis Luminaribus alterum a Moyſe dictam: Stellas omnes Cœlo infixas, & inhærentes: Cardines a Deo poſitos, quibus Univerſus volvitur Orbis: aliaque id genus longè multa, quæ Sacrarum Scripturarum Interpretes non exercent modò; verùm etiam graviſſimè torquent.

Hos igitur Scopulos ut vitemus, certamque ſternamus viam, quam in ſuſcepta de Divino Mundi hujus Opificio Tractatione teneamus, tria hæc Principii loco ponenda exiſtimamus: primum; non eas eſſe Theologi partes ut Divinorum Naturæ Operum notitiam ex Sacris Literis curioſiùs petat; ſed ea potius naturali Rationi inveſtiganda relinquat: alterum; ſat bene officio ſuo functum iri Theologum, ſi quod de Naturæ Operibus ratione naturali probatum viderit, hoc ipſum cum Sacris Literis, Divinaque Revelatione conciliet, ſi quo fortè modo repugnare videtur; non intemperanti, ut plerumque ab imperitioribus fit, Cenſura configat, ac damnet: poſtremum; ſi omni adhibito ſtudio conciliatio fieri omnino non poteſt, rationis videlicet naturalis, Divinæque

næque Revelationis Sacris in Literis factæ, jus demum Theologo erit, fallacem, errantemque Rationem pronunciare, quæ contra quod Fides habet, contra quod Prima Veritas Divinis in Literis revelavit, præſumit aliquid demonſtrare. Quæ tria Principii loco dum pono, non modò quam in ſuſcepta Tractatione viam ingrediar, definio, ſtatuoque; verùm etiam certos & Theologis, & Philoſophis fines conſtituo, quibus ſua Utrique jura in dijudicandis Naturæ Operibus circumſcribant: ne vel Theologi Philoſophos rerum naturalium inveſtigatores immeritis Cenſuris imprudenter inurant, vel Philoſophi Theologos Divini Verbi interpretes, ubi recta de rebus etiam naturalibus judicia ferunt, deſpiciant pro more ſuo, atque contemnant. Ad rem itaque veniamus.

Ac illud primum, quod ajo, Divinorum Naturæ Operum notitiam in Sacrarum Scripturarum Codicibus non eſſe quærendam, a nemine ſic accipi velim, quòd eorum Scriptores Codicum in rebus ad Naturæ ordinem ſpectantibus referendis labi potuiſſe, aut re ipſa lapſos eſſe exiſtimem. Abſit dicto blaſphemia. Fuit hæc Arminii, fuit Epiſcopii Proteſtantium audaciſſimorum temeraria Sententia, Bonorum omnium ſenſu rejecta, atque damnata. Deus enim Apoſtolorum, ac Prophetarum ore locutus Sacris in Literis, quidquid demum dixerit, ſeu ſit illud ſupra Naturæ ordinem poſitum, ſeu Naturæ ordine comprehenſum, Suprema ſemper Veritas eſt, falli, & fallere neſcia. At non eſſe rerum naturalium notitiam ex Sacris illis Codicibus hauriendam dico, quòd nec eo fine ſint editi Sacri Codices, ut per eos Naturæ arcana docerentur Homines; nec eâ ſint editi methodo, quæ detegendis Naturæ arcanis ſola ſufficiat. Quorſum enim Prophetas, atque Apoſtolos Divino Spiritu afflatos Sacros illos Codices ſcripſiſſe exiſtimamus? Fortè ad Mathematicas, Phyſicas, Medicas, Aſtronomicas, aliaſque id genus Controverſias dirimendas? Ac non potius, ut Scientiam ſalutis Lectorum animis infererent; ut Dei, & Chriſti ejus notitiam Fidelibus traderent; ut ad Dei, Proximique Amorem, in quo Lex univerſa poſita dicitur, Homines informarent? Audiatur hîc Gentium Apoſtolus 2. *ad Timoth.* 3. *omnis Scriptura*, inquit, *divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia; ut perfectus ſit Homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus*. Nimirum Juſtitiam tradere, Moreſque componere Divinarum Scripturarum unus eſt Scopus. Hinc & *ad Titum* Diſcipulum alterum *cap.* 1. ſcribens idem Apoſtolus, Epiſcopum Sacrarum Scripturarum Scientia inſtructum eſſe vult, *ut potens ſit exhortari in Doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere*: In Doctrina, inquam, ſana; hoc eſt, ut Patres interpretantur, in Doctrina ſalutis, Pietatis nimirum,

mirum, & Fidei; non in Phyſicis Diſciplinis nihil ad æternam Salutem conducentibus. Quid enim ad ſalutem, pietatemque refert ſcire, cujus figuræ Terra ſit? Stet ne, an moveatur? An ex quinta Subſtantia ſint Cæli? An corruptioni obnoxii? Fluidi ne, an ſolidi? Num Ignis inter Elementa ſit computandus? Horum ergo, aliorumque non abſimilium notitiam fruſtra quis in Sacris Literis quærat.

Quo circa Baronius, ſummum illud ætate ſua Purpuratorum Principum Sidus de Motu Cælorum (quæ tunc Quæſtio Romanos nimium exercebat) a Clemente VIII. interrogatus, quid ſecundùm Sacras Literas ſentiendum eſſet, reſpondiſſe fertur: *Spiritui Sancto Sacris in Literis loquenti fuiſſe conſilium, docere nos, non quomodo Cælum eat, ſed quomodo ſit eundum in Cælum.*

Sed nec eâ viâ, ac ratione procedunt Scriptores Sacri, ut ex illorum dictis, ac pronunciatis certam, planamque rerum naturalium notitiam accipiamus. Ii quippe, ſi quando vel in Sacris Hiſtoriis enarrandis, vel in Fidei Dogmatibus, Morumque Regulis tradendis occupati res fortè Phyſicas, & ad Naturalium Scientiarum criterium ſpectantes attingunt obiter, non preſſas tunc, accuratasque loquendi formulas, quales Stilus Didaſcalicus poſtulat, ſoliti ſunt uſurpare; ſed ad Vulgi uſum accommodatas, & ab externo ſenſuum experimento petitas; quibus ſi religioſiùs, & κατὰ λέξιν ſtare velimus, aut in errorem labemur illuſi, aut miserè fluctuabimus in incerto; quod ſexcentis liquet Exemplis: Sic *Iſaiæ* 13. *venientibus* (ſcilicet Medis) *de terra procul, a ſummitate Cæli*, ſeu (ut vertit Malvenda) *de extremitate Cælorum* futura Babyloniorum devaſtatio attribuitur: phraſi ſcilicet ex Populari opinione deſumpta (ut ait Tirinus) quæ Cælum non ſphæricum, ſed hemiſphæricum putat; illudque in extremis Terris deficere, atque illic terminari ſtultiſſimè ponit: ſic *Job.* 26. Montes (ut plerique intelligunt apud Malvendam, & Menochium) *Cæli columnæ* dicuntur; ab externa nimirum Oculorum ſpecie, quibus Cælum ſummis Montibus videtur innixum: ſic ad Mundi finem *Stellæ de Cælo caſuræ* leguntur *Matth.* 24. quòd Metheora, aeriſque inflammationes in longum ductæ, cadentibus Stellis perſimiles, Stellæ vulgò credantur: ſic *Sol* (media die) dicitur *incaleſcere Exod.* 16. non quòd ſummo mane frigeſcat Sol, aut quidquam interdum de ſuo ardore remittat, quod ſubinde recuperet; ſed quòd matutino tempore, cùm adhuc nocturnum frigus aerem occupat, Solis ardor minùs ſentiatur in nobis, ipſeque idcirco Planeta, quo altiùs ab Horizonte procedit, nocturnumque depellit frigus, ſenſim incaleſcere Rudioribus videatur; quaſi in ipſo Sole, ac non potius in Aere, ſeu in Hominibus ad Solem expoſitis creſceret,

aut

Digitized by Google

aut decreſceret ardor: ſic *Actorum* 27. ubi Pauli Apoſtoli in Adriatico Mari navigatio narratur, Nautæ circa noctis medium obſervaſſe dicuntur, *apparere ſibi aliquam Regionem*; ita quippe Textus Græcus habet, Προσάγειν, phraſi utique familiari ab externo, atque fallaci oculorum Experimento petita, quòd Navigantibus moveri litora, & loca remotiora accedere, vel recedere videantur: *Provehimur portu, Terræque, Urbeſque recedunt* Verſus eſt apud Virgilium perquam notus. Quin etiam in re Hiſtorica, quæ planiorem, ac ſimpliciorem Stilum poſtulat, idem plane Sacris in Literis obſervamus; nempe loquendi formulas non ex rei veritate, ſed ex Vulgi ſenſu, & opinione uſurpatas; ut *Actorum* 2. effuſo in Apoſtolos Divino Spiritu die Sacro Pentecoſtes, Judæi Hieroſolymam conveniſſe leguntur *ex omni natione, quæ ſub Cœlo eſt*. Putatis per fidem veſtram, fuiſſe illic Japponios, Sinenſes, Garamantas, & Indos? Fuiſſe Tartaros, Americanos, & Scythas, alioſque tam multos ſub utroque Polo, Arctico, & Antarctico natos? Et *Lucæ* 2. Chriſto proximè naſcituro, *exiiſſe* dicitur *Edictum a Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis*. Itane quæſo totius, quà latè patet, Orbis Imperium obtinebat Auguſtus, ut univerſum conſcribi juberet? Aut ita in prophanis Hiſtoriis erimus peregrini, ut neſciamus, longè abfuiſſe Romanos a totius Orbis Imperio? Cujus amplam quidem partem armis victricibus occupaverant; ſed revera opinione minorem, ſi cum tot aliis Provinciis, ac Regnis adhuc indomitis conferatur. Quid ergo? Sunt illæ, non ex rei veritate, ſed ex Vulgi opinione petitæ loquendi formulæ: Vulgi, inquam, Orbem univerſum ea duntaxat parte concluſum exiſtimantis, quæ ſola iis Temporibus cognita erat; quæque Romanorum Imperio ſuberat, hominumque Judæorum commercio patebat.

Quamquam quid verbis, quid congeſtis exemplis eſt opus? Cum Auguſtinum ipſum, Doctoremque Angelicum conſentientes habeamus, Moyſen in Orbis Creatione deſcribenda (cujus cauſsâ noſtra hæc inſtituta eſt Diſputatio) Vulgi lingua locutum, ſtilum quoque ſuum ad rudis, hebetiſque Populi captum demiſiſſe. Nec meliori illi Reſponſo objectas interdum ex Scripturæ verbis Difficultates expediunt, quàm quòd rudi Populo Moyſes condeſcendens, quæ ſenſibus appareant, ſcripſerit potiùs, quàm quæ Eruditis probentur Ingeniis, & Philoſophicas Diſciplinas probè callentibus.

Quæ cum ita ſint omnia, quis, quæſo, niſi cerebrum in calcaneo geſtet, per hujuſmodi Sacrarum Scripturarum ambigua verba, per incultas & ad Vulgi captum inflexas loquendi formulas Quæſtiones Phyſicas, Mathematicas, Aſtronomicas, aliaſque id genus dirimendas ſibi ſumat? Aut in iis agitandis, finiendiſque, ubi

ubi rationum præſidia deſunt, Prophetarum, & Apoſtolorum Oracula ambitioſiùs oſtentet? Quiſquis id egerit, vereor, ne parem cum Roberto Fluddio ſortem ſubeat, quem Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto tanquam Sacrilegum, atque Blaſphemum damnavit Academia Pariſienſis, quòd novam quamdam Philoſophiam Sacrarum Scripturarum Oraculis ſuperſtruere tam ineptè tentaſſet, quàm impiè. Is etenim (ut de nova illa Philoſophia ex Sacris Literis delibata nonnihil dicam) non eſſe Cælos ſphæricos demonſtrabat, quòd tanquam pelles extenſi dicantur *Pſal.* 103. *extendens Cælum ſicut pellem*: non eſſe fluidos colligebat, quòd *ſolidiſſimi quaſi ære fuſi* dicantur *Job.* 37. Terram navis inſtar aquis innatare, ferrique deſuper dictitabat, quòd *Pſal.* 135. ſcriptum legatur *qui firmavit Terram ſuper aquas*: Ignem ex Elementis negabat eſſe unum, quòd illum ab Elementis contradiſtinguat D. Petrus *Epiſt.* 2. *cap.* 3. *Elementa Ignis ardore tabeſcent*: non eſſe Tonitru Meteororum aliquod contendebat, ſed Dei Omnipotentis Vocem homines perterrentis, quòd *Pſal.* 17. ſcriptum ſit: *Intonuit de Cælo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam*. Quid plura? Orbicularem Circuli ambitum, ut alia longè multa paris inſulſitatis omittam, Orbicularem, inquam, Circuli ambitum triplum duntaxat eſſe Diametri, nec parte adhuc aliqua ſuperare, contra ſenſibile Geometriæ Experimentum oſtendere nitebatur, propterea quòd *lib.* 3. *Regum cap.* 7. ſcriptum ſit, Vas illud ingens rotundâ formâ in Salomonis Templo poſitum, quod Mare fuſile vocabatur, decem cubitos a labio ad labium habuiſſe, triginta verò per circuitum. Vah blaſphemum, ac ſacrilegum Philoſophaſtrum! Non eſt hoc, credite mihi, non eſt hoc, Dei Verbum excipere, colere, venerari; ſed ſpernere, ſed prodigere, atque in contemptionem adducere. Nec enim, ut nos Phyſicos, Mathematicos, Aſtronomos, Geometras faceret, Apoſtolorum, & Prophetarum ore locutus eſt Deus; ſed ut Fideles, ut Pios, ut Juſtos efficeret: ac ille quidem Scientiam ſalutis Scripto, Traditoque Verbo, eoque plano, diſtincto, & accurato per ſeſe nos docuit: tanta illi Salutis noſtræ cura fuit. Prophanas verò Diſciplinas Hominum ſtudio, diligentiæ, meditationi reliquit; *Mundumque* (ut loquitur Sapiens (*Eccleſiaſtes* 3.) *tradidit diſputationi eorum*.

Interea verò (quod ſecundi Principii loco poſitum volo) quia nonnulla Sacris in Literis interdum occurrunt ex occaſione, ac præter inſtitutum inſinuata, quæ cùm ad Phyſicam, ad Aſtronomiam, ad Mathematicam referantur, non ſatis primâ fronte cum receptis Diſciplinarum illarum Theorematibus congruunt; nonnulla viciſſim recentium Philoſophorum Syſtemata in lucem prodeunt, quæ cum aliquo Fidei noſtræ Capite Sacris in Literis revelato col-

Digitized by Google

lidere primâ facie videntur; præcautio tunc opus eſt Theologo Viro: non illi præcipitandum judicium; non illico in Philoſophicas Opiniones, tanquam Dei Verbo contrarias, ferenda Cenſura; ſed omni ope, ac ſtudio adnitendum, ut cum Sacrarum Scripturarum, loquendi formulis probata Philoſophorum Syſtemata concilientur; ne aut fallere putetur Dei Verbum, quòd rectæ Rationi repugnet; aut delirare humana Ratio videatur, quòd Supremæ Veritati adverſetur. Sic ſanè erimus Theologi, ut debemus. Rem in Exemplo ponamus: Telluris motum E. G. circa Solem immobilem rationibus haud ita contemnendis oſtendit poſt Copernicum, veteresque Pythagoricos recentium Aſtronomorum bona pars, ac etiam fortaſſe melior. Non damnat modò; non proſcribit Eccleſia: modò, inquam: quamquam enim Galilæus, hujuſce Syſtematis inſtaurator, illuſtrator, & vindex, haud ita propitium Romanum Cælum initio ſtatim invenerit; ſecutis tamen inde temporibus, atque hac ipſa Ætate noſtra Viri plerique pietate, ac religione præſtantes, nonnulli etiam Purpurâ eminentes cum Galilæo, cum Copernico ſentire liberè permittuntur; modò certum, indubitatumque Syſtema non dicant; ſed commodam Aſtronomiæ uſibus Hypotheſim faciant: ut ex Decreto S. Congregationis S. Officii Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo perſpectum eſt. Quid tu ergo, Cenſor Egregie, Copernicanam Hæreſim mihi deblateras? Quid ingenioſæ Hypotheſi ab Eccleſia permiſſæ, imò & ab Eccleſia ad emendationem Calendarii Romani quondam poſitæ Erroris notam affricas? Quòd tibi fortè nonnullis Scripturæ locis Solis motum, Terræque ſtabilitatem ſuadentibus repugnare Sententia illa videatur? *Geneſis* ſcilicet 19. *Sol egreſſus eſt ſuper Terram*: *Pſal.* 92. *firmavit Orbem terræ, qui non commovebitur*: *Eccleſiaſtes cap.* 1. *Terra autem in æternum ſtat: oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum revertitur*: & *Joſue cap.* 10. (jubente Judæorum Duce, ne Sol contra Gabaon moveretur) *ſtetit Sol in medio Cæli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei*.

Egregiè verò, & eruditè. Ob ea paucula Scripturæ verba Cenſoriam virgam exerces? Quidni potiùs, ſi Theologus es, donec ingenioſum Syſtema damnet Eccleſia, laudata Scripturæ verba ad commodum ſenſum inflectis? Ut quæ pro immobili Terræ ſtabilitate jactantur, ea de firmitate duntaxat, conſiſtentia, perdurationе, localem motum nequaquam excludente, intelligantur; namque & Cælos, ſeu *Æthera firmaſſe ſurſum* Divina Sapientia dicitur *Proverb.* 8. cùm tamen ab ea Cælorum firmitate Motus juxta Ptolomæi Syſtema nequaquam abhorreat: Quæ verò pro Solis mobilitate ex Sacris Literis proferuntur, hæc non ex rei veritate, ſed ex Vulgi opinione, communique more loquendi ſint dicta;

cta; ut ad rudis Populi ſenſum ſeſe accommodarent Scriptores Sacri : quod aliis tam multis Exemplis dedimus manifeſtum : atque in hoc ipſo, quod de Joſue præſertim objicitur, certiſſimum eſt; ex Vulgi ſcilicet opinione id eſſe dictùm, ſi tota rei geſtæ Narratio diligentiùs attendatur. *Sol*, inquit Joſue, *contra Gabaon ne movearis :* & tamen cùm Tellus Solis comparatione exigua Moles ſit, & Gabaon in eodem Terræ Globo veluti minutiſſimum Punctum; quid quæſo Soli præcipitur, ne moveatur contra Gabaon? Ita-ne huic Puncto reſpondere potuit ingens Solis Globus, ut contra illud aut moveretur, aut ſtaret? Ad vulgare igitur oculorum judicium alluſit Joſue : noſtris enim oculis Sol apparet veluti diſcus duobus ad ſummum palmis dimetiendus, ac ſuper exiguum Cæli ſpatium decurrens. Additur in hiſtorica Narratione *: ſtetit itaque Sol in medio Cæli :* at Cæleſtes Orbes, utpote ſphærici (ſi exactè loqui velimus) ut extremis, ita quoque medio carent; nullumque in ſemita, aut linea circulari excogitari medium poteſt. Illud itaque ad Vulgi ſenſum interpretari neceſſe eſt; quòd illi medius videatur Cœlorum locus, qui ab Oriente, & Occidente æqualiter diſtat. Clauditur tandem Narratio his verbis *: non fuit antea, nec poſtea tam longa Dies.* Ita ne verò nulla unquam in toto terrarum Orbe longior dies illuxit? At Regiones ſub utroque Polo ſitas peragrantibus exploratum eſt, Solem illic lucere diutiùs, longioreſque contingere dies : imò hoc ipſum demonſtrativâ, & evidentiſſima ratione ab Aſtronomicæ Scientiæ Peritis probari, certiſſimum eſt. Judaici itaque Populi, cui Solis effectus in Polaribus Regionibus erant ignoti, accommodata Narratio fuit. Id ni dicamus, Sacroſque Scriptores in iis de Solis motu, Terræque ſtabilitate loquendi formulis non ex Vulgi more locutos fateamur, periculum eſt, ne & pari licentiâ, parique Divinarum Scripturarum abuſu hoc ipſum Copernici, & Galilæi de Terræ mobilitate Syſtema, quod ſuis inconſideratè Cenſuris inurunt plerique Theologi recentiores, demonſtrare aggrediatur moroſus quidam Sacrorum Verborum Exactor. Cùm enim tam ſæpe Sacris in Literis Orbis terræ Cardinibus dicatur impoſitus, *Regum* 1. *cap.* 2. *Domini ſunt Cardines Terræ; Proverbiorum* 8. *adhuc Terram non fecerat, & flumina, & Cardines Orbis terræ;* Cardines verò, ſi preſsè loqui velimus, rem verſatilem, mobilemque impoſitam ſonent, quæ ſuper iis volvatur, vertaturque; quid inde, rogo vos, conſequetur, niſi mobilem eſſe Tellurem, atque verſatilem, quæ ſuis impoſita Cardinibus certâ lege volvitur, agiturque? Eo vel maximè, quòd & *Job cap.* 9. *v.* 6. Deus Terram de loco ſuo commovere dicatur : quod citra figuram, & κατὰ λέξιν dictum volet moroſus verborum Exactor.

Digitized by Google

Sed ſint hæc obiter dicta, non ut Copernici, & Galilæi patrocinium ſuſcipiamus ; quorum Opinionem nunquam nobis fuit animus adoptare, aut pluſquam veriſimilem arbitrari ; ſed ut Theologos avertamus a pertrahenda nimis facilè, imò a contorquenda in iſtud Quæſtionum Genus Sacrarum Scripturarum Authoritate ; eoſdemque a ferenda, quod iniquius eſt, in partem alteram imprudenti Cenſura dimoveamus.

Alia quid referam recentis Scholæ Syſtemata inconſideratis quorumdam Theologorum Cenſuris impeti ſolita ? Eſſentiam Corporis phyſici in extenſione Quantitatis plerique nunc Philoſophi ponunt, Carteſium ſecuti; ipſamque Subſtantiam a Quantitate minimè diſtinguunt. Verane, an Somnia narrent, non inquiro : at, quod certò novi, ita illos philoſophari permittit Eccleſia. Quid tu ergo, Doctor Egregie, Cenſuris illos inuris ? Et quos communis Mater fovet ut Filios, tanquam Ethnicos, & Publicanos execraris, quòd tibi fortè Sacroſanctæ Euchariſtiæ Fidem labefactare videantur ? Studium, Zelumque pro Domo Dei laudo maximè, atque commendo ; at ſecundùm Scientiam velim eſſe. Melior longè Theologus eris, ſi permiſſum interim, ac toleratum ab Eccleſia Syſtema cum Euchariſtiæ Fide conciliaveris. Quod fortè non incommodè fiet, ſi dixeris, Subſtantiæ quidem panis Mutationem, in Euchariſtiæ Sacramento fieri ſolitam, ab Eccleſia fuiſſe definitam ; non ita tamen definitum eſſe mutationis Modum ; perindeque ſtare Myſterium, ſi mutatâ ſimul cum Quantitate ſubſtantiâ, ſolæ maneant Senſationes externæ noſtris in Senſibus factæ (quod Carteſius exiſtimat) ac ſi ſolâ mutatâ Subſtantiâ, vera cum cæteris accidentibus Quantitas maneat, quæ reipſa ſenſus noſtros afficiat ; quod Peripatetici arbitrantur. Eâque de cauſſâ Tridentinos Patres *Specierum*, *ſublatâ Subſtantiâ*, *remanentium* Vocabulo fuiſſe uſos ; cùm Accidentia nominare potuiſſent : videlicet ut ea Voce *Specierum* Senſationes illas ſimpliciter ſignificarent, quas in Senſibus noſtris perinde fieri & Carteſiani, & Peripatetici profitentur ; ſeu cum Subſtantiâ indiſtincta Quantitas pereat, ſeu diſtincta non pereat. Id ni dicas, ſed Carteſianos, donec in eos Sententiam Eccleſia tulerit, violatæ Fidei poſtules, non Theologus es, ſed audaciſſimus Cenſor : non pro Fide, ſed pro anteceptis Opinionibus pugnas : non pro Eccleſia, ſed pro Ariſtotelica Schola decertas.

Cæterùm (quod tertio nos loco ſpopondimus probaturos) ſi fortè fortunâ contingat, Sacrarum Scripturarum etiam de Phyſicis, Aſtronomicis, Mathematicis Quæſtionibus Verba, & Oracula pronunciata uſque adeo clara, atque explicata eſſe, ut viâ nullâ, ratione nullâ poſſint cum recentium Naturæ Speculatorum Placitis conciliari, tunc certè jure ſuo utetur Theologus, ſi Phyſicum, ſi Aſtro-

Digitized by Google

Aſtronomum, ſi Mathematicum damnet, ac duris etiam Cenſuris inurat. Quod enim in Dei Verbo liquet eſſe veriſſimum, id quoque in Philoſophia oportet eſſe certiſſimum; putidâque fallaciâ laborabunt quæcumque veriſimiles, ingenioſæque rationes excogitentur ab Homine contra firmiſſimum hoc Fidei noſtræ Fundamentum ab Auguſtino poſitum *epiſt.* 143. *Si ratio contra Divinarum Scripturarum Authoritatem redditur, quamlibet acuta ſit, fallit veriſimilitudine; nam vera eſſe non poteſt.* Hinc Lateranenſe Concilium V. ſub Leone X. in Petrum Pomponatium, ejuſque Gregales Sententiam ferens (quòd illi ſecundùm Philoſophicam Doctrinam mortales eſſe Hominum animos dicerent, licèt ſecùndum Fidem immortales eſſe affirmarent) rationem Damnationis inviĉtiſſimam his verbis expreſſit: *Cùmque Verum Vero minimè contradicat, omnem Aſſertionem Veritati illuminatæ Fidei contrariam, omnino falſam eſſe definimus, & ut aliter dogmatizare non liceat, diſtrictiùs inhibemus* (Seſſ. VIII. apud Labbæum).

Et quidem Veritas una eſt: innumeræ ejus particulæ non pugnant invicem, non diſcordant; ſed amicè conſpirant. Fac, aliquid ſit verum Sacris in Literis: neceſſe eſt, ut id quoque ſit verum in Phyſicis. Rurſus ſit quidpiam certum in Phyſicis; dixiſſe aliter Divina Scriptura non poteſt. Cùmque id inter Utramque diſcriminis adſit, quòd Ratio Fidei, non Fides Rationi ſubjiciatur; quia huic obrepere poteſt error, illi non poteſt: cedat oportet Ratio Fidei, non Fides Rationi; uti profectò æquum eſt, ut homines Deo, non Deus hominibus cedat.

In eo itaque Sacræ Scripturæ, ac Philoſophiæ conflictu, ubi certò deprehenſus eſt Error, agat pro jure, pro poteſtate ſua Vir Theologus, & Philoſophum Dei Verbo contrarium, tanquam a prima Veritatis Regula aberrantem damnet confidentiſſimè, debitâque Cenſurâ configat. Sic ſanè Apoſtoli Mandatum implebit, 2. *ad Corinth. cap.* 10. *conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus Scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.*

Neque verò meritam Theologi Cenſuram eludet Philoſophus refractarius, ſi forte reponat: Veritates illas Phyſicas, Mathematicas, Aſtronomicas, tametſi Sacris in Literis expreſſas, ad Fidem ſpectare non poſſe; quòd naturales illæ ſint, & ad Salutem minimè neceſſariæ: atque ita licere Naturæ indagatoribus contrarium affirmare. Gerræ profectò, gerræ, eæque Siculis vaniores. Bifariam enim ad Fidem ſpectare aliquid poteſt, judice Doctore Angelico 1. *part. quæſt.* 32. *art.* 4. *uno modo directè, ſicut ea, quæ nobis ſunt principaliter divinitus tradita .... indirectè verò ad Fidem pertinent ea, ex quibus conſequitur aliquid contrarium Fidei.*

Sicut

Digitized by Google

Sicut ſi quis diceret, Samuelem non fuiſſe filium Helcanæ : ex hoc enim ſequitur, Scripturam Divinam eſſe falſam.

Nega E. G., Tiberio Cæſare imperitante Pontium Pilatum Judæam adminiſtraſſe : nega a Tito, & Veſpaſiano everſam funditus Hieroſolymam : res certè negabis ad Fidem per ſeſe non attinentes, ad Salutem prorſus inutiles, ſed ad prophanam Romanorum Hiſtoriam ſpectantes unicè ; obliquè tamen Deum negabis ſummè Veracem, qui Lucæ cap. 3. dixit : *Anno quintodecimo Imperii Tyberii Cæſaris, procurante Pontio Pilato Judæam .... factum eſt Verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium in Deſerto*. Chriſtum etiam Prophetam bonum fuiſſe negabis, miſeræ Civitati denunciantem : *Circumdabunt te inimici tui vallo .... ad terram proſternent te, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem*, Luc. cap. 19: quæ duo, Dei nempe, Chriſtique Veracitas, ſumma ſunt Chriſtianæ Fidei Capita, unde cætera pendent omnia. Violatæ itaque Fidei reus, velit nolit, habebitur quiſquis in rebus etiam naturalibus contraria Sacris Literis docuiſſe convincitur. At convinci eum volo; non temerè, imprudenterque jactari. Quod tunc tantùm fiet, cum alius Sacris Scripturæ verbis ſenſus dari non poterit, quàm qui vanis hominum Opinionibus adverſatur.

Secundùm has Criticæ Leges a nobis hactenus conſtitutas, Divinum Mundi hujus Opificium, quantùm Theologi Officium poſtulat, explicabimus. Supremi Naturæ Conditoris Opera omnia per ſex Dies a Moyſe diſtributa ſingillatim exponemus : ac ſi quid in iis explicandis Sacros Interpretes inter, rerumque naturalium Indagatores diſſidium ortum eſt; ſi quæ Divinæ Authoritatis, humanæque Rationis nata in ſpeciem diſſonantia; non in Cenſuras, ut ſæpe fit, prorumpemus; ſed amicè, quantùm fieri poterit, conciliabimus; parique omnino libertate & Philoſophos in explicanda Natura, & Theologos in exponendo Dei Verbo ſuis uti juribus permittemus.

Veniet itaque imprimis ad examen Quæſtio illa celeberrima a Theologis prima omnium agitari ſolita; quales ſex Dies illi ſint, quibus Mundum hunc univerſum a Deo conditum ſcribit Moyſes? Veri ne, propriique, & naturales; an typici tantùm, & figurati? Hos figuratos duntaxat, ac typicos ex poſitis Principiis oſtendemus; Mundumque non per intervalla temporum, & dierum, ſed pene momento a Deo conditum, Auguſtino Duce, atque Magiſtro, demonſtrabimus.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO II.

Mundum fuiſſe a Deo conditum non per Dierum naturalium intervalla; ſed brevi temporis tractu, ac pene momento, cum D. Auguſtino aſſeritur, propugnatur.

IN ea, quam aggreſſi ſumus, de Divino Mundi hujus Opificio Theologica Tractatione, ut eſt ordine prima, ſic & gravitate omnium celeberrima ſemper fuit inter Theologos Controverſia, quæ de Diebus a Deo Conditore ad Opus faciundum inſumptis agitatur: in qua verſandâ, dirimendâque noſtra, ut ſpopondimus, in præſentiâ deſudabit induſtria: num ſcilicet in primâ Mundi Creatione Molitio rerum omnium paulatim, ac per intervalla temporum, & Dierum peracta ſit; an brevi temporis tractu, ac pene momento geſta fuerit.

Fecit Controverſiæ celebritatem D. Auguſtini Sententia. Cùm enim Theologi omnes, Sacrarumque Scripturarum Interpretes Moyſis verba *Geneſis* 1. tenaciùs æmulentur; ubi tam accuratè ſex Dies, & ſingulorum ſpatia dinumerantur; & quid Operis in unoquoque molitus ſit Deus, adeo diſtinctè ſecernitur; eaque de cauſſa Mundum ſex Diebus naturalibus conditum arbitrentur; Auguſtinus ex adverſo, more Aquilæ, altiùs inſpexit, & ſublimius quidpiam excogitavit. Excelsâ illâ, ac prope Angelicâ, qua pollebat, mentis acie intelligens, ſex illos priores Dies, quibus Moyſes Mundum a Deo conditum ſcribit, ſi juxta proprium, ac nativum Verborum ſenſum accipiantur, graviſſimis difficultatibus obſideri, ſubtilem prorſus, ac ſe dignam Sententiam excogitavit: Dies videlicet illos Myſticè tantùm, ac per Metaphoram intelligendos, juxta diſtinctionem Operationum, & Operum ſecundùm naturam inter ſe diverſorum: ſic ut ipſamet Opera in lucem ex nihilo edita Dies a Moyſe vocitentur, ex Veſpera & Mane coaleſcentes; quot Opera ſecundùm naturas diſtincta, tot Dies: ſingula ſiquidem Opera in lucem educta Lux eſſe videbantur, & Dies; cum antea non eſſent, quòd non extarent.

Nonnumquam etiam, ut *lib.* 2. *de Gen. ad lit. cap.* 8. Dies illos per alteram Allegoriam intelligendos exiſtimat, juxta Cognitiones Angelorum de rebus a Deo conditis habitas: ita ſcilicet, ut primum Opus a Deo conditum, nimirum Lux primigenia, ut ab Angelo cognita eſt, ſit Dies primus; ſecundum Opus, videlicet Firma-

Digitized by Google

Firmamentum, ut ab Angelo cognitum, Dies ſecundus vocitetur; atque ita de reliquis. Diem autem quemlibet ex Veſpera, & Mane coaleſcentem idcirco a Moyſe dictum exiſtimat; quia duplex, ut norunt Theologi, de re qualibet in Angelo Notitia eſt, Veſpertina una, Matutina altera : prior, qua res extra Divinum Verbum per inditas ſibi Species naturaliter novit; ſecunda, qua res ipſas naturaliter notas in Divino etiam Verbo ſupernaturaliter videt. En Sanctiſſimi Doctoris Interpretamentum.

Cæterùm Theologos inter, quibus ſubtilis illa Auguſtini Sententia minùs arridet, magnam partem invenio, qui pro ſua in Clariſſimum Eccleſiæ Doctorem veneratione, ac reverentia ingenioſum Inventum nulla ſaltem Cenſura notent; imò etiam non ſine laude proponant. Sed inveniuntur & alii plus æquo audaces, qui Auguſtinianum illud Interpretamentum, ut abſonum, inconditum, erroneum, atque etiam hæreticum damnant, minacique ſupercilio Doctorum Aquilam ſuggillant, conviciorumque plauſtris inclementiùs onerant. Horum Chorum ducit Ludovicus Molina; qui uti circa Divinæ Gratiæ Quæſtiones altiùs ſe Auguſtino perVidiſſe gloriatur, ita in ejus de momentanea Orbis Creatione Sententiam immitem Cenſuram exercet *in Tractatu de Opere ſex dierum Diſput.* 1: quaſi hæc Sacrarum Scripturarum Authoritatem enervet, eaſque Infidelium ludibriis, & cachinnis objiciat. Sequitur Cornelius a Lapide, Cenſor & ipſe, in ſuis *ad Geneſim Commentariis*, eique eo in Capite Erroris notam inurit. Succedit Antoninus Moraines *in Anti-Janſenio Diſput.* 12. Auguſtini Sententiam a Doctoribus Catholicis communiter rejectam effutiens. Menſuram demum cumulat ex eadem Schola Franciſcus Arriaga *in* 1. *part. D. Thomæ Tom.* 2. *diſp.* 28. *Explicatio hæc*, inquit, *cenſetur communiter ab omnibus improbabilis; nec ego dubito, quin ſi Auguſtinum non haberet patronum, manifeſtè damnata fuiſſet ut hæretica*. Quaſi verò ut Hæretica? Ecqui verò Pontifices, quæ Concilia, quæ Synodi, quæ Doctorum Academiæ ita de Auguſtini Sententia judicarunt, ut inter Errores, aut Hæreſes haberi debeat? Aut quæ ipſi divinandi, quod factum fuiſſet, facultas deſuper data fuit? Quam ſibi Scientiam infuſam, quam factam ſuper hoc Revelationem oſtendit; ut ſi *patronum non haberet Auguſtinum, damnata, ut Hæretica, Opinio illa fuiſſet?*

Non ita profectò de ea Auguſtini Sententia judicavit Doctor Angelicus (cujus quidem judicio in hac ſaltem parte ſtare debent ex Lege, qui talia proferunt) *in* 2. *Sent. Diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 2. ubi poſt expoſitam utramque de Mundi Creatione Sententiam ita demum colligit : *Sed prior eſt rationabilior, magiſque ab irriſione Infidelium Scripturas defendens*. Et poſt pauca : *Hæc Opinio*

Opinio plùs mihi placet. Non ita abjectè de ea pronunciavit Albertus Magnus 2. *part. tract.* 11. *quæſt.* 46. *in ſolutione* inquiens poſt expoſitam Auguſtini Sententiam : *& hæc Sententia mihi probabilior videtur :* cujus etiam rationem ſubdit, ut ibidem legi poteſt. Non ita deſpicatè de ea cenſuit D. Bonaventura ſummum Seraphicæ Scholæ Sidus *in* 2. *Sent. diſtinct.* 13. *artic.* 1. *quantumcumque*, inquit, *hæc Poſitio probabilis eſſet, & rationabilis; Catholici tamen Tractatores, qui Auguſtinum ſecuti ſunt, viam aliam approbarunt magis*. Mitto Ægidium Romanum, Dionyſium Carthuſianum, Cajetanum, Melchiorem Cano, Dominicum Bannes, Vincentium Contenſonium, Emmanuelem Cerda, Fridericum Gavardi, & Henricum Cardinalem Noriſium, qui omnes hoc idem Auguſtini Interpretamentum aut re ipſa ſecuti ſunt, aut cum magna laudis præfatione retulerunt.

Quàm igitur infeliciter in cenſendo calculum ponant recentiores illi Theologi, Auguſtino minùs addicti, ne dicam magis infenſi, in præſentia demonſtrandum aggredior; latique in ſummum Eccleſiæ Magiſtrum judicii inconſiderantiam ita mihi ſumo aperiendam, ut neminem futurum putem, qui non intelligat, Auguſtini Sententiam de Orbe abſque Dierum naturalium intervallis condito, ſin minùs indubitatam, atque certiſſimam, at ſaltem probabilem admodum, tutam, & ab omni Cenſura remotiſſimam eſſe; uno verbo dicam, talem omnino Sententiam illam eſſe, qualem illam haberi voluit Auguſtinus. Ea quippe fuit S. Doctoris in ſentiendo modeſtia, ut ſuum illud Interpretamentum nonniſi inter probabiles Opiniones haberi voluerit; alterique explicationi nullum ſe præjudicium afferre velle proteſtatus ſit : *Quiſquis ergo*, inquit ille, *non eam, quam pro noſtro modulo indagare, vel putare potuimus, ſed aliam requirit in illorum Dierum enumeratione Sententiam, quæ non in Prophetia figuratè, ſed in hac Creaturarum conditione propriè, meliùſque poſſit intelligi, quærat, & Divinitùs adjutus inveniat. Fieri enim poteſt, ut etiam ego aliam his Divinæ Scripturæ verbis congruentiorem fortaſſis inveniam. Neque enim ita hanc confirmo, ut aliam, quæ præponenda ſit, inveniri non poſſe contendam*. Ita plane *lib.* 4. *de Geneſi ad literam cap.* 28. Quibus verbis ita ſe munitum voluit adverſus Malevolorum Cenſuras, ut illa ſola abſolutiſſimæ Apologiæ loco haberi poſſint. Sed addamus nos ex abundanti.

Et quidem quanquam ea Sententia ſatis Auguſtino ſuffragatore munita videatur, ut ne hac quidem ex parte Calumniæ pateat, quòd paucos habeat Sectatores; id tamen notabo imprimis, fuiſſe quondam olim Eruditiſſimos Viros, qui illam, antequam Auguſtinus oriretur, ſtrenuè propugnarint : unde non parum illi

Digitized by Google

authoritatis acceſſit . Philo Judæus , vir Apoſtolicis temporibus proximus, Hebræorum Plato , & magnæ etiam apud Chriſtianos authoritatis, Sententiam Auguſtino contrariam de Mundi Opificio ſex Dierum naturalium intervallo non rejecit modò, verùm etiam irriſit *lib.* 1. *Allegoriarum* , *ruſticanæ ſimplicitatis eſſe* , inquiens, *putare ſex Diebus*, *aut utique certo tempore Mundum conditum*.

Accedit ejuſdem Hebraicæ Gentis Plato alter, apud ſuos longè celebratiſſimus, qui ſecundo Chriſtiani Nominis Sæculo floruit, Eruditioniſque famam habuit non vulgarem, Rabbi Moyſes Ægyptius *lib.* 2. *Ductorii*, qui hoc ipſum ſex Dierum naturalium intervallum in Orbe condendo , uti *Divinæ Majeſtati minùs congruum* rejicit. At minùs iſta moremur, tametſi apud æquos Æſtimatores non ita flocci facienda videantur , qui norunt , quantùm ab allegorico ſenſu uſurpando Judæi Scriptores abhorreant , niſi illos graviſſimi cujuſpiam momenti neceſſitas urgeat. Præivit Auguſtino in eodem adſtruendo Dogmate Origenes *lib.*4. *cap.*2. *de Principiis*, *ſeu Periarchon*, & *lib.*6. *contra Celſum*, qui hoc idem variis Scripturarum Oraculis probandum ſibi ſumit : ut mirari plane ſubeat, Sententiam illam unius Auguſtini Nomine circumferri, quæ tales, ac tantos ante Auguſtinum Adſtipulatores habuit, ac Magiſtros : imò & poſt Auguſtinum magni Nominis , ac primi quidem Subſellii Viros præter ſuperiùs laudatos, D. Thomam, Albertum Magnum, & D. Bonaventuram : niſi fortè delatum Opinioni honorem putarint Theologi ex tanti Nominis dignitate.

Jam quid, ſi Auguſtini Momenta libremus? Nemo non ſentiet, haud temere motum fuiſſe Angelicum illud Ingenium ad hujuſmodi Sententiam alteri præferendam . Atque in primis quidem, quotquot Auguſtinum non curſim , aut defunctoriè lectitarunt, animadverterunt, eum omnia, quæ in utramque partem ſenſus Hiſtorici , & Spiritualis à poſterioribus Scriptoribus dicta ſunt , in anteceſſum occupaſſe; nihilque vaſtam illam, & Angelicam Mentem fugiſſe; diu ea de re dubitaſſe, antequam mentem ſuam, quò alii minimè vellent, flexiſſet; ingenium exercuiſſe diu, atque vexaſſe, antequam pedem figeret. Quod ſanè argumento eſt, nihil fuiſſe ab ipſo ea in parte temere definitum. Enimverò Controverſiam hanc per varios paſſim Libros eum agitaſſe video ; Capitibus vigintiquinque omnes Adverſariorum aggeres occupaſſe, comminuiſſe, ſuffodiſſe ; Difficultateſque adverſæ Sententiæ Dierum naturalium intervalla ſtatuentis pervidiſſe : quæ ad quatuor maximè Scopulos, ne facilè navigaret, impingebat. Hos hìc breviter obſervemus.

Primus Adverſæ Sententiæ Dierum intervalla in Orbe condendo propugnantis eſt Scopulus Opus quartæ Diei; de quo ita Moy-

ſes

ſes *Geneſis* 1. *Dixit autem Deus; fiant Luminaria in Firmamento Cæli, & dividant diem, ac noctem: & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos; ut luceant in Firmamento Cæli, & illuminent Terram: & factum eſt ita.* Porro, inquiebat Auguſtinus, ſi quarto duntaxat Die condita ſunt Luminaria illa, quæ dies, noctesque dividunt, quæ lucem, & tenebras partiuntur, uno verbo, quæ tempora, dies, & annos dimetiuntur, Sol nimirum, & Luna; quî fieri poteſt, ut tres, qui præceſſiſſe feruntur, Dies veri, naturales, noſtriſque ſimiles fuerint? Equidem primigeniam quamdam Lucem die prima creatam ait Moyſes: *fiat Lux; & facta eſt Lux*: bene eſt: at quo pacto ex indiſcreta, & erratica illa Luce ante Solis, & Lunæ Creationem coaleſcere Dies poſſent ejuſdem cum ſequentibus rationis, ac notæ (ſic enim illos deſcribit Moyſes) nemo hactenus feliciter demonſtravit. Imò ſi ad illam Dierum, Noctiumque diſtinctionem faciendam ſatis erat primigenia, & erratica illa Lux, fruſtra Luminaria illa Magna condidiſſet Deus, quæ id beneficii Naturæ præſtarent, quod tribus ante Diebus præſtiterat Lux erratica. Quare ſatius reputavit Auguſtinus, hæc omnia ad Allegoriam flectere.

Secundus, in quem illidit Oppoſita Sententia, Scopulus eſt præpoſtera illa numeratio partium ſex Dierum illorum: cùm enim Diei naturalis pars prima ſit Mane, poſtrema Veſpera; illi tamen ſex Dies inverſo ordine a Veſpera incipiebant, & ad Mane deſinebant: *factum eſt Veſpere, & Mane Dies unus: Veſpere, & Mane Dies ſecundus, tertius, & quartus*: atque ita de reliquis. Quis autem dicat, Dies naturales ab ea parte exordium ſumere, qua Sol occidit, ac non potiùs ab ea, qua nobis oritur; cùm Solem priùs oriri neceſſe ſit, quàm occidere? Sed & ſiquis velit, præpoſteram re ipſa non eſſe numerationem illam, Dieſque naturales re ipſa ab Veſpera exordium ducere (quod tamen neſcio, an æqua ratione dici poſſit) dicat amabò, quî fieri poſſit, ut prima dies a Veſpera cœperit? Cujus enim generis eſſet prævium illud temporis intervallum, quod Veſperam præceſſiſſet?

Tertius Contrariæ Sententiæ Scopulus erat, quòd ea Mundum condendi ratio per motus, & intervalla temporis, ac Dierum minùs Dei Dignitati conſulere videatur: Hæc etenim & a Majeſtate jubentis Dei, & ab Officio obedientis Creaturæ aliena eſt. Imperiale quippe verbum *Fiat* ſine mora proferebat Deus, ſeu potiùs Mente concipiebat; eoque prolato, ſeu Mente concepto verbo, Creatura minimè cunctabatur, quin ſtatim obtemperaret. Cujuslibet ergo Diei Opus unico momento perfectum erat, quantùm ſcilicet verbo *Fiat* concipiendo ſatis eſſet. Quid ergo fingere opus eſt, Deum, ea ſemel prolata voce *Fiat*, toto reliquo Die iner-

tem, ac deſidem quieviſſe, ut Diem alterum expectaret, quo novum Opus novo verbo conficeret? Hoc ipſum eſt, quod ruſticanæ ſimplicitatis eſſe Philo Judæus obſervaverat: maximè cùm ſola Die ſeptima Deum quieviſſe Scriptura notet. Quidni ergo hæc omnia flectamus ad Allegoriam?

Quartus Oppoſitæ Sententiæ Scopulus eſt Angelorum Creatio; cujus ſecundùm eos Authores nulla in hac rerum creatarum ſerie mentio facta eſt: cùm tamen æquum minimè videatur, tam nobilem Creaturam, & cæterarum omnium principem ſilentio prætermitti. Idcirco motus eſt Auguſtinus, ut Lucem prima Die creatam, Naturam Angelicam per Allegoriam intelligeret; eamque Lucis a Tenebris diviſionem a Deo ſubinde factam interpretaretur Bonorum Angelorum a Malis diſcretionem poſt peccatum ipſorum.

Scio, quid hac in parte reſpondeatur Auguſtino; Moyſen ſcilicet Angelorum Creationem de induſtria ſiluiſſe, ne Hebræi, in quorum gratiam ſcribebat, quique ad Idololatriam ſua ſponte proclives erant, ad Divinum cultum Creaturis illis adeo ſublimibus exhibendum moverentur. Sed & hoc ſcio, ſi quid ea Conſideratio valeret, conſequens perinde fore, ut nuſpiam toto illo Libro Angelorum mentionem ingereret Moyſes: idem enim Idololatriæ periculum ſuberat. Et tamen a *Capite 16.* ad 48. *Geneſeos* Angelorum mentionem ſæpius ingeri nemo neſcit. Quin potiùs, inquio ego, nulla meliori ratione a Divino cultu Angelis exhibendo Judæi retrahi poterant, quàm ſi palàm illis faceret Moyſes, eos æqua cæterarum Creaturarum forte a Deo ex nihilo fuiſſe conditos. Creaturæ enim ratio cum Creatoris Prærogativa confundi nequaquam poſſet vel ab ipſis, tardioris licet, hebetioriſque ingenii Judæis.

Præter eas rationes magnam vim Sententiæ ſuæ poſuit Auguſtinus in locis Scripturarum, quibus in omni tuenda Opinione magnopere moveri ſolet. Legebat imprimis ſub *initium Geneſis*, *In principio creavit Deus Cælum, & Terram*. Id porro *in principio*, ſi ad initium Temporis referendum eſt, uti Patres referunt ferme omnes, unum quaſi momentum ſignificat, quo Cæli, & Terræ Molitio confecta fuit: his verò duobus, *Cælo, & Terra*, quæcumque effecta ſunt, continentur. Legebat & illud *Geneſis* 2; ubi perfectâ jam conditi Orbis Narratione ita ſubditur: *Iſtæ ſunt Generationes Cæli & Terræ, quando creata ſunt in Die, quo fecit Dominus Deus Cælum, & Terram, & omne virgultum agri, & omnem herbam Regionis*. Ecce ſex illi Dies, quibus Mundum antea conditum expoſuerat Moyſes *cap.* 1., in unum Diem redeunt, *in Die*: & Opera per eos Dies diviſa, Cælum, Terra, herbæ ipſæ,

Digitized by Google

ipſæ, & pabula, quæ die tertio creata dixerat Moyſes, in unum coeunt : atque ita omne temporum, dierumque diſcrimen aufertur. Legebat tertiò apud *Job. cap.* 40. *Ecce Behemot, quem feci tecum*, nempe cum Homine. *Behemot* hic ſecundùm Interpretationem Patrum Diabolus eſt; qui tamen unâ ſimul cum Homine conditus dicitur. Cum itaque Diabolus ex communi Sententia prima Die conditus aſſeratur, Homo verò nonniſi ſexta, Dies confundere neceſſe eſt, ut unâ ſimul ambo creati dici poſſint. Legebat rurſus *cap.* 18. *Eccleſiaſt. Qui vivit in æternum, creavit Omnia ſimul.* Quo Teſtimonio nihil explicatius afferri poſſe exiſtimavit Augustinus ad arcenda illa intervalla dierum, ac temporum moram in Orbe condendo. Movebat demum SS. Patrem Auguſtinum perituri Mundi conditio, qui certè momento abſumendus eſt, ut inquit Apoſtolus, *in momento, in ictu oculi*, 1. *ad Cor: cap.* 15. Cur ergo non & momento condi debuit; ut ultima primis reſpondeant ; pariſque fortunæ ſit & naſcentis fabrica, & ruina cadentis?

Hæc omnia rationum, authoritatumque Momenta defunctoriè tantùm ex variis D. Auguſtini Libris, atque Capitibus delibavimus ; ut intelligant Ariſtarchi, qui allegoricam illam ſex dierum Explicationem non improbant modò, verùm etiam cùm faſtidio, ac ſupercilio Cenſuris proſcindunt, nihil ab eo fuiſſe temere ſtatutum, ac definitum. In ſubſequentibus verò eorum in Auguſtinum Molitiones demoliemur; nihilque adverſus illius Sententiam objici demonſtrabimus, quod ille non omnino præviderit, & in anteceſſum feliciter occuparit.

PRÆ-

NOTA.

Ad pag. 128. *lin.* 3., *ubi legitur* apparere, *ex Vulgata deſumptum, lege* afferri, *ut Græcus Textus habet : id enim ſibi voluiſſe videtur Author. Quod ſuo loco adnotari debuerat.*

PRÆLECTIO III.

Objectiones contra præcedentem D. Auguſtini Aſſertionem diluuntur.

DIVI Auguſtini inclementes Accuſatores ſatis opinor exagitavimus , ejuſque Sententiam , qua rerum omnium Molitionem in prima Mundi Creatione non paulatim , ac per intervalla temporum , ac dierum, ſed brevi temporis tractu , ac pene momento factam exiſtimat , a Calumnia vindicavimus . Nunc tandem expendere juvat , quid ſuus Æmulis Mercurius aſpirarit, ut Sententiam illam Erroris , atque Hæreſeos inſimularent . Multa ſiquidem illi Momenta congerunt e Sacris Literis delibata, quibus ſubtile, ut ait Angelicus , Auguſtini Excogitatum Divino verbo in Sacris Scripturis expreſſo vim maximam facere, atque ideo nedum penitus a Fidelibus rejiciendum, verùm & a religioſis auribus procul arcendum eſſe, ne paris libertatis in cæteris Moyſis narrationibus exercendæ cauſſa ſit , & occaſio , demonſtrare nituntur . Auſcultemus ergo attentis auribus , quid dignum ferant tanto promiſſores hiatu .

Capitale illud eſt, quod ex Moyſis Narratione petunt *Geneſis* 1. Is etenim , inquiunt , tam perſpicuè, tam accuratè ſex Dies diſcrevit , eorumque ſpatia dinumeravit ; quid per ſingulos dies effecerit Deus, ita minutatim expoſuit, ut Hiſtoricè prorſus , & ad literam intelligi velle videatur ; cùm alia diſtinctiora verba non modò proferri , ſed nec excogitari quidem clariora poſſint . Et certè , ſubjungunt , ſi eam ſex Dierum enumerationem ad meram figuram flectere licet , periculum eſt , ne quidquam eorum , quæ tribus hiſce Geneſeos Capitibus continentur , ſecundùm literam verum fuerit ; atque adeo tota de Molitione Orbis , de formatione Hevæ , de culpa , de pœna Hominis , tota de Paradiſo Terreſtri Hiſtoria nulla erit ; ſed cuncta Figuræ , & Allegoriæ committentur : libera demum dabitur anſa ad ſimilia Scripturæ loca eludenda , & narrationes Hiſtoricas amputandas . En quo Argumento præcipuè pugnent Auguſtini Adverſarii ; quo ariete admoto Sententiam de momentanea Orbis Molitione concutere ſibi putent .

Arietem illum expedita Reſponſione dejicere ſibi videntur Nonnulli, tria in Orbis Molitione Opera ſecernendo cum Doctore Angelico 1. *part. quæſt.* 75. *in principio* : *Opus creationis* , *Opus diſtinctionis* ,

ctionis, *Opus ornatus*. Creationis Opus prima Die, breviqne intervallo, ac pene momento peractum ajunt, & a Moyſe his verbis expreſſum *in principio creavit Deus Cælum, & Terram*: quæ verò diſtinctis diebus facta ſubinde narrantur, diſtinctionis duntaxat, atque ornatus Opera ſunt; adeo ut ea temporum, dierumque intervalla a Moyſe adnotata rerum jam prima die creatarum diſtinctionem, ornatumque dimetiantur; non creationem. Dicunt id Aliqui aliquantulum explicatiùs. Uno, eodemque temporis tractu primâ Die creata ſunt univerſa; Lux, Firmamentum, Herba virens, Arbores, Luminaria magna, Animalia volatilia, natantia, ac terreſtria; tametſi diſtinctis ſubinde diebus officia implere ſua, & operari Univerſa cœperint: eâque idcirco de cauſa diſtinctis illis Diebus a Moyſe facta dicuntur; & quidem abſque Metaphora; cum res tunc propriè fieri cenſeantur, dum earum virtus officio, atque operatione conſumatur. Ita plerique objectæ primæ Difficultati reſpondent.

Verùm cum bona venia dicam: qui ita objectæ Difficultati ſatisfaciunt, toto aberrant oſtio, & ab Auguſtini mente deflectunt. Quanquam enim Opus creationis verè ac propriè dictæ, ut eſt prima rei ex nihilo productio, ab Opere propagationis, atque ornatus diſtinguendum omnino ſit (quod ex *verſ.* 5. *cap.* 2. planè liquet, ubi virgultum agri a Deo creatum dicitur, *antequam oriretur in terra*; & herba Regionis producta dicitur, *priuſquam germinaret*; hoc eſt, antea a Deo condita ſunt, quàm ornatum & perfectionem acciperent) adhuc tamen D. Auguſtinus quodlibet Opus, ſeu propagationis, & ornatus, ſeu creationis, uno veluti momento, ſeu brevi temporis ſpatio peractum exiſtimat. Cùm enim ſex Dierum intervalla a Moyſe adnotata figuratè tantùm expônenda putet; re vera autem unum veluti momentum eſſe velit; conſequenter Opus etiam propagationis, atque ornatus, quod eo ſex Dierum intervallo perfectum narrat Moyſes, uno veluti momento peractum exiſtìmavit. Alioquin fruſtra ſex illos Dies a Moyſe notatos ad unum veluti momentum coarctaſſet Auguſtinus, nihilque diverſum ab aliis docuiſſet.

Ad hæc etiam: quanquam in multis rebus a Deo creatis diſtingui facilè poſſit Opus creationis ab Opere propagationis, atque ornatus; quatenus ſcilicet creari omnium prima potuit Materia rerum omnium, velut informis, & rudis quædam, indigeſtaque moles, antequam ſecutis inde Diebus varias a Deo Conditore formas acciperet; quî tamen fieri potuit, ut tres omnino Dies veri, proprii, ac naturales, quales contraria Sententia fingit, effluxerint, antequam Sol, & Luna, quæ quartâ Die creata dicuntur, officia ſua implere cœperint; cùm ſit illud primum illorum Lumina-

minarium officium, dies, noctesque dividere, tenebras, lucemque partiri ?

Quapropter ea Reſponſione veluti futili, & ab Auguſtini ſenſu aliena, penitus exſufflata, objectam Difficultatem alia via diluendam aggredior : hoc videlicet pacto. Aliud longè eſt Dierum verorum, ac naturalium diſtinctionem, & intervalla in Orbe condendo diffiteri; aliud ipſam rerum productionem inficiari. Primum fecit Auguſtinus, non alterum. Neque neceſſe eſt, Auguſtinum totam rerum Creationem allegoricè, ac per figuram intellexiſſe, propterea quòd notata a Moyſe ſex Dierum intervalla ſecundùm figuram acceperit. Solemne quippe eſt Scripturæ Sacræ veris interdum Hiſtoriis, & ſecundùm literalem ſenſum enarratis nonnulla inſerere, quę nonniſi per Figuram accipi poſſunt. Sic E. G. Narratio de Lazaro mendico, & divite Epulone, *Lucæ 16.* judicio SS. Patrum Hiſtorica eſt, extititque reipſa in vivis aliquis mendicus nomine Lazarus, qui de micis de divitis menſa cadentibus ſaturari cuperet; attamen nonniſi ſecundùm Figuram accipi poteſt, quod eadem in Hiſtoria legitur, divitem Epulonem in Inferno tandem ſepultum Patrem Abraham compellaſſe, ut Lazarum e ſinu ſuo mitteret, qui intincto in aqua digito linguæ ejus ardorem reſtingueret. Non abſimiliter Hiſtorica plane Narratio eſt de Rege Achab 3. *Reg. cap.* 22., fuitque re ipſa Achab Regum Iſrael unus, omnium perditiſſimus, Pater Ochoziæ. Non id tamen obeſt, quin ejus Hiſtoriæ aliquid inſertum legatur, quod nonniſi ſecundùm Figuram accipi poteſt : quale eſt Concilium illud a Deo in Cœlis habitum cum Angelis ſuis, ubi Diabolus comparuerit, expoſueritque, quid demum facturus eſſet, ut deciperet Achab. Quid de Jobi Hiſtoria dicam, cui, tametſi longè veriſſimæ, multa tamen leguntur inſerta, quæ nonniſi ad Figuras, & Allegorias trahi poſſunt? Quid itaque vetat, Auguſtinum Moyſis de Orbe condendo Narrationem ſenſu proprio, ac literali intellexiſſe, quantùm ſpectat ad res creatas, quanquam eam ſex Dierum intercapedinem in Orbe condendo ſecundùm Figuram acceperit ? Ac re ipſa quidem Auguſtinum ab inſulſa Calumnia vindicant Libri ejus de Geneſi ad Literam contra Manichæos; ubi totam Moyſis Narrationem, ſi unam ſex Dierum diſtinctionem excipias, Hiſtoricè accipit, & accipiendam eſſe docet.

Dices fortè : quamvis Sacris in Literis exponendis Myſticus aliquis ſenſus, ac Figuratus excogitari poſſit, ſenſus tamen Literalis negari nunquam debet; cum ille ſit potiſſimùm intentus a Spiritu Sancto : itaque tametſi potuerit D. Auguſtinus ad Myſticos ſenſus inflectere Dies illos ſex a Moyſe notatos, adhuc tamen Literæ veritatem ſartam, tectamque ſervare ſemper debuiſſet ; atque

que ita ſex naturales Dies agnoſcere a Deo inſumptos in Orbe condendo.

Pura, putaque hallucinatio illa eſt, ex eo profecta, quòd non ſatis intelligant Aliqui, non unum eſſe Literalem ſenſum in quocumque Scripturæ Sacræ contextu, qui neceſſariò ſervari debeat; ſed geminum pro diverſitate ſententiarum, atque contextuum. Senſus enim Literalis quandoque Proprius eſt, quandoque Metaphoricus; quia Locutio ipſa quandoque Propria eſt, quandoque Metaphorica. Exempli gratia in hoc pervulgato Scripturæ loco *Vicit Leo de tribu Juda* .... & in iſto *Orietur Stella ex Jacob : & conſurget Virga de Iſrael*, ſenſus profectò Literalis eſt, in Litera nimirum expreſſus; non ille tamen Naturalis, ſed Metaphoricus; quo Chriſtus ipſe ſignificatur Nominibus illis metaphoricis *Leonis*, *Stellæ*, *& Virgæ*. Unde qui ea Scripturæ verba de Chriſto expoſuerit, ſenſum Literalem ſervabit maximè; non proprium quidem, ſed metaphoricum. Sic igitur D. Auguſtinus Literalem Geneſis ſenſum non negavit, dum Mundum brevi temporis intervallo conditum docuit; quia ſex illos Dies a Moyſe notatos etiam agnovit; metaphoricè tamen expreſſos, non propriè; ſex ſcilicet Cognitiones Angelicas, aut certè ſex rerum a Deo conditarum Naturas diſtinctas.

Vim ſubinde maximam repetunt D. Auguſtini Oppugnatores ex Præcepto de Sabbathi obſervantia Judæis a Moyſe dato *Exod.* 20. *&* 31. Obſervandi quippe Sabbathi rationem petit Moyſes ex numero Dierum, in quos primam illam Hebdomadam Deus operando diſtinxit; ut ſicut ille ſex Dies operando conſumpſit, ita Hebræi totidem operando ducerent; ac uti ultimo quievit ille, ita & ii ſeptimo vacarent : *Memento*, inquit, *ut diem Sabbathi ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbathum Domini Dei tui eſt : non facies omne opus in eo .... Sex enim Diebus fecit Dominus Cœlum, & Terram, & Mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requievit in Die Septimo*. Quæ ratio nullius, inquiunt iſti, ad inſtitutum ponderis videretur, ſi poſthabito dierum diſcrimine, uno veluti momento totum Mundi Opificium Deus Optimus Maximus abſolviſſet.

Sed & hoc ipſum inficior ego. Stare Præceptum de colendo Sabbatho, & rationem Præcepti a Moyſe aſſignatam contendo cum Auguſtini Sententia. Cùm enim Moyſes *Geneſis* 1. Operationes Dei Creantis per rerum creatarum Naturas diſtinxerit, eaſque Naturas creatas Dierum nomine per Metaphoram appellaverit, eamdem loquendi rationem uſurpavit Sabbathi Præceptum indicens; illoſque dierum Typos, de quibus in Geneſi dixerat, Dies etiam pari Tropo, atque Figura in Exodo nuncupavit. Nequè verò neceſſe eſt, Deum ſex Diebus naturalibus Opus feciſſe ſuum, quia ſex Diebus

T natu-

naturalibus facimus noſtrum: aliter quippe Deus, aliter Homines operantur; cùm apud Deum non fluant Tempora, quæ apud Homines fluunt. Eodem itaque loquendi modo utitur Legislator in Exodo, quo in Geneſi. Imò, ſi licet proferre, quod ſentio, in Geneſi loquens, cùm Dies illos, & Opera dividebat, de hac ipſa Sabbathi Lege cogitabat, primamque illam Hebdomadam Operum in figuras, typoſque Dierum iſtorum, quibus Judæi operaturi erant, ſcribendo formabat; ut Hebræos ad Sabbathi Legem eo veluti Typo manuduceret. Totum id compendio dicamus: ſex diebus facimus opus, ſeptimo quieſcimus; quia ſex Opera fecit Deus Dierum nomine per Metaphoram nuncupata, ac ſubinde quievit: ſicque non propria, ſed allegorica duntaxat Divini Præcepti ratio a Moyſe data eſt.

Ne cui verò ſubleſta nimis ea Reſponſio videatur; neve putet, ſex illos Dies, quibus Deus Opus ſuum feciſſe dicitur *Geneſis* 1. ſecundùm Literæ proprietatem neceſſariò intelligendos eſſe, non ſecundùm Figuram; quia in exemplum, & probationem afferuntur a Moyſe Dies illi, ut evincat, ſex Diebus, utique veris, & naturalibus, operari nos poſſe; *ſeptimo* verò quieſcere; id unum ad Scrupulum eximendum obſervare operæ pretium eſt, Sacris Scripturis familiare eſſe, ut Divina interdum Oracula figurato duntaxat, & allegorico ſenſu accepta, in earum tamen Veritatum confirmationem proferantur, quæ vero, proprioque ſenſu ſumendæ ſunt. Sic Apoſtolus *ad Hebræos cap.* 1. ex figurato, & allegorico ſenſu *Libri ſecundi Regum cap.* 7. *ipſe erit mihi in Filium*, veram Chriſti Domini ex Æterno Patre Generationem oſtendit, ejuſdemque ſuprà omnes Angelos prælationem. Sic 1. *ad Corinth. cap.* 9., ex allegorico alterius Effati ſenſu *Non alligabis os bovi trituranti*, *Deuteron.* 25. evincit idem Apoſtolus, negandam non eſſe Sacris Eccleſiæ Miniſtris alimoniam. Sic Joannes Evangeliſta *cap.* 19. probat, Chriſti in Cruce penduli Oſſa confringi non debuiſſe, quia de Agno Paſchali, qui Chriſti D. Typus erat, ſcriptum habetur *Exod.* 12. *Os non comminuetis ex eo*. Quid ergo vetat, Moyſen pari omnino loquendi formula uſum, & figurato duntaxat dierum numero, quibus Deus Opus ſuum feciſſe dicitur *Geneſ.* 1. probationem petiiſſe, ut juſtam Sabbathi Legem oſtenderet; hoc eſt, ut probaret, debere nos ſex Diebus naturalibus laborare, & quieſcere Die ſeptima, quia Deus ſex Diebus figuratis laboravit, & ſeptima quievit?

Expeditis Momentis ab Authoritate petitis, reliquum eſt, ut etiam Momenta a ratione deducta diluamus, quibus hoc idem Auguſtini Syſtema tanquam abſurdum, & a recta ratione penitus alienum impetere moliuntur importuni Cenſores.

Sic

Sic porro illi in D. Auguſtinum argumentantur : Quis credat, uno eodemque momento peracta eſſe quæcumque de Mundi Creatione *primo*, & *ſecundo Capite Geneſeos* enarrantur ? Quis uno, eodemque inſtanti temporis Lucem creatam ſibi fingat, & diviſam a tenebris ? Terram aquis coopertam, & diſcretam ab aquis? Terram inanem, & vacuam, ſimulque arboribus, plantis, ac floribus conſitam, & animalium mira varietate ornatam ? Hominem extra Paradiſum conditum, & in Paradiſum admiſſum? Eundem tandem ſopore correptum, Mulieremque ex dormientis Latere formatam ? Ea quippe momento fieri, ac ſine temporis intervallo non poſſunt.

Bene profectò; repono ego; non poſſunt planè : at nondum Auguſtini mentem intelligunt, qui hæc in eum tela ferunt : imponunt imò, quod nunquam illi venit in mentem. Dum etenim Mundum univerſum ſimul conditum ait, inſtanti, ac momento phyſico factum propterea non aſſerit, neque vocabulum *ſimul*, quod ille ſæpius uſurpat, pro momento phyſico neceſſe eſt poni ; ſed pro morula congruente rebus, quæ fiunt brevi temporis intervallo, atque compendio : quapropter brevem temporis moram interdum appellat ; ac ſæpius etiam Diem, Moyſen imitatus *Geneſis* 2. : *in Die, quo fecit Dominus Cælum, & Terram, & omne virgultum agri.*

Sequitur Alterum, quod objiciunt ; incredibile ſcilicet eſſe, Moyſen Opificium Mundi rudi, & agreſti Judæorum Populo deſcribentem, ſex illos Dies ſecernere voluiſſe per Cognitiones Angelorum Matutinas, & Veſpertinas, quæ ne ipſis quidem ſubtilioribus Theologis plenè, ac liquidò perſpectæ ſunt, & exploratæ.

Riſum vix cohibeo, dum hæc audio. Equidem imprudentis animi vitium incurriſſet Moyſes, ſi in ipſo Literæ cortice, quem rudi Popolo exhibebat, Cognitiones illas Angelicas enarraſſet Hebræis penitus impervias : at contra potiùs Prudentiæ laudem meruit, dum eas Angelicæ Mentis Ideas Symbolis Dierum naturalium, ac Typis veſtivit, ut ipſe a rudi Populo utcumque poſſet intelligi. Ea quippe eſt Figuratæ locutionis conditio, ut ſenſum reconditum, ac ſublimem Symbolo plano, ac ſimplici tegat ; ut hoc pacto a Rudioribus pro modulo capiatur ; utque *videntes non videant*, & *audientes non intelligant*, quemadmodum loquitur Chriſtus in Evangelio, *Lucæ* 10. Quare fruſtra ingenium torquent, qui Auguſtino eo in Capite litem movere pertentant.

Quanquam tamen non ſemper ad eas Cognitiones Angelicas confugit ille ; nec ad eas confugere neceſſe eſt, ut Dies illi ſex Myſticè, & ſecundùm Allegoriam exponantur.

Verùm urget illorum Unus, qui ſibi videtur cæteris omnibus

Digitized by Google

ſubtiliùs diſputare : unde habuit D. Auguſtinus, Angelos ſex tantùm de rebus a Deo conditis Cognitiones habuiſſe, ut ſex Dies a Moyſe notatos, ſeu ſex rerum Naturas a Deo conditas totidem Cognitiones Angelicas interpretaretur? Inſtat porro: quinam ex Angelis ſex illas Cognitiones habuere de rebus a Deo conditis? Si Superiores; plures igitur in inferioribus Angelis Cognitiones enumerandæ veniunt : ſi Inferiores ſex illas de rebus a Deo conditis Cognitiones habuere, pauciores in ſuperioribus Angelis Cognitiones ponendæ ſunt; cùm ſuperiores Angeli paucioribus conceptibus egeant, ut ea pervideant, quæ nonniſi magnâ actuum acceſſione cæteri vident. Cur verò potius Dies illos numerare liceat juxtà Cognitiones ſuperiorum Angelorum, quàm inferiorum; aut inferiorum potiùs, quàm ſuperiorum?

Sic ille ariolatur, & ludit, Auguſtini Syſtema minùs intelligens Sodalibus ſuis. Non enim idcirco putat SS. Doctor, ſex illos a Moyſe poſitos Dies Myſticè intelligendos eſſe juxta Cognitiones Angelicas, quaſi pro numero Cognitionum numerentur & Dies; ſed quòd Opera ipſa a Deo diſtinctè condita pro diſtinctione Naturarum, & ab Angelis ipſis cognita, Dies veluti totidem nuncupentur Allegoricè : ſeu, ut Theologi de Schola loquuntur, Dies & actus Cognitionis Angelicæ diſtinctos voluit Auguſtinus non ex parte Angelorum cognoſcentium, ſed ex parte rerum cognitarum *ut ait D. Th. 1. part. quæſt. 74. art. 2.* De quibuſvis igitur Angelis ſermo fiat, ſex tantùm, habita ratione Operum editorum, & cognitorum, Cognitiones extitere; etſi plures, paucioreſve pro variis Angelorum Ordinibus Cognitiones extiterint.

Nulli igitur Calumniæ patet ea D. Auguſtini Sententia de Mundo abſque ſex Dierum naturalium intervallis a Deo condito, ſi res penitius perpendatur, & vulgaria præjudicia ſeponantur; quibus Nonnulli minùs cauti, minùſque in Auguſtini, cæterorumque Patrum Lectione verſati iter agere ſolent non quò eundum eſt, ſed quò itur. Falſitatis ſiquidem revincuntur tot illæ Criminationes, ac Strophæ, quibus S. Doctorem, ex præcipuis Eccleſiæ Patribus, atque Magiſtris fortaſſis Primum, ob ingenioſum illud Inventum onerarunt, cenſurâ ipſi digniores, Ariſtarchi; quibus ſanè conſultius fuiſſet, magnum Viri tanti Nomen, atque Doctrinam venerari, & amplecti, Dictumque illud Voluſiani alta mente defigere : *In cæteris quibuſcumque Doctoribus aliqualis toleratur inſcitia; aſt ubi ad Auguſtinum ventum eſt, Legi Dei deeſt, quod Auguſtinum contigerit ignorare.*

Erit fortaſſe, qui dicat, D. Auguſtinum huic Sententiæ non hæſiſſe firmiter, propptereà quòd ille *libro de catechizandis Rudibus*

dibus cap. 17. diſertis verbis affirmet, Deum ſex Diebus Mundum condidiſſe, tametſi illum momento creare potuerit. Verùm noverit quiſquis id objecerit, D. Auguſtinum Librum *de catechizandis Rudibus*, (ubi Mundum non momento, aut brevi temporis ſpatio, ſed Diebus omnino ſex conditum ait) edidiſſe non poſt, ſed diu ante Libros duodecim *de Geneſi ad Literam*, Libroſque *de Civitate Dei*; ubi tam prolixè, tam fusè Mundum momento, ſeu brevi temporis ſpatio conditum docet. Quare non Sententiam de momentanea Orbis Molitione revocaſſe cenſendus eſt Auguſtinus; ſed vice verſa Opinionem de Creatione per intervalla temporum, ac dierum factâ, quam laudato Libro *de catechizandis Rudibus* obiter duntaxat innuerat, maturiori tandem facto examine, revocaſſe. Sed de his ſatis: in ſequentibus, opitulante Deo, de Tempore, ſeu Tempeſtate, qua Mundus conditus eſt, diſſeremus.

Digitized by Google

PRÆLECTIO IV.

Non Verno, ſed Autumnali Tempore initium habuiſſe Mundum, probatur.

EA nunc abſolutâ, cumulatèque tractatâ celeberrimâ Controverſiâ de Diebus, quos Deus in Orbe condendo dicitur inſumpſiſſe, conſequens omnino eſt, ut in altera movenda Quæſtione animum imtendamus, quam ſecundo loco pertractare Theologi, Sacrarumque Scripturarum Interpretes ſolent; quamque nos paucis expediemus; quanam videlicet Anni Tempeſtate cœperit Orbis; ſeu quo primùm anni Menſe Orbis univerſus volvi cœperit. Torſit hæcdiu, multùmque Theologorum ingenia; a quibus necdum eliquata, ac planè definita res eſt. Quanquam enim in id conſentiant Univerſi, conditi Orbis initium in Æquinoctio fuiſſe, quòd nempe æqua primùm lucis, ac tenebrarum partitio; æqua noctium, dierumque diviſio Sacris in Literis adnotetur; quia tamen duplex in anno Æquinoctium occurrit, Vernum unum, Autumnale alterum; illud Menſe Martio, iſtud Septembri; Lis inde non modica exoritur, num Vere primo, an potiùs Autumno cœperit Orbis.

Erunt fortaſſe, qui dicant, Quæſtionem illam perperam, ac ſutiliter agitari; qua nimirum Anni Tempeſtate Mundus eſſe cœperit, cùm nulla Anni Tempeſtas præfigi poſſit, quæ eadem tota ſimul in Orbe regnet. Dum etenim in Regionibus cis Æquatorem poſitis regnat Autumnus, cæteris trans Æquatorem conſtitutis Ver eſt; & è contrario; ſic ut univerſim diſputari non poſſit, qua Anni Tempeſtate totus Mundus incœperit: nunquam enim una, eademque ubique terrarum Tempeſtas eſt. Sed noverint quicumque id dixerint, Quæſtionem a nobis agitari ex Sacrarum Scripturarum Oraculis; ſic enim ſolemus Theologi diſputare: atque idcirco earum duntaxat Regionum comparatione diſputamus, quæ cis Æquatorem conſtituuntur; comparatione, inquam, Habitationis Adami, & Palæſtinæ, quarum præcipua ratio in Scripturis eſt habita, tum quòd potior pars Orbis habitabilis cis Æquatorem eſſet futura; tum quòd illos Terræ tractus habitaturus eſſet electus Dei Populus, ibique Redemptionis Humanæ Myſteria peragenda eſſent, atque complenda.

Propoſitæ itaque Quæſtionis ſenſu ita expoſito, de ea ſic ego pro-

Digitized by Google

pronuncio: cœpit Orbis Autumnali Æquinoctio in Menſem Septembrem incidente, non Verno, quod in Menſem Martium incidit; atque ita primus Anni Naturalis Menſis non alius ſtatuendus eſt, quàm September.

Demonſtrationis imprimis loco haberi poteſt, quod ubique paſſim in Exodo obſervamus; Judæos nimirum jam ante tempora Moyſis, imperturbata Sæculorum omnium ſerie, Anni Naturalis, & Civilis initia petiiſſe a Menſe *Tirſi*, qui Septembri noſtro reſpondet, dum Meſſis triticea in horrea condebatur. Sic *cap.* 34. *Solemnitatem Hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum meſſis tuæ triticeæ, & Solemnitatem, quando redeunte Anni tempore cuncta conduntur*. Certè ſi Menſe Septembri, quo cuncta conduntur in horrea, novus redibat Annus; initium igitur Anni September erat; inde enim Annus redire dicitur, unde capit initium.

Hinc etiam Æſtatis exitus finis Anni vocabatur. Sic *cap.* 23. *Solemnitatem quoque celebrabitis in exitu Anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro*. Porro ſi Æſtatis exitus finis Anni eſt; initium Autumni, qui Æſtatem proximè ſequitur, Anni principium erit. Id certè vel Talpæ videant.

Vultis aliquid longè gravius? Dum Solemnitatem Paſchatis inſtituit Moyſes, jubente Domino, novum Sacri Anni principium inſtituit, a Naturali, & Civili, quod antea in uſu fuerat, longè diverſum: utque eam Anni immutationem induceret, ſingulari Dei Præcepto fuit opus, quo primum Sacri Anni Menſem juſſit eſſe Menſem *Niſan*, Martio noſtro reſpondentem; quo Paſcha celebrandum eſſet in memoriam Exitus de Ægypto. Explicatiſſimus eſt Scripturæ locus *Exodi* 12. *Dixit Dominus ad Moyſen, & Aaron in terra Ægypti: Menſis iſte, vobis principium menſium: primus erit in menſibus Anni*; videlicet Sacri. Jam, inquio, ſi Menſis ille *Niſan*, qui Martio noſtro reſpondet, ac Verno Æquinoctio, primus Naturalis Anni Menſis extitiſſet antea, quemadmodum putant quotquot Mundum Vere conditum dicunt, nulla fuiſſet a Moyſe in Menſibus Anni inducta mutatio; nulloque Dei Præcepto fuiſſet opus, ut eam apud Hebræos Menſium mutationem induceret; nullaque inter Naturalem, & Sacrum diſcretio fuiſſet.

Id obſervavit vir totius Hebraicæ Gentis longè doctiſſimus Flavius Joſephus *lib.* 1. *Antiq. Judaic. cap.* 4. *Moyſes autem*, inquit ille, *Niſan, qui eſt Xanticbus, Menſem primum in ſuis Faſtis ordinavit, quòd per hunc Hebræos ex Ægypto eduxiſſet: eundem etiam omnium, quæ ad rem Divinam pertinerent, exordium fecit: alioqui quod ad nundinationes rerum venalium, reliquamque diſpenſationem Anni attinet, nihil de priſtino ritu innovavit*. Initium igitur

Digitized by Google

igitur Anni Sacri a Menſe Martio repetebant Hebræi; ſed Anni Naturalis, & Civilis exordium a Septembri auſpicabantur.

Quid ad hæc adverſæ Sententiæ Defenſores? Audio qui dicunt, Judæos quidem Anni Naturalis, & Civilis exordium a Menſe Septembri petere ſolitos fuiſſe jam ante Moyſis tempora; non tamen diu antea, atque a Mundi exordio; ſed ab eo duntaxat tempore, quo in Ægypto commorari cœperant: tunc enim, inquiunt, Ægyptiorum morem ſecuti a Menſe Septembri Annum auſpicabantur. Verùm hoc ipſis Effugium præcludit Scripturæ Sacræ Authoritas, quæ Judæos diu, antequam deſcenderent in Ægyptum, a Menſe Septembri Annum auſpicari ſolitos fuiſſe perſpicuè declarat. Enim verò Diluvium annis ſexcentis quadraginta duobus accidiſſe, antequam Jacob cum Filiis in Ægyptum deſcenderet, nota res eſt: tot ſiquidem fluunt ab Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto, quo Diluvium accidit, ad Annum bis milleſimum ducenteſimum nonageſimum octavum, quo deſcenſus ille Jacobi, totiuſque familiæ in Scripturis adnotatur. Porro Diluvii tempore, quo nulla adhuc in Mundo erat diſtinctio Populorum, Annum a Menſe Septembri auſpicari ſolitos fuiſſe Mortales omnes ex *lib. Geneſis* facilè colligimus: ſiquidem *cap.* 7. ita legimus de initio Diluvii: *Menſe ſecundo, ſeptimo decimo die Menſis, rupti ſunt omnes fontes Abyſſi magnæ, & cataractæ Cæli apertæ ſunt*: certiſſimum autem eſt apud omnes, Diluvium priori, ac difficiliori ſui parte hibernum tempus occupaſſe, pluviis, & inundationibus aptum: liquet igitur, Menſem illum ſecundum Anni, quo cœpit illa aquarum exundatio, ab Æquinoctio Autumnali, ſeu Menſe Septembri numeratum eſſe, minimè verò ab Æquinoctio Verno, ſeu Menſe Martio; aliàs initium illud hiemis, ac Diluvii in ſecundum Anni Menſem nullatenus incidiſſet.

Idem evincimus ex ramo virentis Olivæ, quem Columba ex Arca emiſſa attulit *decimo Menſe anni*, ut *Geneſis cap.* 8. diſtinctè notatur. Nam ſi ponamus, Homines ab Æquinoctio Autumnali Anni exordium petiiſſe, omnia rectè quadrant: ſic enim incidit Menſis ille undecimus in Julium noſtrum, quo ſolent Olivæ vireſcere: cùm contra, ſi Annum ab Æquinoctio Verno, ſeu Menſe Martio Homines computaſſent, incideret Menſis undecimus in Januarium, quo certe Olivæ minimè vireſcunt. Perſpectum igitur eſt ex tota Diluvii Hiſtoria, Homines jam tunc Anni Naturalis, & Civilis exordium a Menſe Septembri petiiſſe; atque ita Mundum tunc primum exordium habuiſſe; quod mihi ſumpſeram demonſtrandum.

Plura adderem, ſi foret opus, ut non modò Hebræos, verùm etiam exteras Gentes omnium antiquiſſimas ab ipſis Imperiorum ſuorum incunabulis Annorum initia a Menſe Septembri, & ab Autum-

Digitized by Google

Autumnali Æquinoctio petiiſſe demonſtrarem. Hoc ipſum de Ægyptiis teſtatur Cicero *lib. 2. de Natura Deorum*; & Lactantius *lib. 1. Inſtitutionum cap. 4.* (citati apud Nat. Alexand.) & D. Hieronymus *in Comment. ad cap. 1. Ezechiel.* Adeo verum eſt, in eam Sententiam Nationes primitùs conſpiraſſe, ut Mundum ea Anni Tempeſtate, non Verno Æquinoctio exordium habuiſſe arbitrarentur.

Reliquum modò eſt, ut adverſæ Sententiæ Patronos ad audientiam admittamus, ſatis pro debito noſtro eorum Momentis facturi. Ut enim illi numero multi, & plerique Clari utique Nominis ſunt, atque Eruditione Conſpicui; ita & Argumenta plura, eaque minimè contemnenda proferunt. Imò quod Sacris in Literis de Iſmaele dictum eſt olim *manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum, Geneſis 16.* id de me certiſſimè dictum iri in præſentia non dubito, dum manus meas in explodendis Adverſæ partis Momentis admoveo. Qua in re illud maximè doleo, quòd cæterarum Diſciplinarum Profeſſores ſuſtineam Adverſarios; quibus ea longè magis arridet Opinio, quæ conditi Orbis initium, Annique Naturalis exordium petit a Vere primo. Sic ſanè ſtatuunt Humaniorum Literarum Cultores, quibus Muſæ in deliciis eſſe ſolent: illudque Virgilii in Sententiæ ſuæ præſidium imprimis occentant *lib. 2. Georgicorum*:

Non alios prima creſcentis origine Mundi
Illuxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem,
Crediderim: Ver illud erat: Ver magnus agebat
Orbis: & hibernis parcebant flatibus Euri:
Cum primùm lucem pecudes hauſere, virumque
Ferrea progenies duris caput extulit arvis:
Immiſſæque feræ ſilvis, & Sidera Cælo.

At nos Muſas colimus ſeveriores, Poetiſque valere juſſis, Scripturarum Sacrarum Oracula veneramur; proindeque Parnaſſi Fabulis anteponimus. Quanquam tamen nil dubitaverim affirmare, Virgilium *Veris* nomine non eam ſingulariter Anni Tempeſtatem intellexiſſe, quam nos inter Hiemem, & Æſtatem definimus; ſed perennem amœnæ, & ſuavis auræ temperiem; nec peculiarem aliquam Anni partem, qua primùm cœperit Orbis, iis Verſibus adnotaſſe, ſed totum illud promiſcuè Tempus, quod Aureæ Saturni Ætati Poetæ tribuunt. Ver etenim aliquod peculiare Hiemi ſuccedens tota illa Ætate neſciunt Viri de Fabula, ſed Ver aſſiduum, & æternum appellare ſolent, ob perennem ſcilicet Tellu-

ris amœnitatem, aeriſque temperiem. Hinc Ovidius ex illa Fabulatorum gente

> *Ver erat æternum; placidique tepentibus auris*
> *Mulcebant Zephyri natos ſine ſemine flores.*
> *Mox etiam fruges Tellus inarata ferebat:*
> *Nec renovatus ager gravidis carebat ariſtis.*

Humaniorum Literarum Cultoribus ſubſcribunt Aſtronomiæ Profeſſores, quibus Sententia Creationis Mundi Vere primo uſque adeo arridet, ut eam ob cauſſam Signum Arietis, (quod Vere primo, ac Menſe Martio regnat) initium eſſe, & caput cæterorum Zodiaci Signorum ſumma conſenſione definiant; atque idcirco Anni Naturalis exordium ex ea Tempeſtate repetendum exiſtimant.

Hic tamen, antequam progrediamur (ne cui fortaſſis Quæſtio hæc fruſtra agitari videatur, cùm nulla Anni Tempeſtas præfigi poſſit, quæ eadem tota ſimul in Orbe regnet, aliis cis, trans aliis Æquatorem Regionibus poſitis) recolere juvat quod ſuperiùs dixi, me, dum ex Scripturarum Oraculis Controverſiæ hujus reſolutionem deſumo, earum duntaxat Regionum comparatione loqui, quæ cis Æquatorem ſunt conſtitutæ; comparatione nimirum Habitationis Adami, ſeu Palæſtinæ; quarum potiſſima ratio Sacris in Literis eſt habenda.

Hoc itaque conſtituto Principio; quod, ut locus Controverſiæ detur, neceſſarium omnino eſt, de facili Aſtronomis reponere poſſem ego, unde illi habeant, Arietis Signum Anni principium indicare? Si dixerint, id eos conſtituere, quòd in Æquatore hæreat, qui in media Orbis parte ſitus eſt æquali inter utrumque Polum diſtantiâ, hoc ipſum & ego de Signo Libræ illis objicio, quod Menſis Septembris Signum eſt, alterumque Æquinoctium deſignat; nulla etenim potiori ratione primo, quàm ſecundo aſſignari poteſt initium Anni. Quod itaque ab Aſtronomorum arbitrio pendet (nulla ſiquidem ratio alia proferri poteſt) me nihil movet, ut ſuperiùs adducta pro mea Sententia Argumenta repellam, & ab Opinione recedam.

Idem cum Aſtronomis ſtatuunt de conditi Orbis initio Simplicium Speculatores, & Monſtratores. Ii ſiquidem Ver primum Naturæ primitias, ac velut incunabula vocitare ſolent; Vere etenim Prata rident, Olera & Herbæ vireſcunt, Flores erumpunt, Arbores frondes emittunt, & gemmas agunt. Et certè Die ipſo tertio conditi Orbis *Protulit Terra herbam virentem, & facientem ſemen juxta genus ſuum*, inquit Moyſes *Geneſis* 1. Ineunte itaque Vere cœpiſſe videtur Orbis; tunc enim Herbæ vireſcunt.

At

At nedum Herbas virentes, & frondentes Arbores Scriptura nobis indigitat primo ipſo conditi Orbis initio; verùm etiam maturos Arborum Fructus: *Protulit Terra*, inquit Moyſes, *herbam virentem, & facientem ſemen juxta genus ſuum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque ſementem ſecundum ſpeciem ſuam*. Et rurſus *cap. 2. Produxitque Dominus Deus de Humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave*. Tum ſubinde *cap. 3.* narratur, Mulierem Serpenti tentatori reſpondiſſe: *de fructu lignorum, quæ ſunt in Paradiſo, veſcimur*: ac poſt pauca: *vidit igitur Mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile; & tulit de fructu illius, & comedit*. Hæc porro Fructuum maturitas Verno tempori minùs congruit, quàm Autumno, quo ſimul & Herbæ vireſcunt, & Arbores fructus emittunt. Tametſi, ut fatear ipſe, quod ſentio, minùs hæc omnia pro alterutra parte laudari poſſunt, ut ex ea Terræ virentis, aut maturorum Fructuum obſervatione Mundus aut Vere, aut Autumno conditus aſſeratur: cùm Regiones temperatæ etiamnum inveniantur, ubi Terra qualibet Anni Tempeſtate vireſcit, Arboreſque toto anno floreſcunt, fructuſque, alios quidem incipientes, alios matureſcentes, alios maturos proferunt: quod & huic Regioni accidiſſe veriſimile eſt, ubi Protoparentes conditi fuere.

Quibus etiam addiderim, non eſſe ex primæ illius Creationis adjunctis, & circumſtantiis deſumendum Argumentum, quo Vere primo productam Univerſitatem rerum probemus. Ut enim mirabilis fuit illa productio, ita inferre utique poſſumus, mirabiles quoque extitiſſe indigitatos effectus, idipſum Divina Providentia curante; ut nimirum & Brutis animantibus pabulum, & Homini cibus præſto eſſent ex una, & florum ex alia parte ſuavitas, gemmarumque amœnitas ad recreandum nequaquam deficerent.

Jam Medicos ſi conſulamus, vereor, ne & illos minùs Sententiæ noſtræ propitios inveniamus. Ii quippe Humanæ Vitæ initium, atque adeo totius Anni exordium primo Vere conſtituunt. Vere ſiquidem dominatur Sanguis, humidus, & calidus Humor, inquit Galenus *lib. de Natura Humana textu 36*. Quo-circa Hippocrates Diem toti Anno proportione quadam reſpondere cenſet, ſic ut Matutino tempori Ver ſimile ſit, Meridiei Æſtas, Veſperæ Autumnus, Nocti Hiems, ut refert, notatque Galenus *in 6. Epidemiorum Hyppocratis n. 15*. Ab Vere ergo, non ab Autumno Natura ſecundùm Medicos exordium accipit, eâque Anni Tempeſtate veluti renaſcitur.

Quibus tamen repono, Galeni Effatum minùs aptum cenſeri debere, ut inde adverſus Sententiam a nobis poſitam extundi aliquid

 poſſit.

poſſit. Quòd enim alterationes quædam, e quibus prædominium illud Sanguinis, Humorumque emergit, in Animalium corporibus, (imò & in ipſis Vegetabilibus) Vere primo fiant, hoc procedit ex eo, quòd, incipientibus Veris tempore in Aere alterationibus ex Solis ad Zonam noſtram appropinquantis calore poſt diuturnam rigeſcentis Hiemis pororum obſtrictionem, compreſſionemque fibrarum, meatus corporum denuo aperiantur, fibræque ipſæ magis dilatentur, atque explicentur; necnon novorum olerum paſtu diverſa multò in Animalium ſtomachis concoctio fiat, atque digeſtio, unde Humorum alterationes illas derivari neceſſe eſt: hincque Purgationum opportunitas, Sanguiniſque emiſſionum a Medicæ Artis Peritis ſtatuitur, maximèque probatur. Quanquam tamen & Autumnali tempore ea omnia (remiſſiùs licèt) contingere, pro comperto habeamus quotquot animali carne ſumus induti.

Quod autem ad Hippocratem attinet; do lubentiſſimè, Matutino tempori Ver reſpondere, Veſperæ Autumnum; ſed ex hoc ipſo validiſſimum pro mea tuenda Sententia Argumentum deduco. Quandoquidem Diei initium juxta Aſtronomos, quibus potiſſimùm hac in parte inhærendum eſt, non a Solis Ortu (ut putatur a Vulgo) ſed a Meridie computari ſolet; (unde Horæ Aſtronomicæ exordium habent) ita ut Pars diei poſtmeridiana, in qua Veſpera ſita eſt, prima Diei pars cenſeatur: quod quidem & in ipſa Scriptura Sacra fundamentum habet, dum Creationis Dies enumerans Moyſes ſemper a Veſpera computum ducit: *factum eſt veſpere & mane Dies unus .... Dies ſecundus .... Dies tertius*, & ſic de aliis. Quare pro mea potiùs Sententia ſtat Hippocratis allata Authoritas.

Apud Juriſconſultos jamdudum in nos præjudicata Lis eſt. Siquidem in Synodo Palæſtina ſub Teophilo Epiſcopo Cæſarienſi celebrata, cujus mentionem ingerit Victor I. Romanus Pontifex in *Epiſt. Decretali* de Paſchatis Celebratione, re iſta in judicium vocata, omnium Patrum conſenſu declaratum eſt, Mundum Verno tempore fuiſſe conditum, ut ejus in Actis legere eſt apud Bedam *lib. de ſex Ætatibus Mundi*.

Grave id fateor, nec ſpernendum profectò judicium; ſi tamen, quæ dicitur lata Sententia, Facti veritate niteretur. Verùm longè aliter ſe res habet. Nos Synodum quidem in Palæſtina ſub Theophilo celebratam certò ſcimus: actum in ea de Paſchate celebrando Dominica Die poſt Lunam XIV. Martii, ſeu poſt Vernum Æquinoctium ultro damus; id enim & Victor *in Epiſtola Decretali*, & Euſebius *lib. 5. Hiſt. cap. 23.* profitentur: at vera eſſe, ac genuina Acta illa a Beda venditata, unde illa de Orbe in Verno Æquinoctio condito Probatio petitur, omnino negamus.

Bedam

Bedam ea in parte a quodam Impoſtore deluſum probant Viri Criticæ Scientiæ periti, Jacobus Santabonius, Petrus Boſquettus, Bollandus, Baluſius, aliique bene multi Galliarum noſtrarum Scriptores Eruditiſſimi. Quanquam tamen, ſi Acta illa, uti genuina exciperemus, nulla nos ratio cogeret, ut quod in iis de Mundo condito Verno tempore obiter inſertum eſt, inſtar Definitionis Eccleſiaſticæ ſuſciperemus. Duo quippe in Conciliorum, Romanorumque Pontificum Decretis ſecernenda veniunt, ſi ſapimus, ut debemus: unum, quod ex inſtituto tractatur, ad Fidem, vel Mores attinens; alterum, quod ex occaſione, & obiter tangitur, a Fidei, Morumque Quæſtionibus remotiſſimum. Primum inſtar Sacri Oraculi habendum eſt, ut quòd Dominica Die poſt Vernum Æquinoctium Paſcha celebrari debeat: cæterùm alterum privatæ duntaxat Opinationis loco habendum eſt. Certè Zacharias Romanus Pontifex *Epiſt.* 10. ad Bonifacium, dum quædam ex inſtituto perſequitur, *perverſam, & iniquam Doctrinam* obiter appellavit, quæ ponit Antipodas: neque tamen eo verbo territus fuit Ligur ille Argonauta, Novi Orbis detector, quin ad Antipodas claſſem duceret, magnaſque inde gazas in Luſitaniam reportaret.

Stat igitur adverſus tot Scientiarum Profeſſores inconcuſſa Sententia, quæ Mundum Menſe Septembri in Autumnali Æquinoctio conditum aſſerit, atque defendit. Ad difficiliorem agitandam Quæſtionem in ſequentibus linguam, & animum convertemus.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO V.

Præadamitarum Erroris Origo, Syſtema, & Fundamenta referuntur.

ERROREM Præadamitarum, qui alios ante Adamum Homines extitiſſe, Terramque incoluiſſe fabulantur, in præſentia confutaturi in id ante omnia incumbemus, ut quinam Hæretici illi fuerint; quo potiſſimum Capite verſetur illorum Error; ac unde originem duxerit, breviter exponamus : ne ſi minùs tria hæc in aperto poni, & elucidari contigerit, pugnare in aera videamur.

Præadamitarum itaque Fabulæ Parens Peirerius vulgò fuiſſe creditur, Vir profeſſione Medicus, Religione primò Calviniſta; qui, cum in illa Secta verſaretur, Librum ea de re ſpiſſum edidit, quemque ſubinde, ejurata Hæreſi, Romæ cùm degeret, ſub Alexandro VII. contraria ſcriptione confutavit; ita tamen leviter, atque ſuccinctè, ut nemo non videat, eum repugnante animo palinodiam decantaſſe. Errorem hunc Peirerio multò antiquiorem non dubitaverim affirmare. Notat quippe Rabbi Maimonides, Scriptor Hæbræus in *More Nevoebim*, Zabæos, neſcio cujus Ævi, ac furfuris Viros, docere ſolitos fuiſſe, Adamum Patrem, ac Matrem habuiſſe; imò etiam in Moribus, ac Literis Inſtitutorem ſortitum eſſe, atque Magiſtrum, Tambuſcam ex nomine dictum. Quanquam & ea Zabæorum Fabella novo laboret abſurdo; ſic enim non modò alii ante Adamum finguntur Homines; verùm & Adam ipſe a Deo minimè conditus dicitur, ſed ab aliis Hominibus & genitus, & inſtitutus.

Sentiunt porro hodierni Præadamitæ Fabulatores, duas diverſorum Hominum procreationes a Moyſe initio Geneſis enarrari : unam Capite primo; Capite ſecundo alteram. Illam, qua conditus fuerit Gentilium Parens, & Caput, cujus & Nomen, & Poſteros ſilentio Moyſes prætermiſerit; iſtam, qua Judaicæ Gentis Protoparens, Adami nomine nuncupatus, in lucem prodierit : illam demum longo annorum, ac ſæculorum tractu iſtâ priorem. Quia enim (inquiunt Novatores) Judæorum Gens ſegregata erat ab aliis univerſis Terræ Gentibus, Author idcirco Pentateuchi Moyſes, Judæus & ipſe, cui conſtitutum erat Gentis ſuæ originem, Leges, Propagationem, Cronologiam enarrare, breviter, & in Proludii modum, recenſita Gentilium Parentis, totiuſq; Mundi

Crea-

Digitized by Google

Creatione *Capite primo*, ſeorſim ſubinde *Capite ſecundo* deſcribere aggreſſus eſt peculiarem Formationem primi Hominis Judæi, a quo Gens illa peculiaris, & electa derivata eſt; cujus Annales ſcribendos aggrediebatur. Hinc Protoparentem duplicem ponunt Præadamitæ Fabulatores, duplexque Hominum Genus, Gentilium ſcilicet, & Judæorum; utrumque ex vario Stipite propagatum; ac illud quidem longo temporum intervallo iſtud alterum antevertens.

Dedit huic Interpretationi occaſionem ſervata a Moyſe ſcribendi Methodus. Is enim *cap.* 1. *Geneſeos* univerſalem Orbis Creationem enarrans creatum quemdam Hominem, ejuſque Conjugem ſcribit obiter ſatis, ac defunctoriè; eorumque nec Nomina, nec Sortem, nec Poſteros notat. *Creavit Deus*, inquit, *Hominem ad Imaginem ſuam: ad Imaginem Dei creavit illum; Maſculum & Fœminam creavit eos*; ac nihil ultra præterea. Tum ſubinde *Capite ſecundo* cujuſpiam Hominis, ac Mulieris Formationem deſcribit prolixè admodum, atque diſtinctè; formationis Apparatum, ac Pompam; impoſita utrique Adæ, & Hevæ Nomina: ut planè videatur, duos iſtos ab iis, de quibus *Capite primo* dixerat, ſecernere voluiſſe.

Certè, ut fatear ipſe, quod ſentio, vix ullum tota retro Antiquitate Errorem obſervare contigit, qui gravioribus in ſpeciem Fundamentis incumbat; ut evincat Homines aliquos Adami Creationem antevertiſſe, Mundumque iſtum diu admodum ante Adamum incoluiſſe. Decretorium in primis videri poteſt, quod *cap.* 4. *Geneſeos* legere eſt; ubi Cain Adami Primogenitus, perpetrato Fratricidio, timore correptus Deo minitanti gemebundus reſpondit: *Ecce ejicis me hodie a facie Terræ; & a Facie tua abſcondar; & ero vagus, & profugus in Terra: omnis igitur, qui invenerit me, occidet me*. Quibus verbis nullus locus fuiſſe videretur, ſi nullam tunc, niſi Adæ Familiam, toto Orbe extitiſſe ſupponamus. Quos enim timuit Cain, poſtquam intellexit, palam eſſe, quod perpetraverat, Fratricidium? Timuit certè Judices ſuos, & Leges, quibus capite plectendus erat. Unde legimus, fugiſſe illum more Reorum, fugiſſe, inquam, in aliam Regionem, ad *Orientalem* ſcilicet *Plagam Eden*. Alii igitur tunc temporis erant in Orbe Homines præter Adæ Familiam. Quinimò has ipſas Orientales Plagas, in quas Cainus ſceleris ſui conſcientiâ tactus aufugit, aliis Hominibus frequentatas fuiſſe neceſſum eſt: quandoquidem fugienti *poſuit Dominus Cain ſignum, ut non interficeret eum omnis, qui inveniſſet eum*. Eccur enim illum Signo notatum voluiſſet Deus, ne occideretur, ſi vacuæ Hominum fuiſſent Orientales illæ, in quas aufugerat, Regiones?

Auget

Auget Difficultatis pondus, quod addit ea occaſione Flavius Joſephus, Apoſtolicorum temporum Scriptor Hebræus *lib.* 1. *Antiquitatum Judaicarum cap.* 3.; Cainum ſcilicet profugum ad Orientalem Plagam Eden non in melius vitam mutaſſe, ſed facta facinoroſorum Hominum manu, facultates domeſticas per vim, & rapinas accumulaſſe: *accitis*, inquit, *undecumque latrociniorum, & nequitiæ Sociis, Magiſter illis ad facinoroſam vitam effectus eſt.* Quod ſanè de aliis Hominibus, quàm de ipſiuſmet Filiis, ac Nepotibus intelligere neceſſe eſt. Ad quid enim proprios Filios, ac Nepotes in mutuam perniciem armaſſet? In quos verò latrocinia exercere potuiſſet in illa Orientali Plaga Eden, ſi tantum erat Terrarum vacuum, quantum illi profectò ponunt, qui Adamum, ejuſque recêns natos Filios duntaxat agnoſcunt Mundi hujus habitatores?

Accedit & quidem longè gravius, quod eodem *cap.* 4. *Geneſeos* notat Moyſes; Cain Civitatem ad Orientem ædificaſſe, & vocaſſe Nomen ejus ex Nomine filii ſui Henoch. Quibus verò Architectis, quibuſve Fabris Urbem potuit Cainus ædificare? Quibus illam Civibus communire, ſi nulli præter paternam Familiam, quam deſeruit, toto terrarum Orbe Homines erant? Sed nec ex paterna Familia Colonias illum duxiſſe veriſimile eſt, dum aufugit, quæ recêns conditam Urbem habitarent; cum ille erraret extorris, & profugus, ſemotus a ſuis ad Orientalem Plagam Eden, ubi ſuæ hujus Civitatis fundamenta poſuit. Cur etiam conditam Civitatem ex Nomine filii ſui Henoch appellavit, niſi ut illam a reliquis Orientis Civitatibus ſecerneret? Plures ergo jam tunc Civitates erant, plures in Orbe Populi aliunde, quàm ex Adamo, propagati.

Audio qui dicant, ut ab eo nodo ſeſe expediant; Civitatem hanc Anno circiter poſt creatum Adamum quingenteſimo a Caino conditam eſſe; ut & hoc pacto propagandæ, ac diffundendæ Adamicæ Stirpis inducias habeant, ex qua propagati Homines Civitatem illam inhabitarent. Verùm longè aliter res ſe habere videtur. Urbis enim fundamenta poſuit Cain, ſtatim atque natus eſt illi Henoch primogenitus ſuus; ex cujus Nomine eam appellatam voluit, ut ejus ortum celebraret: *cognovit autem Cain Uxorem ſuam*, (inquit Scriptura) *quæ concepit, & peperit Henoch: & ædificavit Civitatem, vocavitque Nomen ejus ex Nomine filii ſui Henoch*. Quis autem facilè credat, Cainum, quem Anno primo poſt creatum Adamum genitum eſſe nemo neſcit, annum demum quingenteſimum expectaſſe, ut Uxorem cognoſceret, daretque operam Liberis, ea Ætate temporum, qua res uxoria, filiorumque procreatio in præcepto erat?

Neque

Neque etiam illud ad præſens omittendum eſt, quod in ejuſdem Syſtematis confirmationem maximè valet; Adami Filios, Cainum; & Sethum Uxores duxiſſe, habitâque cum illis copulâ Liberos procreaſſe, quo necdum tempore Filias ullas ab Adamo genitas memorant Sacræ Literæ: ut planè conſequens videatur, eos ex alia, quàm Adami Stirpe Uxores ſibi copulaſſe. Maximè verò, cùm nec Sorores quidem ſuas, etſi eas jam tunc ab Adamo genitas poneremus, connubio ſibi jungere potuiſſent; ipſa nimirum Naturæ Lege repugnante, cujus (in primis ſaltem Capitibus) nulla a Deo fieri poteſt relaxatio.

Sed & antequam Cainus Fratrem occideret, dumque in illum poſt oblatum Sacrificium iratus eſt vehementiùs, Judices in Mundo fuiſſe jam conſtitutos, erectaque Tribunalia ad judicia capitalia exercenda, adeoque magnam ante id temporis Hominum multitudinem Mundum iſtum incoluiſſe, ſignificat aſpera illa Dei in Cainum animadverſio *Geneſ.* 4. *nonne ſi bene egeris, recipies? Sin autem malè, ſtatim in Foribus peccatum tuum aderit?* Quid enim hoc eſt, *peccatum in Foribus adeſſe*, niſi peccatum ad Tribunalia, Judiceſque Cauſſarum capitalium judicandum, puniendumque deferri; propterea quòd olim apud Judæos in Foribus Civitatum pro Tribunali ſederent Judices, ibidemque judicia exercerent ſua: quod deinceps, translatis Tribunalibus, in Foro fecere Romani: unde ſunt illæ frequentes Sacris in Literis loquendi formulæ, *Proverb.* 31. *Nobilis in Portis Vir ejus, quando ſederit cum Senatoribus Terræ*: *Job* 29. *Quando procedebam ad Portam Civitatis, & in Platea parabant Cathedram mihi*: *Pſal.* 126. *non confundetur, cùm loquetur inimicis ſuis in Porta*; nempe in Judicio, dum ad illud ab Æmulis provocabitur. Magna itaque ante id temporis erat in Mundo Hominum multitudo, quorum Cauſſis expediendis, judicandiſque erecta jam fuerant Tribunalia.

Negotium adhuc gravius faceſſit hac in parte Divi Auguſtini Sententia de Regionibus Antipodis *lib.* 16. *de Civit. Dei cap.* 9. magnumque Præadamitarum Sententiæ præſidium confert. Is ſcilicet oppoſitam nobis Partem, quam Antipodam dicunt, habitari negavit hoc potiſſimùm Argumento ductus, quòd prorſus incredibile videatur, Homines ab uno Adam in Palæſtina propagatos in oppoſitam Terræ Partem, Oceani immenſitate trajecta, navigaſſe: nullamque hujus rei adeo memorabilis mentionem vel in Sacris, vel in prophanis Hiſtoriis fieri: *Nimis abſurdum eſt*, (inquit SS. Doctor) *ut dicatur, aliquos Homines ex hac in illam Partem, Oceani immenſitate trajecta, navigare, ac pervenire potuiſſe, ut etiam illic ex uno illo primo Homine Genus inſtitueretur Humanum*. Quin

etiam uſque adeo octavo Sæculo ea inolevit Opinio, ut Zacharias Romanus Pontifex *Epiſt.* 10. *ad Boniſacium*, *perverſam*, *&* *iniquam Doctrinam* vocaverit, quæ ponit Regiones Antipodas Hominibus habitatas; quòd nempe, illâ ſemel factâ Hypotheſi de Antipodarum Regionum inhabitatione, vix intelligi queat, Homines Partium illarum primos incolas ex Adamo prodiiſſe, illucque ex Palæſtina abſque navigio perveniſſe. Cùm itaque habitari Regiones Antipodas certò jam conſtet, ex quo Tempore Ligur ille, Chriſtophorus Columbus, Novi Orbis detector famoſus in eam Terræ Partem claſſem applicuit, Chriſtique Fidei aditum patefecit, horum alterum fateri neceſſe eſt; aut Homines, qui eos terrarum tractus primitùs incoluere, ab altero, quàm Adami Stipite prodiiſſe; quod neceſſarium arbitratus eſſe Auguſtinus, ſi habitatæ Hominibus ponerentur Regiones Antipodæ; aut certe Sacrum aliquod, vel prophanum antiquæ memoriæ proferendum eſſe Monumentum trajecti quondam ab Adæ Nepotibus totius Oceani, ut ad oppoſitas nobis Terræ Partes appellerent; quod tamen nuſpiam invenitur. Ecquo verò pacto tam audax facinus attentaſſent Adæ Nepotes; cùm enavigandi Maris Artem ante Noachum incognitam prorſus fateantur Eccleſiæ Patres; ac tunc primùm, Deo monſtratore, atque Magiſtro, excogitatam fuiſſe, dum Arca conſtrui cœpta eſt Anno poſt creatum Adamum milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto?

Adſtipulantur eidem Præadamitarum Syſtemati prophanæ Gentilium Hiſtoriæ: ſecundùm quas Mundum longo ſæculorum tractu ante Adamum extitiſſe neceſſe eſt, ut ii numerari, ac recenſeri anni poſſint, quos ſuis Imperiis Chaldæi, Ægyptii, ac Sinenſes adſcribunt. Et quidem, ſi Ciceroni fides eſt *lib.* 1. *de Divinatione*, *Chaldæi*, *atque Ægyptii Aſtronomiæ Scientiam longinquitate temporum innumerabilibus pene ſæculis conſequuti putantur*: & Lactantius *lib.* 7. *Inſtitutionum cap.* 14. aſſerit, quòd *Plato & multi alii Philoſophorum*, *cùm ignorarent originem rerum*, *ſupremumque illud Tempus*, *quo Mundus eſſet effectus*, *multa millia Sæculorum fluxiſſe dixerunt* .... *ſicut fortaſſe Chaldæi*, *qui*, *ut Cicero tradidit in lib. de Divinatione primo*, *quadringenta ſeptuaginta millia annorum Monumentis comprehenſa ſe habere delirant*. Cùm tamen uſque ad Lactantii Tempora *nondum ſextum milleſimum annum eſſe concluſum*, ibidem ipſe teſtetur.

Stupendum, quod de Ægyptiorum Imperio ferunt. Salmaſius Author graviſſimus vetuſtioris cujuſpiam Hiſtorici mentionem ingerit, qui triginta Dynaſtias, ſeu triginta Familias Ægyptiorum Regum ſuis Annalibus prodidit; easque Familias per tres annorum Myriades perduraſſe ſcripſit: Myriades verò ſingulas computa-

putavit millies decies millia cum tribus annorum millibus. Quia etiam refert Plinius Secundus *lib.* 35. *Naturalis Hiſt. Editionis Pariſienſis Franciſci Muguet pag.* 177. Ægyptios gloriari ſolitos, Artem pingendi ſex annorum millibus in Ægypto floruiſſe, antequam tranſiret ad Græcos.

Jam quid de Sinenſium Opinione circa Mundi initium dicam? Sufficit nobis, quod Julius Scaliger a Nat. Alexand. laudatus (*Diſſert.* 3. *de Adamo, & Heva*) refert; nimirum quòd *Annus*, quo *Temporum Emendationem* ſcribebat, *qui erat a Chriſto MDXCIV.*, fuerit apud illos *a Conditu rerum*, ſeu a Mundi Creatione *octingenties octogies milleſimus ſeptuageſimus nonus*. Quæ omnia profectò ſi veritati nitantur, quot erunt, amabo vos, ſuperiora Adamo Sæcula numeranda?

Haud me fugit, Viros nonnullos Eruditos, ut eo ſe nodo exſolverent, Annos Menſtruos commentos eſſe, qui ſcilicet ſingulis menſibus finirentur: eâque etiam ratione interpretari ſolitos eſſe, quæ de Patriarchis in Geneſi recitantur; quorum alii octingentos ætatis annos, alii nongentos, & eo ampliùs attigiſſe referuntur; quod cum illis incredibile videatur, ſi eorum Anni noſtris omnino ſimiles fuerint, Menſtruos duntaxat annos, ſingulis ſcilicet Lunis comprehenſos interpretari maluerunt. Verùm nec ii ſe laqueo extricant: cum ne quidem, ſi Annos Menſtruos poneremus, Egyptiorum Myriades tam multas, tamque ſtupendas ab Adamo colligeremus; quarum quælibet juxta vetuſtioris illius Hiſtorici computum, annorum millies decies millia complectitur cum tribus annorum millibus. Aliunde etiam perſpectum eſt, Patriarcharum Annos, non Menſtruos, ſed noſtris planè ſimiles extitiſſe; duodecim videlicet menſibus conſtantes: quod ex Hiſtoria Noe *Geneſis* 7. liquet, ubi Diluvium Anno ſexcenteſimo vitæ Noe contigiſſe legitur; Arcam verò requieviſſe ſupra montes Armeniæ Menſe ſeptimo, vigeſima ſeptima Die menſis; aquas autem decreviſſe uſque ad decimum Menſem. Quæ ſanè perperam notarentur, niſi Anni Noe, non ſecus ac noſtri, menſes circiter duodecim complexi fuiſſent; quilibet quoque Menſis dies circiter triginta. Hos ipſos primorum Patriarcharum Annos, non Lunares, atque Menſiles, ſed Solares, noſtriſque ſimiles extitiſſe, ex illorum *παιδογονία* diſertiſſimè conſtat. Horum enim aliqui filios genuiſſe leguntur *Geneſ. cap.* 5. anno vitæ ſexageſimo quinto, ut Malaleel, & anno ſeptuageſimo, ut Cainan; ne quid de cæteris dicam. Quod quis quæſo de Annis Lunaribus, ſeu de Menſibus dictum exiſtimet? Quaſi verò menſe vitæ ſuæ ſexageſimo quinto, aut ſeptuageſimo, hoc eſt, Anno Solari circiter quinto, vel ſeptimo generationi vacare quis poſſit. Sed de his aliàs.

Iis Præadamitici Syſtematis Fundamentis extremum ſigillum ponit Apoſtoli Sententia *ad Romanos* 5., quæ Virorum Eruditorum ingenia diu, multùmque torſit : *Uſque ad Legem enim peccatum erat in Mundo : peccatum autem non imputabatur, cùm Lex non eſſet*. Quo loco tempus aliquod agnoſcit Apoſtolus, quo peccatum in Mundo erat, nec tamen imputabatur; quòd nulla Lex eſſet, qua Homini vetaretur. Porro ſi res ab Adami Ætate penſitemus, peccatum ſemper eſt imputatum, ac etiam ſeveriſſimè caſtigatum. Hinc Adamus ipſe de Paradiſo ejectus eſt, quòd Dei Mandatum tranſgreſſus eſſet : Cainus, occiſo Fratre, peccatum agnovit, & ſibi imputatum iri faſſus eſt, dum ait : *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear* (*Geneſis cap.* 4.) : Lamech Caini Abnepos poſt occiſum Adoleſcentulum ultionem Dei expertus eſt : Diluvio demum periit univerſus Orbis, quòd viam ſuam omnis Caro corrupiſſet. Quid ergo? Superiora Adamo Tempora quærenda veniunt, ut peccatum non imputatum, non caſtigatum inveniamus; dum videlicet Lex illa non eſſet, quam Adamo primùm a Deo datam legimus *Geneſ. cap.* 2. *in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris* : ſic ut alius Apoſtoli ſenſus eſſe non poſſit præter iſtum : uſque ad Legem Adamo datam peccatum erat in Mundo : peccatum autem non imputabatur, cùm Lex non eſſet : atque adeo ante Adamum Homines extitere, qui peccarent, nec tamen admiſſi peccati pœnas luerent, propterea quòd Lege nulla obſtringebantur.

Sunt hæc nuper excogitatæ Præadamitarum Fabulæ Momenta potiſſima : quæ uſque adeo Virorum quorundam Eruditorum animos occuparunt, ut eam adornatis juſtæ molis Lucubrationibus vindicare haud veriti ſint. Quantùm illi a vero aberrarint, quàmque inutilem operam locarint, proxima Exercitatione demonſtrabimus.

PRÆ-

PRÆLECTIO VI.

Catholica Veritas contra Præadamitarum Errorem ſtatuitur, vindicatur.

QUO Capite verſetur Præadamitarum noviſſimus Error, quibuſve nitatur Fundamentis, in antehabitis declaravimus. Illud nunc officii noſtri expoſcit ratio, ut ad aſſerendam in oppoſitum Catholicam Veritatem ſtudium convertamus. Quocirca præmoneo, Præadamitas, quibuſcum nobis Lis eſt, alios ante Adamum Homines comminiſci, qui Mundum iſtum incoluerint, binaſque diverſorum Protoparentum Creationes fabulari: unam quidem *cap.* 1. *Geneſis* recenſitam; alteram *cap.* 2. Illam, qua conditus fuerit Gentilium Pater, & Caput, cujus & Nomen, & Poſteros ſilentio Moyſes prætermiſerit; iſtam, qua Judaicæ Gentis Protoparens, Adami nomine nuncupatus in lucem prodierit; illam demum longo annorum, ac ſæculorum tractu iſtâ priorem.

Ut ergo expoſitum Præadamitarum Errorem ex directo impetamus, duo nobis veniunt demonſtranda: primum; nullos ante Adamum Homines extitiſſe, illumque ipſum Hominem, cujus procreatio *cap.* 1. *Geneſeos* deſcribitur, non alium eſſe ab Adamo, Judæorum, ut illi quidem vocant, Protoparente, cujus efformatio prolixiùs *cap.* 2. deſcripta eſt: alterum; tantùm abeſſe, ut Gentilium Protoparens Adami creationem anteverterit, ut potiùs Gentiles ipſi ex ipſomet Adamo prodierint; & non niſi poſt longos admodum ſæculorum tractus, ac etiam poſt Noetici Diluvii tempora. Jam quæſo favete animis, favete auribus. Ac primò quidem non imus inficias, Moyſen univerſi Orbis Creationem enarrantem *cap.* 1. *Geneſeos*, obiter ſatis, ac defunctoriè creatum certum aliquem Hominem, ejuſque Conjugem dicere: tum ſubinde *cap.* 2. Adami, & Hevæ Formationem prolixè admodùm, atque diſtinctè enarrare, totumque formationis Apparatum, & Pompam minutatim recenſere. Verùm non advertunt imprudentes, ſecundo illo Geneſeos Capite meram anacephaleoſim, rerumque antedictarum repetitionem contineri; qua id ipſum, quod primo Capite de creatione Adami preſſiùs dixerat Moyſes, ac veluti propoſuerat, prolixiùs poſtmodum explicat, & accuratius. Id ex *verſu* 4. ejuſdem ſecundi Capitis apertè colligas. Ibi quippe Creationem Cœli, & Terræ, Plantarumque omnium, de quibus dixerat *cap.* 1. denuo deſcribit: *Iſta ſunt*,

Digitized by Google

ſunt, inquit, *generationes Cæli, & Terræ, quando creata ſunt in die, quo fecit Dominus Deus Cælum, & Terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam Regionis, priuſquam germinaret*. Sicut ergo non alii Cæli, non alia Terra, non aliæ Plantæ eo ſecundi Capitis verſiculo memorantur, quàm quæ Capite primo deſcripta ſunt; ita non alterius in eo Capite meminit Hominis, dum ait: *formavit igitur Dominus Deus Hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt Homo in animam viventem*: ſed factam antea Narrationem creationis ejuſdem Hominis reſumens Moyſes, eandem accuratiùs cum ſingulis Adjunctis deſcribit; ob eam videlicet rationem, quòd Operum Divinorum præſtantiſſimum fuerit Homo, cujus gratiâ cætera condita ſunt univerſa.

Iis robur addit, quod legimus *cap*. 5. *Geneſeos*. Recolens ſcilicet Moyſes, quæ Capite primo de Homine condito obiter innuerat, Adamum illum appellat, ut videas eundem illum eſſe, qui Capite primo, & qui Capite ſecundo formatus aſſeritur; non alterum Adamo priorem, uti Præadamitæ fabulantur: *Hic eſt Liber generationis Adam. In die, qua creavit Deus Hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum; Maſculum, & Fœminam creavit eos*: (quæ ipſamet primi Capitis verba fuerant) *& benedixit illis: & vocavit nomen eorum Adam in die, quo creati ſunt*. Qui ergo Capite primo creatus innuebatur, Adam eſt; idem ſcilicet, qui ſecundo Capite prolixiùs deſcriptus eſt.

Ejuſdem Præadamitarum Syſtematis vanitatem apertiùs oſtendunt nonnullæ in Caput ſecundum & quartum Obſervationes minimè contemnendæ, quibus evincitur maximè, nullos ante Adamum Homines extitiſſe, qui Mundum iſtum incoluerint. Primò quidem: Adami formationem enarraturus Moyſes ita præfatur: *Et Homo non erat, qui operaretur terram*: quibus verbis ſua conſtare veritas non poteſt, ſi alii ante Adamum conditi Homines ponantur, quorum diſtinctam, prioremque originem Capite primo deſcripſiſſet: ii quippe Homines terram dubio procul excoluiſſent, ut ſibi vitæ neceſſaria compararent. Secundò: obſervat Moyſes, Adamum univerſis Animantibus nomina primitùs indidiſſe, dum hæc ad ipſum Dei juſſu adducta ſunt: *formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis Animantibus Terræ, & univerſis Volatilibus Cæli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea: Omne enim, quod vocavit Adam animæ viventis, ipſum eſt Nomen ejus*. Jam, ſi Homines Adamo priores extitiſſent, qui illum longo annorum tractu præceſſiſſent, veriſimile non eſt, ipſos Animalia univerſa anonyma fuiſſe relicturos: cum & ipſi Ratione, atque Sermone uſi eſſent, non minùs quàm Adæ Poſteri. Tertiò: Artium inventores non alios

alios fuiſſe notat Moyſes *cap.* 4. quàm Adami Poſteros; quin etiam, quis cujuſque Artis fuerit Author, atque Inventor, nominatim obſervat; cum tamen ſine Artibus civilem vitam ducere Præadamitæ nequiviſſent. Ut igitur antea Artes non erant, ita nec Homines.

Neque verò advertunt nugivendi Fabulatores, quantùm Moſaicæ Narrationi repugnent, dum Adamum, Judæorum, ut ipſi quidem vocitant, Protoparentem a Deo conditum dicunt poſt illum Hominem primum, cujus formatio Capite primo narrata eſt. Enimverò ſex priorum dierum Operibus abſolutis, conditoque Homine illo primo, deinceps Deus a Creatione ceſſavit, ut nullus ſubinde alterius Hominis creationi detur locus. Imo & Sabbathum ob illam ceſſationem inſtituit a Judæis religiosè ſervandum *: Igitur perfecti ſunt Cæli, & Terra, & omnis ornatus eorum : Complevitque Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat; & requievit die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrarat .... & ſanctificavit illum : quia in ipſo ceſſavit ab omni opere ſuo, quod creavit Deus, ut faceret*. Adamum igitur Judæorum Protoparentem, ut vocant, poſt illam diem ſeptimam Dominicæ quietis conditum fuiſſe Fabula eſt. Ecquid enim attinebat, Dominicum illud Sabbathum tanta religione a Judæis obſervari, & imitatione Dominicæ quietis ab ea Gente tanto cultu celebrari, ſi Adamus ipſorum Pater, & Caput ante Sabbathum illud conditus non eſt; ſed novo ſubinde operi Deum indulgere neceſſe fuit, ut illum de limo formaret? Certè ſi ita ſe res habuiſſet, non video, cur non ad Gentiles potiùs, quàm ad Judæos Obſervantia Sabbathi pertinuiſſet?

Gravia ſunt hæc; ſed fiunt eorum, quæ dicturus ſum, comparatione leviſſima. Ubique paſſim Divinis in Literis unus, idemque Homo vocitatur totius Humani Generis Caput; ex quo uno Homines univerſi originem duxerint *:* ſic *Sapient.* 10. *: Qui primus formatus eſt a Deo Pater Orbis terrarum :* ſic & *Actorum* 17. *fecit* Deus *ex uno omne Genus Hominum inhabitare ſuper univerſam faciem Terræ*. Quæ omnia non nutare modò, ſed & omnino ruere neceſſe eſt; ſi duo ponantur Humani Generis Capita, ex quorum uno Gentiles, ex altero Judæi ſeorſim propagati ſint; duo Protoparentes, quorum neuter ab altero originem duxerit; ſed ambo ex æquo a Deo ipſo nullo medio prodierint.

Sed nihil æquè Præadamitarum Errorem evertit, ac Fides de peccato Originali, quam Utraque tam Orientis, quàm Occidentis profitetur Eccleſia : *Per unum Hominem* (inquit Apoſtolus *ad Rom.* 5.) *peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes Homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Et infra *: ſicut per unius delictum in omnes Homines*

nes in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes Homines in juſtificationem vitæ. Porro ſi Judæorum tantùm primus Parens cenſendus eſt Adam, non autem univerſim omnium prorſus Hominum Pater, & Caput; qua forte omnes, ac ſinguli prorſus Homines peccatum Originis ex illo ipſo contraxiſſent? Quomodo labes illa Originaria ad tot perveniſſet genere, & ſtirpe diverſos, qui nihil ab Adamo habuiſſent, nihil ex ejus vitiato ſemine derivaſſent? Qua ratione omnes, ac ſinguli Homines in illo unus veluti Homo fuerunt, ut eo peccante & ipſi peccare cenſeantur; ab illoque peccatum, ut vitiatæ Naturæ morbum, fatali neceſſitate contraherent?

Pervidit hujus Argumenti pondus Author Syſtematis Præadamitarum; qui uti Originalis peccati Fidem inficiari minùs audet, ita Fabulam ſuam cum eo Eccleſiæ Dogmate componere, & conciliare nititur multis modis. Contendit itaque, neceſſe non eſſe, omnes Homines ab Adamo originem ducere, ut omnes in Adamo peccaſſe cenſeantur: cujus rei feſtivam hanc rationem obtrudit; quòd ſcilicet unius peccatum imputari alteri poſſit, tametſi ſuam ab ipſo originem nullatenus ducat; ſed alia de cauſſa, alioque titulo. Sic peccatum Regis imputatur quandoque Populo: unde & illud Poetæ Dictum invaluit: *quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi.* Ita planè Sedeciæ Regis perjurium Judæis omnibus uſque adeo imputatum eſt, ut ob id vincti, ac dediti in Babylonem adducti ſint. Peccatum etiam unius de Populo totum plerumque Populum reatu adſtringit: qua de cauſſa in ſacrilegio Achan, qui de anathemate uſurpaverat in devaſtatione Jericho, totus Iſrael peccaſſe dictus eſt *Joſue cap. 7.* & ob peccatum Gabaonitarum, qui Levitæ Concubinam ad mortem uſque compreſſerant, tota pene Tribus Benjamin extincta, deletaque eſt. Quidni ergo (colligit Præadamitarum Fabulator) fieri quoque potuit, ut omnes in Adamo Homines peccaſſe cenſerentur ob aliquam cum illo Communionem, Societatemque myſticam, ac civilem; tametſi non omnes ab illo carnalem originem duxerint?

Verùm ariolatur, & ludit vaniſſimus Homo tot illis congeſtis Exemplis. A Catholica quippe Fide prorſus alienum eſt fabulari, Homines ſola Adamitici peccati imputatione conſtitui peccatores: cùm contra verò omnino peccato naturâ Filii iræ naſcantur; peccato, inquam, quod unicuique naſcendo ſit proprium, & in ſingulos carnali generatione transfuſum, animam reipſa inficiens, veroque reatu commaculans; non externa duntaxat imputatione, ut in objectis Scripturarum Exemplis effectum eſt. Quod nos, Deo dante, probabimus, dum de Originali peccato ſermo erit. Damus ergo, peccatum unius imputari alteri poſſe morali quadam, & exter-

Digitized by Google

externa imputatione, quanquam alter ab altero originem minimè trahat; ut in allatis Exemplis. At repugnat, peccatum unius transfundi in alterum, uti profectò peccatum Originale transfunditur, niſi ab altero originem trahat. Peccatum unius alteri imputatum ratione Communicationis alicujus, ſeu myſticæ, ſeu civilis pœnam duntaxat temporalem iis infert, quibus occulto quodam judicio imputatur: at peccatum Originale pœnam ſecum æternam affert Mortalibus univerſis; æternam ſcilicet Divini Conſpectus privationem: ut de æterna ſenſibili pœna nil dicam, de qua mihi loco ſuo ſermo erit.

Hoc ergo præcluſo Suffugio, quo Peirerius hujus decretorii Argumenti vim eludere nitebatur, Alius non ita pridem alterum excogitavit Effugium, ut Eccleſiæ Fidem de peccato Originali cum Præadamitarum Syſtemate conciliaret. Quare reponit, omnes quidem Homines peccatum Originale ex Adamo contrahere, non quòd ex Adamo omnes omnino Homines primam olim originem traxerint; ſed quia nulli jam extant eorum, qui ex altero Protoparente ab Adamo diſtincto ſuam originem derivarunt; ſolique poſt Diluvium procreati ſunt Homines, qui ex Adamo primam originem ducunt: quia deleto per Diluvium Humano Genere univerſo ex duobus Protoparentibus uſque tunc propagato, ſola Noe Familia ex Adamo rectâ Majorum ſerie deſcendens evaſit incolumis, Humanumque Genus filiorum procreatione reſtituit; & in totam Poſteritatem, quæ ſola deinceps Mundum replevit univerſum, peccatum Originale tranſmiſit.

Verùm nec eâ quidem viâ Eccleſiæ Catholicæ Fides de peccato Originali cum Præadamitarum Syſtemate conciliatur; quandoquidem Catholica Fides docet, non modò, qui ſuperſunt hodie, quique poſt Diluvium ex Noechi Fâmilia prognati ſunt, Homines univerſos Originale peccatum ex Adamo contrahere; ſed & omnes omnino, quacumque Ætate vixerint, etiam ante Diluvium; quippe qui peccatores, & mortales, ſeu Legi mortis ſubditi fuerint. Apoſtoli quippe vox eſt: *per unum Hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors.* Sapientis quoque Sententia eſt: *Creavit Deus Hominem inexterminabilem ...... invidiâ autem Diaboli mors introivit in Orbem terrarum*: Diaboli, inquam, Adam immortalem a Deo conditum ad peccatum pertrahendo, mortemque illi peſſimam inferendo. Cùm itaque Præadamitæ Fabulatores ſuos illos Homines (quos ex alio, quàm Adamo Protoparente prognatos dicunt) & peccatores, & mortales fuiſſe fateantur; Originalis peccati Fidem labefactant, dum eos Originali peccato infectos non eſſe concedere compelluntur. Et hæc de primo Erroris Capite, quod mihi ſumſeram refellendum.

Jam verò quàm procul abſit a veritate alterum Præadamiticæ Fabulæ Caput, quod me pariter confutaturum ſpopondi, non eſt, cur hic diu morer. Tantùm enim abeſt, ut Gentilium Protoparens, eorumque Imperia Adami creationem anteverterint, ut potiùs e contrario exploratiſſimum ſit, Imperia illa nonniſi poſt Diluvium Noeticum incœpiſſe, poſt Annum ſcilicet ab Adami creatione milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimum ſextum.

Et verò certant apud Gentiles pro Antiquitatis gloria Babylonii, Ægyptii, & Sinenſes: omnes tamen Diluvio poſteriores perhibentur: quantò magis poſteriores Adamo?

Quod enim ad Babylonios attinet: primum apud eos imperitaſſe Nembrothum, hujuſque Imperii fundamenta poſuiſſe, teſtatur Spiritus Sanctus *Geneſ. cap.* 10. *Nemrod cœpit eſſe potens in Terra.... fuit autem principium Regni ejus Babylon*. Unde *Michææ cap.* 5. tota Babylonis Regio *Terra Nemrod* appellatur. Nemrod porro nonniſi Noe Pronepos erat: Noe quippe genuit Cham, Cham genuit Chus, Chus genuit *Nemrod Gen.* 10. *v.* 8. Ille ipſe eſt, quem prophani Scriptores Belum appellant: cui etiam conditæ Babylonis gloriam vulgò tribuunt. Tametſi Nonnulli per errorem gloriam illam Semiramidi vindicent; inde fortè deluſi, quòd illa aggeres magnæ molis extruxerit, quibus Euphratem coercuit, & Babylonem lateritiis muris cinxerit, juxta illud Ovidianum, ubi dicitur .... *altam coctilibus Muris cinxiſſe Semiramis Urbem*. Quanquam etſi fundatæ Babylonis gloria Semiramidi danda eſſet, nihil id nobis officeret; ſed prodeſſet multò magis, cùm ſit Semiramis Nembrotho, ſeu Belo poſterior.

Qui Regni Ægyptiaci initia altiùs petunt, a Menos, ſeu Meſraino exordium ducunt; ut Diodorus Siculus, Herodotus, Eratoſtenes, Maneto, Julius Africanus, Euſebius: at Meſraim nonniſi Noe Nepos, & Chami Filius erat *Gen.* 10. *v.* 6. qui a Phœnicibus in Deorum numerum relatus eſt, & ſub Saturni Nomine Sacros ab illis honores obtinuit.

Sinarum Imperii initia definire quanquam ſit difficillimum, de quibus nihil in Sacris Literis, nihil in Priſcis Hiſtoriis reperire eſt; propterea quòd ii alio ſub Sole poſiti ſileantur illacrymabiles; ſi qua tamen Ludovico de Comitibus fides eſt *Tomo* 2. *Documentorum ad Hiſtoriam Sinicam pag.* 137., nonniſi a Filiis Noe, qui in Aſiam Orientalem penetrarunt, ortum habuit Sinarum Imperium.

Figmenti itaque loco habendum eſt Syſtema Præadamitarum; & ex eo potiſſimum Capite explodendum, quòd Gentilium Imperia Adamo ſuperiora fabuletur, quæ nonniſi poſt Noetici Diluvii tempora cœpiſſe notiſſimum eſt.

Qui-

Quibus itaque poſitis, quotquot vel levem Scripturarum Veteris Teſtamenti notitiam habent, illud profectò norunt, tantum abeſſe, ut duo fuerint Humani Generis Capita, Protoparentes duo a Deo diſtinctis temporibus procreati, ex quorum uno Gentiles primùm, ex altero ſubinde Judæi prodierint; ut potius certo certius ſit, eam Judæorum, atque Gentilium diſtinctionem nonniſi poſt Diluvium invaluiſſe, & Utroſque perinde, Gentiles ſcilicet, & Judæos ex Noe, illiuſque Filiis, ac Nepotibus prodiiſſe Annis poſt Diluvium amplius quadringentis, a Creatione Adæ ampliùs bis mille. Ex quo enim tempore Abrahamum ex Ure, Chaldæorum Urbe vocavit Deus, eumque, illiuſque Poſteros ex Iſaaco per Jacob naſcituros elegit ſibi in Populum, tunc primùm diſcretio illa fieri cœpta eſt Judæorum, atque Gentilium: tunc primùm electus a Deo Populus, & Populus Hebræus illi ſunt dicti; ſubinde Iſraelitæ; poſtremò Judæi de more nuncupati: iſti vice verſa, generali nomenclatione Gentes, Gentiles, Nationes, ſeu etiam Ethnici, (quod paris ſignificationis Græcum Nomen eſt) ac tandem Pagani ſunt appellati. Ante id temporis ignota Diſtinctio erat, ignota Nomina. Inſulſitatis itaque plenum eſt, quod Præadamitici Syſtematis Fabricator obtrudit; alium Gentilium, alium Judæorum Protoparentem extitiſſe; ac illum quidem longo ſæculorum tractu iſtum alterum præceſſiſſe. Et en quàm futile, ac falſum ſit Præadamitarum Syſtema, quorum quidem Momenta Deo favente in ſequenti diluemus.

PRÆLECTIO VII.

Præadamitici Syſtematis Momenta refelluntur.

ASſertâ nuper, multiplicique Argumentorum genere confirmatâ Catholicâ Veritate adverſus Præadamitas Fabulatores, qui alios ante Adamum Homines extitiſſe, Mundumque incoluiſſe comminiſcuntur, illud unum ad præſens reliquum nobis eſt, ut Momenta partim ex Sacris Literis, partim ex prophanis Scriptoribus delibata, quibus ſuum illud Figmentum adſtruere ſatagunt, præſenti Exercitatione diluamus. Quantum hæc fuci præſeferant, in anteceſſum demonſtravimus, dum ea, quo ſolent a Suis apparatu explicari, veſtris oculis ſiſteremus. Nunc quàm evanidam ſpeciem referant, detractâ larvâ, videbitis.

Primum, ſi bene meminiſtis, ex Caini Adæ primogeniti lamento petebatur, qui, perpetrato Fratricidio, timore correptus Deo minitanti gemebundus reſpondit : *Ecce ejicis me hodie a facie Terræ .... ero vagus, & profugus ſuper Terram : omnis igitur qui invenerit me, occidet me*; *Geneſis cap.* 4. Quibus verbis nullum locum futurum ajunt Præadamitæ, ſi nulla tunc niſi Adæ Familia toto Orbe extitiſſe ſupponatur : ſic enim nihil habiturus erat ille, quod ab Hominibus capiti ſuo timuiſſet. Verùm ſpecioſa Difficultas illa evaneſcit, ſi vel obiter obſervetur, Abelem a Caino occiſum eſſe Anno a Mundi Creatione centeſimo trigeſimo. Sic enim, ut infra demonſtrabo, incredibile non eſt, per annos triginta ſupra centum ad multa Hominum millia ex Adam, ejuſque Fiſiis, ac Nepotibus propagatum eſſe Genus Humanum; ut juſta de cauſſa capiti ſuo timere potuerit impius Fratricida. Porro Abelem a Caino duntaxat occiſum eſſe Anno Mundi centeſimo trigeſimo, ex mutua duorum Scripturæ locorum collatione apertè liquet. Etenim *Geneſis cap.* 4. Seth, tertius Adæ Filius poſitus dicitur pro Abel; ſeu Adamo, & Hevæ datus a Deo ad ſolatium mæroris, quem ex Abelis nece conceperant : *Cognovit quoque adhuc Adam*, inquit Scriptura Sacra, *Uxorem ſuam, & peperit Filium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens : poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain : Cap.* verò 5. *v.*3. legimus, Seth genitum eſſe Anno centeſimo trigeſimo vitæ Adami : *vixit autem Adam centum triginta annis; & genuit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, vocavitque Nomen ejus Seth.* Si ergo tunc circiter occiſus eſt Abel, quando natus eſt Seth; Seth verò Anno centeſimo trigeſimo

geſimo natus eſt, liquet profectò, Anno centeſimo trigeſimo Fratricidium perpetratum eſſe a Caino. Cùm ergo per tot annorum decurſum adeo jam propagatum eſſet Genus Humanum, mirari minimè ſubit, Cainum ſceleris ſui horrore perculſum capitis periculum timuiſſe ab Hominibus ex Adami Familia propagatis. *Potuit*, ut inquit D. Ambroſius *lib. 2. de Cain, & Abel cap. 9. & Parentes parricidas timere, qui docuerat parricidium poſſe committi. Potuerunt enim & Parentes de Filio diſcere, quod didicerunt Poſteri de Parente*. Idque propterea cauſſæ eſt, cur in eo Signum poſuerit Deus, ne quis profugum Fratricidam impune occideret.

Nihil magis officit, quod ex Joſepho Scriptore celeberrimo addebatur, Cainum ſcilicet profugum ad Orientalem Plagam, accitis undequaque latrociniorum, & nequitiæ Sociis, Magiſtrum illis ad facinoroſam vitam effectum eſſe. Hinc quippe minimè colligas, alios, quam ex Adami Genere Orientales illas Plagas incoluiſſe. Potuit ſiquidem Cain facinoroſorum Hominum manum ex Familia ſua aggregare, eiſque ad prædas, & latrocinia Magiſter effici; non quidem ſtatim atque Abelem occidit, illucque aufugit, ſed longo poſt tempore: quippe qui ad octingentos & ampliùs annos vitam produxit. Quo tempore mirum, quantùm ex uno primo Homine Adam propagari potuerit Genus Humanum. Id maximè attentare potuit nefarius Homo, cum ex Setho fratre ſuo propagati ſunt Viri pii, Filii Dei communiter dicti: dum enim Cain, ſecundùm Sanctorum Patrum Opinionem, Terrenæ Civitatis, ideſt eorum, qui ſecundùm Hominem vivebant, Caput malitia ſua effectus eſt; Civitatis Dei, eorum ſcilicet, qui ſecundùm Deum vivebant, Caput, & propagator alter ab Adamo conſtitutus eſt Sethus. Harum verò Societatum diſcretione facta, inter Cives Terrenæ Civitatis, ac Cæleſtis diſſenſionem perpetuam excitavit morum, ſtudiorumque diſparitas. Potuit ergo tunc Cainus cum ſuis in Sethitarum Fines excurrere, & prædas agere; illoſque, tametſi Nepotes ſuos, hoſtilem in modum perſequi, atque laceſſere; quòd nempe jam eſſent cognatione remotiſſimi; imo nulla jam cognatione conjuncti. Neque enim incredibile eſt, eum, qui Fratrem occiderat, Nepotes perſecutum eſſe, eorumque bona dilapidaſſe, maximè remotæ adeo, vel nullius cognationis.

Non abſimili facilitate diluuntur Præadamitarum Obſervationes in *v. 17. capitis 4. Geneſeos*, ubi legimus: *& ædificavit* Cain *Civitatem, vocavitque Nomen ejus ex Nomine filii ſui, Henoch*. Neque enim neceſſe eſt, alios, quàm ex Adamo propagatos Homines comminiſci, qui Civitatem hanc ædificarent, incolerentque. Obſervant ſiquidem Sacræ Chronologiæ Periti, Civitatem illam a Caino poſitam eſſe Anno ab Orbe condito quingenteſimo. Quis autem

autem dubitet, quingentorum annorum ſpatio ab uno Homine Adam tantùm multiplicari potuiſſe Genus Humanum, ut eſſet, unde conſtituerentur, non una, ſed plurimæ Civitates? Certè, ſi admotis calculis numerare hìc nobis liceat, quot ex Homine uno, ſpatio quingentorum annorum Generationes duci poſſint per nepotes, ac pronepotes, per lineas directas, & tranſverſales, vix fidem haberet computatio, tametſi ſub oculis poſita. Exemplum ex Scripturis dare ſatis ſit. Ex uno Abraham non ampliùs quadringentis annis numeroſitas Hebrææ Gentis ex ejus fœmoribus ortæ procreata eſt tanta, ut in exitu ejuſdem Populi ex Ægypto ſexcenta, & eo ampliùs hominum millia fuiſſe referantur *Exod.* 12. ex ſola (quod ſtupendum magis) Jacobi linea propagatorum: ſexcenta, inquam, hominum millia bellicæ tantùm Juventutis, hoc eſt, demptis mulieribus, pueris, ſenibus, qui per ætatem tractare arma non poterant; demptis Levitarum duobus ſupra viginti millibus ad Tabernaculi miniſterium, atque cuſtodiam excubantium. Quibus omnibus ſi inſuper adderemus integram Idumæorum Gentem ad Iſraeliticum Populum minimè attinentem, tametſi ex Abraham per lineam Eſau deſcendiſſent; ſi alias non minimas Gentes adjungeremus in eum quoque numerum Iſraelitarum haud adſcitas, quòd ex ſemine quidem Abrahæ, aliunde tamen, quàm ex Sara libera conjuge prodiiſſent) quales nimirum fuerunt Iſmaelitæ ex Agar ancilla procreati, qui univerſam Regionem ab Euphrate ad Mare Rubrum occuparunt; millies mille hominum millia, & eo ampliùs numeraremus ex uno Abraham annis plùs minùs quadringentis propagatorum. Quid ergo de Adamo colligere liceat quingentorum annorum ſpatio, quo demum exacto Urbs illa a Caino ædificari cœpta eſt? Sed in hoc turpiter aberrant Præadamitæ, & quotquot prima Geneſeos Capita curſim, ac perfunctoriè lectitant; quòd paucos admodum in Orbe extitiſſe tunc Homines putent ex Adamo procreatos; quia paucos admodum Scriptura Sacra ex Nomine appellat uſque ad Noetici Diluvii tempora. Nec advertunt imprudentes, paucos idcirco Homines in Geneſi recenſeri, non quòd re ipſa pauci eſſent, ſed quòd ſuſcepti a Moyſe Operis ratio non poſtularet, ut alios propemodum innumeros recenſeret. Quorſum id? Quia unicum Moyſis Inſtitutum erat, ut per certas Generationum ſucceſſiones ab uno primo Homine Adam ad Abraham perveniret, cui prima de Venturo Meſſia promiſſio facta eſt: quod ut exequeretur ſatis illi erat, ſi vel illos ſolos Adami Filios, ac Nepotes enumeraret, per quos rectæ Genealogiæ ſucceſſio ducta eſt; cæteris ſilentio miſſis, e quibus lineæ tranſverſales duci poſſent. Ecquis enim putet, Protoparentes (quibus gignendi officium ea Ætate temporum in præcepto erat,

erat, ut Orbis propagaretur) non alios peperiſſe filios nongentorum, & ampliùs annorum ſpatio, quo vita illorum protracta eſt, quàm qui a Moyſe recenſentur numero tres, Cain, Abel, & Seth? Certè, ſi quolibet nono menſe filium ab Adamo genitum ponamus; cùm annos ille vixerit nongentos triginta integris ſemper viribus, conſequens erit, ut mille ducentos triginta ſeptem filios genuerit ipſe per ſeſe. Id ſatis brevi compendio ſignificavit Moyſes *Geneſis cap.* 5. dum, tribus duntaxat Adæ Filiis, Caino, Abele, & Setho enumeratis, uno tandem verbo cæteros complexus eſt propemodum infinitos dicens: *genuitque filios, & filias. Et factum eſt omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus eſt.* Audiamus D. Auguſtinum *lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 8. loquentem de Civitate illa a Caino ædificata: *Sed hoc quos movet, parùm conſiderant, non omnes homines, qui tunc eſſe potuerunt, Scriptorem Sacræ hujus Hiſtoriæ neceſſe habuiſſe nominare; ſed eos ſolos, quos Operis ſuſcepti ratio poſtulabat. Propoſitum quippe Scriptoris illius fuit, per quem Spiritus S. id agebat, per ſucceſſiones certarum Generationum ex uno Homine propagatarum pervenire ad Abraham, ac deinde ex ejus ſemine ad Populum Dei.*

Toto autem aberrant oſtio, qui Civitatem illam a Caino poſitam dicunt longè ante Annum ab Orbe condito quingenteſimum, dum ſcilicet natus eſt illi Primogenitus ſuus; eo quòd Scriptura dicat *Geneſis* 4. *Cognovit autem Cain Uxorem ſuam, quæ concepit, & peperit Henoch: & ædificavit Civitatem, vocavitque Nomen ejus ex Nomine filii ſui, Henoch.* Unde enim habent, fuiſſe Henochum Caini primogenitum; ejuſque idcirco Nomine nuncupatam eſſe Civitatem, ut illius Primogenitura celebraretur? Fieri quippe potuit, ut ex illius Nomine ædificatam Civitatem nuncupaverit Pater, aut quòd illum plùs cæteris Filiis diligeret, aut alia fortè de cauſſa nobis impervia. Neque enim E. G. Judas primogenitus fuit Jacob, a quo tamen & Judæa cognominata eſt, & Judæi: neque conſequens eſt, Civitatem illam ædificatam fuiſſe, ſtatim atque genitus eſt Henoch; quia duo illa continuatâ narratione conjungit Moyſes: Uxor Caini peperit Henoch; & Cain ædificavit Civitatem: ſiquidem Sacris Hiſtoricis familiare eſt, res tempore diſſitas conjunctim & continuatè enarrare, dum nihil illis occurrit medium, quod narratione ſua dignum exiſtiment. Standum ergo communi Virorum Eruditorum Chronologiæ, qui ædificatæ Civitatis hujus Epocham figunt Anno conditi Orbis quingenteſimo: quo quidem tempore ſatis ex uno Adam propagari potuerat magna Hominum multitudo.

Neque verò mirari ſubit, Adæ Filios Uxores duxiſſe ſuas, quo nec-

necdum tempore Filias ullas ab Adamo genitas legimus Sacris in Literis; quaſi verò ſit inde conſequens, illos ex alio Hominum Genere Uxores ſibi copulaſſe. Non enim propterea nondum genitæ putandæ ſunt Adæ Filiæ, quia earum ortum diſtinctè Scriptura non notat; multa enim ſilentio mittuntur, quæ non idcirco negantur: neque ſolet Scriptura Sacra tota illa prima Ætate Mundi diſtinctas Filiarum Generationes percenſere; propterea quòd ex illis recta Genealogiarum ſeries non ducatur; quod unicum erat Moyſi ſcribenti conſilium.

Longè minùs in Naturæ Legem peccaſſe cenſendi ſunt Adæ Filii, ſi ſuas ipſorum Sorores duxerint in Uxores; quod illos feciſſe neceſſe eſt, rejecto Præadamitarum Syſtemate: quia ad Humani Generis propagationem idipſum Natura tunc poſtulabat; quod factâ nunc propagatione deteſtatur, ac refugit.

Cæterùm, quod de conſtitutis jam Judicibus, antequam Cainus Fratrem occideret, erectiſque ad Portas Civitatum Tribunalibus objiciunt Aliqui, ut magnam ante Adamum Hominum multitudinem Mundum iſtum incoluiſſe colligant, futilius eſt, quàm ut refelli a nobis debeat. Primùm quidem; quia jam ſatis ex antedictis perſpectum eſt, quo tempore Deus Cainum his verbis objurgavit; *nonne ſi bene egeris, recipies: ſin autem malè, ſtatim in Foribus peccatum aderit?* Anno ſcilicet poſt creatum Adamum circiter centeſimo trigeſimo; perſpectum, inquam, eſt, magnam Hominum multitudinem extare potuiſſe, qui tamen ab ipſo Adamo duxiſſent originem. Secundò; quia non eſt omnino certum, Deum Cainum objurgantem iis ipſis verbis uſum eſſe, quibus ad erecta jam in Portis Civitatum Tribunalia alluſerit; *nonne ſi malè egeris, ſtatim in Foribus peccatum aderit?* Fieri quippe potuit, ut Deus generalioribus, ſimplicioribuſque verbis ſit uſus ad nihil penitus alludentibus; ut *nonne ſi male egeris, ſtatim delictum innoteſcet, & debitâ pœnâ plectetur?* aliiſve ſimilibus: Moyſes verò poſt annos ampliùs bis mille hanc ipſam Hiſtoriam deſcribens, quo tempore in Portis Civitatum Tribunalia illa erecta fuerant, ea in Dei ore Cainum objurgantis verba poſuerit, quæ ad hujuſmodi Tribunalia tantillùm alluderent, quòd ex ſui jam temporis uſu eſſent; ut vel hoc pacto a Judæis, in quorum gratiam ſcribebat, uſum jam illum habentibus faciliùs intelligeretur.

Certè Moyſen ea methodo Hiſtoriam ſcripſiſſe ſuam, ut familiares Ætate illa loquendi formulas in Dei ore poſuerit, quanquam eas Deus non uſurpaſſet, ex Hiſtoria Diluvii *cap.* 7. *Geneſeos* deſcripta liquidò conſtat. Tunc enim Deum Noemum alloquentem his verbis inducit Moyſes: *Ex omnibus Animantibus mundis tolle ſeptena, & ſeptena; maſculum, & fœminam: de Animanti-*

mantibus verò immundis duo, & duo, maſculum, & fœminam: ut nempe priora, tranſacto Diluvio, offerret in Sacrificia, non itidem poſteriora; cùm tamen Ætate illâ Animalia Sacrificiis offerendis apta, aut etiam inepta eo mundorum, & immundorum nomine minimè vocarentur; ſed poſt datam duntaxat a Deo Legem; poſt ſcilicet a Diluvio annos ampliùs octingentos, quo tempore Diluvii Hiſtoriam ſcripſit Moyſes, eo nomine vocari cœperint. At de primo illo Præadamitarum Fabulatorum Argumento multis Capitibus conſtante jam ſatis.

Alterum minùs moror adverſæ Sententiæ præſidium, quod ex Regionum Antipodarum inhabitatione repetere ſolent: Quaſi incredibile videatur, potuiſſe Homines ex Adam in Palæſtina procreatos ad Antipodas Regiones primitus pervenire, Oceani immenſitate trajecta: cùm nullum præſertim tam audacis facinoris veſtigium ſeu Sacris, ſeu prophanis in Literis contineatur; ac ſubinde conſequens ſit, Regiones illas Antipodas ab aliis, quàm ab Adæ Nepotibus fuiſſe primitus habitatas.

Reponimus enim, non omnia eſſe ſcripto conſignata: neque fortè neceſſe fuiſſe, ut, trajecto Oceano, Partes illas Adæ Poſteri occuparent. Quis enim certò ſciat, num eandem ab initio Mundi amplitudinem occuparet Oceanus, quam ſubinde, tranſacto Diluvio, occupavit? Non deſunt quippe, qui id negent, quique Mare ex reſiduis Diluvii aquis in immenſum excreviſſe putent, novaque ſubinde, ac propemodum infinita ſpatia occupaſſe: unde effectum exiſtimant, ut modò nonniſi navigio ad Regiones Antipodas iter ſit, cùm antea abſque navigio iter eſſet. Sed & quocumque ſe vertant Præadamitæ, hoc idem ſolvendum illis eſt Argumentum, quod nobis indeſinenter objiciunt. Demus enim quod volunt, alios etiam, quàm ex Adamo, procreatos Homines Mundum iſtum incoluiſſe; illud ſaltem nobis concedere compelluntur, omnes Homines quovis ex ſtipite natos, etiam Præadamitas, ſi fortè fuerint, unâ Noachi exceptâ Familiâ, Diluvio periiſſe; aſſerente videlicet Scriptura Sacra, *conſumptam eſſe Carnem omnem, quæ movebatur ſuper Terram*. Itaque neceſſe fuit (poſt Diluvium ſaltem) Homines ex Noachi Familia procreatos ad Regiones illas Antipodas appuliſſe ex Armenia, ſupra cujus Montes requieverat Arca; cujus tamen tam audacis facinoris veſtigium nullum ſeu Sacris, ſeu prophanis in Literis invenitur.

Jam quartum Momentum ex Prophanorum Scriptorum Authoritate petitum, qui multa ſupra Adamum annorum millia Chaldæis, Ægyptiis, Babyloniis, Americanis, ac Sinenſibus tribuunt, riſum potiùs eliciat, quàm ſcrupulum moveat. Ut quid quæſo velut aquam bibemus quidquid illi de ſua Antiquitate ſtultè, & inani-

inaniter delirarunt? Quantùm a vero procul aberrent, multa evincunt, quæ in anteceſſum tetigimus. Ac primò quidem Divinarum Scripturarum Authoritas, quam ſe venerari Præadamitæ profitentur, Figmentum illud explodit evidentiſſimè: qua liquet, prophanarum Gentium Imperia ex Noemi Nepotibus initia ſumſiſſe: Quamcumque enim Antiquitatem (tametſi fortè Diluvio, ac Noemo ſuperiorem) laudatis Gentilibus tribuere velint Præadamitæ, fateantur tamen neceſſe eſt, illos per Noemum ſaltem, ejuſque Filios deſcendiſſe; cùm, hac una Familia excepta, aquis Diluvii perierint univerſi Homines. Noemus porro primam originem ſuam non ab alio Homine duxit, quàm ab Adamo, quem Deus ipſe efformavit; Adam enim genuit Seth, Seth genuit Enos, Enos genuit Cainam, Cainam genuit Malaleel, Malaleel genuit Jared, Jared genuit Henoch, Henoch genuit Mathuſalam, Mathuſala genuit Lamech, Lamech genuit Noe *Geneſ. cap.* 5. Superiorem ergo Adamo ipſo Antiquitatem Gentilibus, illorumque Imperiis arrogare, Error eſt in Scripturam Divinam patentiſſimus.

Secundò, Fabulam revincit Scriptorum prophanorum de tanta illa Imperiorum Antiquitate mutua Repugnantia; quæ talis profectò, tantaque eſt, ut vix unum Scriptorem alteri conſentientem invenias. Etenim neque cum Alexandro Polyſthore Plinius, neque cum Quinto Curtio Juſtinus, neque cum Herodoto Plato, neque cum Cicerone Vellejus Paterculus mutuò conveniunt; ſed alii plures, alii pauciores annos pro arbitrio ponunt; ut Babelicam inter illos confuſionem intueri mihi videar, quoties illorum Computationes mutuò confero. Erroris hujus fontem fuiſſe arbitror prophanarum Gentium Opinionem ex quibuſdam Philoſophorum ſuorum Libris ebibitam; quòd videlicet Mundum æternum exiſtimarent, ſemperque fuiſſe certò crederent; unde tantam illam Imperiorum ſuorum diuturnitatem fingere de facili pro ſua vanitate potuerunt. Quare ſatius eſt, cum Julio Africano, Euſebio, & Auguſtino hæc omnia putidis Fabulis accenſere; prophanoſque Scriptores, ut iniquos Controverſiæ Teſtes, rejicere; quos fecit nimia Antiquitatis ambitio delirare.

Supereſt Ultimum, quo tueri ſe ſolent Præadamitæ Fabulatores, ex *cap.* 5. *Epiſtolæ ad Romanos* excerptum; ubi Homines *ſine Lege* vixiſſe aliquando, docet Apoſtolus, peccatumque nequaquam Hominibus imputatum eſſe certo aliquo tempore; quòd nulla Lege vetaretur: *Uſque ad legem enim peccatum erat in Mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm Lex non eſſet.* Unde colligere ſibi putant, effluxiſſe tempus aliquod ante Adamum, quo Homines exleges viverent, & peccatorum, quæ perpetrabant minimè rei: quandoquidem, inquiunt, facta ab Adamo computatione, peccatum ſemper eſt Hominibus imputatum.

Verùm

Verùm Apoſtolum de Lege Moſaica ſermonem inſtituiſſe, deque illo tempore, quod ab Adamo ad Moyſen fluxit, clarius eſt, quàm ut multis demonſtrare neceſſe ſit argumentis. Is etenim eſt Scripturæ loquendi modus, ut Lex abſolutè, ac velut antonomaſticè nominetur ea, quæ Judaicæ Genti a Deo per Moyſen data eſt. Ludam operam, ſi Exempla referre velim : *Matth. 5. nolite putare, quoniam veni ſolvere Legem, aut Prophetas* : & *cap. 22. Magiſter, quod eſt Mandatum magnum in Lege?* & *Lucæ 16. Lex, & Prophetæ uſque ad Joannem* : aliaque id genus pene ſexcenta. Dum ergo ſubjungit Apoſtolus, peccatum imputatum non fuiſſe, dum non eſſet Lex illa Moſaica, de eo duntaxat peccato venit intelligendus, quod non Naturæ inſtinctu vetitum eſt ; ſed quod Poſitivâ Lege duntaxat, verbo, ſcriptove datâ prohibetur. Illæ etenim tranſgreſſiones, tametſi in Mundo contingerent ante Moyſen, peccati nihilominus loco non habebantur ; nec ulla iis pœna impendebat, quòd nulla Poſitiva Lex eſſet in oppoſitum conſtituta. Quæcumque autem ex oppoſito proferuntur Exempla peccatorum ante Legem Moſaicam, quæ & imputata, & caſtigata fuere, eorum profectò peccatorum Exempla ſunt, quæ ipſa Naturæ Lege, atque intimo conſcientiæ ſenſu prohibentur ; qualia profectò ſunt Homicidia, Inceſtus, Adulteria, Idololatria, aliaque id genus facinora, quibus dignoſcendis quovis retro tempore ſatis fuit Naturæ lumen ; quibus ſuperandis, vitandiſque Natura ipſa Lex eſt, juxta illud ad Roman. cap. 2. *Gentes, quæ Legem non habent, naturaliter ea, quæ Legis ſunt, faciunt : hujuſmodi Legem non habentes ipſi ſibi ſunt Lex : qui oſtendunt Opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis.*

Unus tamen ſupereſt Scrupulus hic eximendus ; quòd nimirum *Gen. cap. 2.* legatur Præceptum ab ore Dei Adamo impoſitum, ne comederet de Ligno Scientiæ boni & mali : *de Ligno autem Scientiæ boni & mali ne comedas.* Erat itaque & ante Moyſen Lex aliqua, ſin minùs ſcripta digito Dei, ab ejus ſaltem ore prolata. At oportet advertere, Legis nomine non quodcumque privatum Præceptum intelligendum eſſe, ſed Præceptum commune omnibus ; Lex enim non pro privata duntaxat perſona rogatur, ſed pro Gente, vel populo ; & nedum præſentes obſtringit, verùm etiam Poſteros naſcituros. Illud porro Præceptum Adamo ſoli fuit impoſitum ; ita ut illius Poſteri eo minimè obſtringerentur, ut ſentit Abulenſis cum aliis bene multis. Non igitur Præceptum illud veræ Legis nomine appellari poteſt, licèt ab ipſomet ore Dei fuerit prolatum, & Adæ tributum. Sed de his ſatis hactenus dictum. Ad alia nunc procedamus. Et quoniam in eodem ſecundo Capite Geneſeos Hevæ Formationem deſcribit Moyſes, Argumentum iſtud in ſubſequenti Prælectione, auſpicante Deo, pertractabimus.

PRÆLECTIO VIII.

Agitur de Hevæ Formatione; & Literalis de ea Scripturæ Senſus propugnatur.

DE Mulieris Formatione brevem Tractationem habiturus Difficultatem confeſtim aggredior, ne, ſi plus juſto in limine hæſerim, ſatis deinde temporis non ſuperſit Operis conficiendi. Quia porro ſiniſtræ ſuſpicioni locus eſſe poſſet, ſi nos, quibus ex Religioſæ Profeſſionis Inſtituto interdictus eſt Mulierum uſus, prolixiorem de Muliere Tractationem haberemus; idcirco rem totam compendio pertractabimus, & de Muliere ita parcè dicemus, ut ex ipſa ſermonis parſimonia facilè quiſquis intelligat, quàm parùm eo Argumenti genere delectemur.

Mulieris formationem his verbis enarrat Moyſes *Geneſ. cap. 2. Dixit quoque Dominus Deus: Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi ... Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam: cùmque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus Coſtam, quam tulerat de Adam, in Mulierem; & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de Viro ſumpta eſt.*

Dei Mulierem formantis Conſilium primo loco ponit Moyſes, ut videlicet Homo adjutorium haberet ſimile ſibi: adjutorium, inquam, non ad conſilium virilium rerum gerendarum: neque enim Viri ad hæc gerenda Fœminarum conſiliis indigent, cùm eas potiùs conſiliis ſuis dirigere, adjuvare, ac manuducere ipſi debeant, quàm ab illis regi, & gubernari, jubente Apoſtolo, ut *Mulieres ſubditæ ſint Viris ſuis*; quod de civili profectò ſubjectione intelligendum venit; cum quâ quidem dirigendi, ac gubernandi præminentia ſtare nequaquam poteſt: ſed adjutorium ad generationis officium; ad leviora quædam, atque demiſſiora civilia, ſeu domeſtica munia peragenda; necnon ad alendæ tenella in ætate, gubernandæque prolis officia; quibus certè Viri altioribus intenti curis minus apti cenſentur. Neque enim vel tractandis armis, vel excolendis Diſciplinis, vel rebus publicis adminiſtrandis, vel exercendis ad Reipublicæ commodum mechanicis, vel liberalibus Artibus ſunt idoneæ Mulieres; ſed minutiis, quæ Virorum dignitatem plus æquo demitterent, communiter occupantur.

pantur. Si quæ verò aliquando virilia agere pertentarunt, ac etiam præſtiterunt, adeo ut ipſis etiam magnis Viris œquales, imo clariores evaſerint (quod cùm prophanæ, tum Sacræ ſatis produnt Hiſtoriæ) ſingulare hoc illarum Privilegium cenſendum eſt, eo fortè conſilio donatum, ut Viris ipſis exemplo eſſent; quibuſdam etiam mollioribus, & ineptis pudorem ingererent, atque ad Virtutem revocarent : *infirma enim non ſemel elegit Deus, ut fortia confundat*. Verùm cum rarò id contingat, non eſt, cur Dei Conſilium in efformanda muliere Heva in eo ſtetiſſe dicamus, ut adiutorium tale tribuere Viro voluerit, quale ipſi opus eſſe cognoſceret ad ea, quæ peculiaria ſunt Viri, gerenda, atque adminiſtranda negotia.

Notato formandæ Mulieris Conſilio, Formationem exponit Moyſes, ac primò immiſſum ait a Domino ſoporem in Adam. Soporem hunc Ecſtaſim, ſeu mentis Exceſſum appellant Septuaginta Interpretes; ut non naturalem ſomnum, quo ligantur Senſus, ſed Ecſtaticum potiùs extitiſſe ſignificent; cùm & Adam divinitus per ſomnum illuſtratus intellexerit non modò quid fieret, ſed etiam quid ea Mulieris efformatio myſticè ſignificaret; Magnum ſcilicet Sacramentum futuræ aliquando Conjunctionis Chriſti Domini cum Eccleſia juxta celebrem Apoſtoli Sententiam *ad Ephcſios cap. 5. Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*. Myſticum illum Adæ ſoporem eleganter deſcripſit Alcimus Avitus *lib. 1. de initio Mundi:*

Cui Pater Omnipotens preſſum per membra ſoporem
Miſit, & immenſo tardavit pondere Senſus,
Vis ut nulla queat ſopitas ſolvere Mentes;
Non ſi fortè fragor ſecuras verberet aures,
Nec ſi commoto Cælum tunc intonet Axe:
Quin nec preſſa ſuam cæpiſſent membra quietem.

Dormienti itaque Viro, ſeu potiùs in Ecſtaſim rapto Coſtam Deus extraxit, Mulieremque formavit. Cur de Viri Latere formata ſit Mulier, ratio multiplex a Patribus fertur. Prima; ut ex formatione Eccleſiæ formatio intimiùs exprimeretur, quæ de Latere Chriſti in Cruce morientis prodiiſſe dicitur, dum ex illo impii Satellitis Lancea confoſſo fluxerunt Eccleſiæ Sacramenta, juxta Sanctorum Patrum aſſertionem. Secunda; nam ſi Mulier ex Viri capite formata eſſet, Viri Caput diceretur; ſi ex pedibus, Famula: quare illam ex Latere, uti vitæ Sociam, prodire neceſſe fuit. Tertia; ut hoc pacto Uxorem diligere Homo diſceret; ex eâ quippe ſiniſtri Lateris Coſtâ formata creditur, in quam maximè Cor

Homi-

Hominis inclinat : quocirca Marius Victor *lib.* 1. *in Geneſim* canit :

> *Ex Homine effecta eſt Mulier, cognatio quædam*
> *Mutuum & alternum inter ſe ut miſceret amorem,*
> *Semet in alternis cogens agnoſcere membris.*

Una tandem ex uno Viro formata eſt Mulier, ut uni una nubat; initoque Connubii vinculo, neuter Conjugum alteri fidem fallat.

Nulla, quod ſciam, Scripturæ Sacræ Hiſtoria eſt, quam pluribus fabulis interpolarint cum Gentiles, tum Hebræi Tractatores. Hanc primus, ut arbitror, interpolavit Plato in Politico; ubi primum Hominem Androgynum, ſeu Hermaphroditum commentus eſt, quem duas in partes ſecuerit Jupiter, ut duo Corpora ex uno diſſecto ſuccreſcerent. Figmentum hoc Rabbini complures arripuerunt : Rabbi Samuel in *Bereſcith barà*; Maimonides in *More Nevochim p.* 11. *cap.* 30.; ubi (ut refert Nat. Alexand. *art.* 2. *Hiſt. V. T.*) Magiſtrorum Opinionem approbat, qui Adam, & Hevam dorſo conjunctos creatos ajunt; poſtea verò a Deo diviſos.

Hujuſce Figmenti Confutationem non morabor hîc, cùm Scripturæ Sacræ adeo apertè repugnet, ut nihil magis. Hæc quippe Adamum ſolum fuiſſe creatum expreſsè docet : deinde cùm non inveniretur ipſi Adiutorium ſimile, Deum, ut antea dicebam, Coſtam ex ejus Latere tuliſſe, & in Mulierem compegiſſe. Quæ ſanè ruerent, ſi uno, eodemque corpore ſimul compacti eſſent Vir, & Mulier.

Neque huic Commento vel minimè favent, quæ leguntur *Geneſis* 1. *v.* 27. *ad Imaginem Dei Creavit illum; Maſculum, & Fœminam creavit eos* : ſi enim Adamum hermaphroditum, ſeu androgynum ſignificare Moyſes voluiſſet, dixiſſet potius*: Maſculum, & Fœminam creavit illum:* Sed *Maſculum*, (inquit) *& Fœminam creavit eos* : hoc eſt, in Humana Specie duos, Maſculum, & Fœminam efformavit.

At nemo turpiùs eam Hevæ formationis Hiſtoriam interpolavit, quàm Heſiodus in Pandoræ Fabella; qua de re graves in illum Expoſtulationes extant apud Origenem *lib.* 4. *contra Celſum*; S. Cyrillum Alexandrinum *lib.* 3. *contra Julianum Apoſtatam*; Euſebium *lib.* 12. *Præparationis Evangelicæ cap.* 12. Cùm enim Moyſis Libros aſſiduè legiſſet Heſiodus, minùs tamen Sacras illas Hiſtorias intelligentiâ aſſequeretur, quæcumque de Hevæ formatione ſcripta ſunt, partim ex ignorantia, partim ex poetica licentia promiſcuè confudit. Iratum Jovem in Mortales commentus eſt; qui ut illos exitiali quodam, ſed tamen dulci malo puniret, formandam Mulie-

Mulierem Vulcano commiſerit; fallacibuſque pigmentis ornandam Palladi tradiderit; Mercurio tandem vafris moribus, atque dolis imbuendam, & Pandoræ nomine nuncupandam. Quo facto, eventum ait Heſiodus, ut in Mundum omne mali genus ex ea Muliere pullularit.

Nam prius Humano Generi mala nulla fuerunt:
Expers ſolliciti vita laboris erat.
Morborumque aberant vultu pallente catervæ,
Qui ſenium cunctis debile ferre ſolent.
Fœ ina ſed vacuo dum tollit opercula vaſe,
In Mundum peſtis provocat omne genus.

Ludam operam, ſi tam ſtulta exerrantis animi Deliria extundere velim: neque etenim ad hoc dati ſumus, ut quævis de Sacris rebus Poetarum Figmenta magno Argumentorum pondere refellamus; quæ ſua ipſorum vanitate diſſipantur. Quamobrem ad eam nos revocamus Cardinalis Cajetani ſingularem de Hevæ creatione Opinionem confutandam, ut dignam Viris Theologis locemus operam. Cenſet videlicet Vir Eminentiſſimus, quæcumque de Mulieris ex Adami Coſta formatione narrantur a Moyſe, Hiſtoricè, & ſecundùm Literæ ſenſum intelligi nequaquam poſſe; ſed ad Metaphoram, atque Parabolam neceſſariò trahi oportere. Id in præſentia confutare, atque refellere e re noſtra putamus eſſe, utpote verbo Dei minùs conſonum, & Viris omnibus Eruditis minùs probatum.

Et certè ſi Origenem tam graviter reprehenderunt Eccleſiæ Patres, Epiphanius *in Epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum*; Hieronymus *in Epiſtola* 38. *ad Pammachium*; quòd tria prima libri Geneſeos Capita non hiſtoricè, ſed allegoricè fuiſſet interpretatus: imò ſi id inter cauſſas Damnationis ejus recenſuit V. Synodus Œcumenica; quantò minùs excuſandus eſt Cajetanus, qui Narrationem Moſaicam totam ad parabolicum ſenſum hoc loco detorſit?

Hoc idem Cajetani Paradoxum refellit concors Patrum omnium, Theologorumque Sententia, qui ex Adamo revera formatam Hevam ſenſerunt, & Scriptis prodiderunt. Refellit etiam communis Eccleſiæ Catholicæ Senſus, atque Judicium. Et verò D. Hieronymus *in Expoſitione in Epiſt. ad Philemonem*, creationem Hevæ ex Coſta Adami inter ea Dogmata numerat, quæ ſalvâ in Deum Fide negari non poſſunt: *Credidit quiſpiam*, inquit, *in Conditorem Deum; non poteſt credere, niſi priùs crediderit, de Sanctis ejus vera eſſe, quæ ſcripta ſunt: Adam a Deo plaſmatum; Hevam ex Coſta illius, & Latere fabricatam; Henoch translatum;*

Noe

Noe naufrago ſolum Orbe ſervatum. D. Auguſtinus *lib.* 8. *de Geneſi ad literam cap.* 1. diſertè monet, narrationem Moyſis in libro Geneſeos non eſſe genus locutionis figuratarum rerum, ſicut in Cantico Canticorum; ſed eſſe expoſitionem rerum omnium geſtarum: unde & illorum Commentum explodit, qui ex illo duntaxat loco putant incipere Hiſtoricam Narrationem hujus Libri, ex quo dimiſſi de Paradiſo Adam, & Heva convenerunt, & genuerunt. Hoc ipſum confirmat Theodoretus *Interrogatione* 30. *in Geneſim*. Unde & effectum eſt, ut Innocentius III. *Extra de Divortiis cap. Gaudemus*, ea potiſſimùm ratione prohibitum Homini dixerit plures ſimul uxores ducere, quòd ab initio ex una Viri Coſta una Mulier orta ſit: qua ex re minùs efficax peteretur Argumentum, ſi ea Hevæ ex Adami Coſta formatio ſecundùm Allegoriam ſolùm foret intelligenda. Iis omnibus robur addit S. Cyrilli Alexandrini, aliorumque Patrum adverſus Julianum Apoſtatam habita Concertatio Sæculo V. Contendebat ſiquidem Julianus, fabulis accenſenda eſſe, quæ de Mulieris productione narrantur in Geneſi; ſuique Dicti potiſſimam rationem petebat, quòd vix ea ſecundùm Hiſtoriæ veritatem accipi poſſent, quæ a Moyſe recenſentur. Porro Patres, qui oppoſitam Juliano Apoſtatæ viam iniere, ad Allegoricos ſenſus minimè confugere, ut ejus argutias confutarent; ſed ſeruato nativo, proprioque Literæ ſenſu totam illam Moyſis Narrationem confirmarunt: adeo ſcilicet procul erant ab ea Cajetani aberratione. Totus eſt in ea vindicanda Hiſtoria S. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 3. *contra Julianum*, & a Viris ſtudioſis omnino legendus.

Ecquid verò in oppoſitum affert Theologus Eminentiſſimus, ut Paradoxum illud nobis perſuadeat? Attentis animis auſcultemus.

Certum eſt, inquit, Adamum, & Hevam ſimul, eodemque momento eſſe conditos; idque ex primo Capite Geneſeos facilè colligi; ubi cùm dixiſſet Deus: *faciamus Hominem ad Imaginem, & ſimilitudinem noſtram*; continuò addit Moyſes: *Maſculum, & Fœminam creavit eos, benedixitque illis Deus, & ait: creſcite, & multiplicamini*, *Geneſis cap.* 1. Imò verò, inquio ego, certo certius eſt, non uno, eodemque momento conditos eſſe Protoparentes; ſed Adamum primò, tum deinde Hevam. Rei fidem facit Apoſtolus 1. *ad Tim. cap.* 2. *Adam, enim*, inquit, *primus formatus* eſt, *deinde Heva*. Quid amabo explicatius, quid nitidius? Quod ergo ex primo Geneſis Capite dictum apponit purpuratus Theologus, nihil evincit: damus enim, Adamum, & Hevam communiter a Deo formatos; at non eodem temporis momento, nec eodem modo. Siquidem cùm Moyſes eo loco ſextæ Diei Opera com-

commemoraret, ſtrictim, & compendiaria narratione Formationem Viri, & Fœminæ complexus eſt, ut ad Opus illius Diei pertinentem. Verùm abſolutâ Operum omnium, quæ a Deo communiter condita ſunt, expoſitione compendiariâ, Hiſtoriam productionis Viri, & Fœminæ reſumit diſtinctiùs explicandam; declaratque, quàm diverſo modo Utriuſque Corpus a Deo compactum ſit; Viri ſcilicet ex pulvere terræ; Mulieris autem ex Coſta Viri. Quare mirari ſubit, rem adeo perſpicuam altum illud, ac perſpicax Cajetani ingenium latuiſſe. Sed homines ſumus.

Feliciùs non conjectatur Vir Eruditus, dum ex aliis Moyſis verbis præſidium petit; iis ſcilicet, quibus poſt narratam Hevæ Formationem ſubdit, Deum Hevam adduxiſſe ad Adam: unde colligit, Mulierem ex Viro formatam non eſſe; quia ſic juxta Adamum fuiſſet Heva; nec ex alio loco ad eum fuiſſet adducta. At nunquid Deus ex Coſta Adamo dormienti detracta Corpus Mulieris formare non potuit, ubi placuit, aut procul ab Adam, aut extra Paradiſum, ut fert probabilior Opinio? Et eam tandem ad illum adducere, inque Sociam, ac Conjugem dare? Nodum igitur in ſcirpo quærit, quiſquis ad enervandam hujus Hiſtoriæ fidem verba illa corrodit, ac vellicat.

At, inquit Vir ſubtiliſſimus: aut Coſta illa, unde formata dicitur Heva, ex neceſſariis erat coſtis Adæ, aut certè non erat. Si erat ex neceſſariis; eâ ergo ſemel detracta, mancus remanſit Adamus, atque mutilus, utpote unâ coſtâ minutus: ſi neceſſaria non erat, ſed ſuperflua; Monſtrum igitur extitit Adam, antequam ad Hevæ formationem Coſta illa tolleretur, utpote qui ſuperfluis membris, ac partibus coaleſceret. Miror, Eruditiſſimum Angelici Doctoris Interpretem ſuam illam Objectiunculam a ſanctiſſimo Doctore occupatam non obſervaſſe 1. *part. quæſtion.* 92. *artic.* 3. *ad* 2. Ait ſiquidem SS. Doctor, Coſtam illam Adamo, ut ſingulari homini, ac perſonæ peculiari, ſupervacaneam quidem fuiſſe, utpote quæ ad Corporis ejus integritatem minimè pertineret; ſed neceſſariam ipſi fuiſſe, ut erat Principium totius Generis Humani, & quatenus ex ipſo ſecundùm Dei Decretum Heva formanda erat: eo planè modo, quo Semen animale ad perfectionem Generantis pertinet, non prout individuum quoddam eſt, ſed quatenus Speciei propagandæ capax. Porro licet Coſta illa Adamo, ut ſingulari homini ſupervacanea eſſet, non propterea monſtruoſum creatum eſt Corpus ejus; quia cum cæteris ejus coſtis ita cohærebat, & carne, ut

nulla deformitas, nullus inde nævus in Adami Corpore oriretur: nec errore Naturæ, ſed Authoris ejus conſilio cæteris adjuncta fuerat, ut efformando Mulieris Corpori materiam præberet. Eâ etiam detractâ Coſtâ, mutilus, & mancus non fuit Adamus; cùm ad integritatem Corporis ipſius non pertineret; & Deus locum, unde fuerat detracta, carne repleverit, ut dicitur *v.* 21. ejuſdem *Capitis* 2. *tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea*. In ſequentibus de primorum Parentum Tentatione ſermo nobis erit; nec, ut ſpero, injucundus, modò Deus cœptis aſpiret.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO IX.

Moyſis Narrationem de primorum Parentum Tentatione non figuratè, ſed juxta Literæ ſenſum intelligendam eſſe, defenditur.

DE primorum Tentatione Parentum præſenti Exercitatione dum diſputo, ſubintrat hìc rurſus in Scenam Eminentiſſimus Cajetanus; cum quo mihi in antehabitis contentio fuit, dum de Mulieris Formatione diſputarem. Is etenim totam Scripturæ Sacræ de primorum Parentum Tentatione Narrationem non modò ad nudam Allegoriam inflectit; verùm etiam quæcumque de Serpente Tentatore referuntur, nonniſi ſecundùm Figuram accipi poſſe, fidenter pronunciat. Serpentis nomine non Animal aliquod, cujus Organo Diabolus uteretur, intelligendum exiſtimat, ſed Diabolum ipſum eo Nomine per Metaphoram nuncupatum; ejuſque cum Muliere Collocutiones nec externas, nec ſenſibiles fuiſſe putat, ſed internas, ſecretaſque in animo Suggeſtiones, quales nos a malignis Spiritibus experimur, dum ab illis provocamur ad malum.

Errorem hunc cum bona Purpuræ venia oppugnandum aggredimur; palamque oſtenſuri ſumus, eam Moyſis Narrationem de primorum Parentum Tentatione ad nudam Metaphoram trahi non poſſe, ſed juxta nativum Literæ ſenſum intelligi oportere, niſi & Scripturis Sacris, & Patribus palam, apertèque repugnare velimus.

Et certè Serpentem verum illum eſſe, quem Moyſes exhibet Mulieris Tentatorem, verba ipſa plùs ſatis indicant, dum ait: *Serpens erat callidior cunctis animantibus Terræ, quæ fecerat Dominus Deus*; (*Geneſis cap.* 3.) Quæ fruſtra præmiſiſſet Sacer Textus, niſi Serpens ex Animantium illorum terreſtrium numero eſſet, quorum creationem paulò ſuperiùs enarraverat.

Sed & pœnæ genus, qua eum multavit Deus, verum Serpentem fuiſſe declarat, non Dæmonem eo Nomine per Metaphoram nuncupatum, nec ſpeciem evanidam, imaginemque Serpentis, quam Ludificandis Hevæ ſenſibus Diabolus exhibuerit. Cùm enim Heva a Deo increpita, quòd Arboris vetitæ fructum delibaſſet, ac comediſſet, reſponderet: *Serpens decepit me:* Converſus Dominus ad Serpentem ait: *quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia*

animantia, *& beſtias Terræ : ſuper pectus tuum gradieris : & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. Quæ ſanè nec adumbrato Serpenti, nec Dæmoni conveniunt ; ſed terrenæ beſtiæ, & animanti.

Jam verò, ſi Patres conſulamus, perſpectum erit, Cajetanum aut minùs in illorum Sententia inveſtiganda accuratum fuiſſe, aut minùs in ea amplectenda religioſum ; omnes enim Narrationem illam totam, uti veram Hiſtoriam, acceperunt. Otioſi foret hominis, illorum hìc Teſtimonia minutatim recenſere : nonnullos ex Nomine appellare ſufficiet ; Joannem Chryſoſtomum *homilia* 16. *in Geneſim*; Cyrillum Alexandrinum *lib.* 3. *contra Julianum*; Auguſtinum *lib.* 11. *de Geneſi ad literam cap.* 27; Gregorium Magnum *lib.* 4. *Moral. cap.* 9; Joannem Damaſcenum *lib.* 2. *de Fide Orthodoxa cap.* 10. : quibus & ſuum calculum poſuit Doctor Angelicus 2. 2. *quæſt.* 165. *art.* 2. Quare totam præſentis Exercitationis operam locabimus in dirimendis Eminentiſſimi Viri Fundamentis, quibus ad ſingularem illam Opinionem amplectendam adductus eſt.

Primum ex ipſis Serpentis dotibus repetit Cajetanus ; & quæ nos in illum tela contorſimus, hæc ipſa in nos revertit dexterrimus miles. Tentatorem ita delineat Moyſes : *Sed & Serpens callidior erat cunctis animantibus Terræ* : porro, inquit Cajetanus, de vero Serpente, ſi fides Philoſophis habeatur, qui proprietates Animalium ſcrutati ſunt, falſum id eſſe compertum eſt. Quis enim neſciat, Animalia bene multa Serpente callidiora reperiri? Quare (inquit purpuratus Theologus) iſta conſultò præmiſit prudentiſſimus Moyſes, ut Lectori ſignificaret, ſe non de vero Serpente loqui, ſed figuratè, ac metaphoricè de Diabolo Serpentis indolem referente; ſerpendo ſcilicet per interiores Mulieris ſenſus, ut illam veneno ſuæ perſuaſionis inficeret, atque corrumperet.

Verùm, quoddam ſaltem calliditatis genus Serpentibus ineſſe præ cæteris animantibus, nemo negaverit, qui eam ipſam a Chriſto nobis ad exemplum propoſitam obſervabit *Matth.* 10. *eſtote ergo prudentes, ſicut Serpentes*. Et quidem nullum ad tuendam vitam aſtutius Animal inveniri, Experientia docet. Notum illud, ac quotidiano uſu facilè comprobatum, quòd cùm ſaxo, aut ferro ab homine plectitur, totum corpus circumvolvit, ut caput ab ictibus protegat, ex quo totius corporis vita pendet, ac ſalus. Notum & illud alterum, quòd ſiti fatigatus, cùm è latibulo procedit ad aquam, ut bibat, venenum, quo infectam linguam habere ſolet, quaſi expuit, ac deponit ; ne videlicet aquas inficiat, atque corrumpat. Sed & illud mirabilius, quòd ſentiens Carminibus Incantatorum ſe captum iri, ne ea exaudiat Carmina, alteram aurem

terræ,

terræ, vel petræ admovet, atque comprimit, alteram ſuppoſitâ caudâ obturat: quod eleganter deſcribitur a Davide: *Pſal.* 57. *furor illis ſecundùm ſimilitudinem Serpentis: ſicut Aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem Incantantium, & Venefici incantantis ſapienter.* Quidni ergo Serpentem verum ea ratione cæteris animantibus callidiorem Moyſes appellaſſet?

Reſponſum alterum ſubminiſtrat Divus Auguſtinus *lib.* 11. *de Geneſi ad literam cap.* 29., callidiorem appellari Serpentem, inquiens, non ex Naturæ conditione, ſed ex Diaboli poſſeſſione, qui illo ad decipiendam Hevam, tanquam organo, utebatur. Sicut enim prudentem, aſtutamque linguam vocamus, quam prudens, vel aſtutus movet ad aliquid prudenter, aſtutèque ſuadendum; tametſi corporali huic Membro ingenita prudentia, vel aſtutia eſſe non poſſit; ita Serpentem callidiorem cæteris appellavit, quem ad fallendum callidus Hoſtis aptaverat.

Alterum ex Serpentis locutione præſidium petit Cajetanus, ut totam illam Moyſis Narrationem figuratè tantùm accipiendam oſtendat. Quis putet, inquit, brutum Animal cum Heva familiari ſermone locutum eſſe? Quod ſi velimus ſecundum Literam interpretari, Fabulam potius olet, quàm veram Hiſtoriam. Eccur etiam, addit ille, nil Moyſes ſcripſit de acceſſu Serpentis ad Mulierem? Nihil de pavore, atque horrore delicatæ Mulieris ad præſentiam, atque ſermonem Bruti hujuſce animalis? Cum & Moyſes ipſe *Exod.* 4. Serpentis præſentia territus aufugerit; certè ad Serpentis præſentiam inhorruiſſet Heva; ad ejus locutionem obſtupuiſſet; eoque præſertim ex Capite Tentationis fraudem internoviſſet. Ita Vir ſubtiliſſimus.

Res compendio confecta eſſet, eaque Cajetani Obſervatio citò evaneſceret, ſi, quod Joſephus *lib.* 1. *Antiquit. cap.* 2. memoriæ prodidit, veritate niteretur; naturalem ſcilicet Serpenti fuiſſe primitus loquendi Facultatem; ejuſque deinceps privatione multatum eſſe in nefarii Miniſterii pœnam. Multò minus negotium hoc ſuo Argumento faceſſeret Theologus purpuratus, ſi, quod Plato *in Politico* retulit, veræ Hiſtoriæ loco exciperetur; primos nempe Homines aurea illa Ætate cum Beſtiis amica colloquia miſcuiſſe. At hæc omnia fabularum loco nos ducimus, & ſecundæ Difficultati minùs idonea judicamus; tametſi minimè negemus, Animalia quædam eſſe, quæ voces præ cæteris articulatas, & continuatas pronunciare condiſcant, ſeu quadam facilitate naturæ, ſeu linguæ ad voces efferendas meliùs conformatæ beneficio, ſeu quòd præ aliis vehementi vi Imaginativæ polleant, ſeu denique inculcatis frequenter iiſdem vocibus, maximè verò verberibus & ventris inedia compellentibus. Exempla ubivis obvia ſunt: Memorat enim Cælius

Cælius Rodiginus, Alcanii Cardinalis Pſittacum continuata ſerie recitare ſolitum fuiſſe latino Idiomate integrum Fidei noſtræ Symbolum, nullo prorſus admiſſo errore. Notum & illud, Tiberio Principe imperitante, Sutoris cujuſdam Corvum inventum eſſe ita ſermoni aſſuefactum, ut quotidie mane evolans in Roſtra, verſuſque in Forum, Tiberium primò, deinde Germanicum, & Druſum Cæſares nominatim, mox tranſeuntem Populum Romanum ſalutaret. Sed jucundior eſt Macrobii Narratio *lib.* 2. *Saturnalium* de Corvo, quo Octavium Cæſarem ex Actiaco prælio Victorem redeuntem ſalutavit inquiens: *Ave Cæſar Victor Imperator*: cujus officioſa ſalutatio ita illi placuit, ut eam Avem viginti millibus aureorum emerit. Pſittacum pariter, ac Picam, a quibus etiam in hunc modum fuerat ſalutatus, magnâ pecuniâ emit poſt annos aliquot. Quo liberalitatis exemplo ſtimulatum ferunt pauperculum quemdam, ut & ipſe Corvum ſuum Imperatorem ſalutare condocefaceret; qui tædio affectus, quòd in avem duræ cervicis incidiſſet (quæ minùs ſtudiis reſponderet, ac votis) dicere ſolitus erat: *oleum, & operam perdidi*. Edoctus tamen tandem aliquando dictatam toties ſalutationem Corvus ille, cum eam, Imperatore tranſeunte vice quadam, opportunè promeret, diceretque *Ave Cæſar Imperator*, reſpondit Auguſtus alta voce, ſatis ſe Latinum ſalutatorem jam Domi habere: quo poſito, neſcio qua forte Corvi ſubiit memoriam illud, quod ſæpius a Magiſtro ſuo tædio affecto audierat, repoſuitque illico: *oleum, & operam perdidi*. Tunc admiratus Imperator, quòd reſponſo ſuo adeo appoſitè repoſuiſſet Avis illa, emi eam juſſit, quanti aliam nullam emerat. Verùm ſunt hæc, ut ad inſtitutum redeam, ſunt hæc, inquam, innocua locutionum genera, in quibus præter tantillam Naturæ diſpoſitionem, & Artem plurimam nihil invenitur.

Quare iis omiſſis, Serpentem Mulieris Tentatorem Dæmonis arte locutum reſpondeo: uti enim per Energumenos peregrinis interdum Idiomatibus loquitur Diabolus, eorum linguam movendo; ita & per Beſtiarum ora loqui poteſt Dæmon idem, aut etiam bonus Angelus, earum linguas ad voces efformandas aptè movendo. Sic per Aſinæ linguam locutum Angelum Scriptura prodit *Numerorum* 22. Neque deſunt Eccleſiæ Patres, qui Bruta interdum animantia Dæmonis arte locuta Gentilibus fateantur, Deo ita occulto judicio permittente, ut qui Bruta ſæpius colerent, ab iiſdem fallaci ſermone deciperentur. Sic S. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 3. *contra Julianum* excipit, quod Homerus refert, Achillis Equum humano more in voces prorupiſſe, eique mortem prænunciaſſe: quod tamen Homerus Junonis arte factum ſubjungit, Gentilitatis ſuæ præjudiciis occupatus:

Vocem

Vocem illi Juno formatis indidit ulnis.

Bos etiam Romæ locutus fertur, quo tempore Tiberis alveo digreſſus plurima cùm privata, tum publica Monumenta ſubrueret. Simonis Magi Canem locutum narrat Author Itinerarii Sancto Clementi vulgò adſcripti. Non abſimili Dæmonis induſtriâ Idolorum Simulacra, reſque inanimes reſponſa dediſſe, notius eſt, quàm ut in dubium verti poſſit. Quanquam tunc non tam res inanimes loqui cenſeantur, quàm Diabolus ipſe latitans, variâque aeris verberatione vocem edens. Quo pacto Flumen Carſum tranſeuntem Pythagoram diſtinctis verbis ſalutaſſe refert S. Clemens Alexandrinus *in Stromatibus*; Arboremque muliebri voce Apollonium aliquandiu allocutam narrat Philoſtratus in ejus Vita. Quidni ergo, Deo ita permittente, Dæmonem Serpentis organo locutum dicamus; cùm aliàs vel ſola Moyſis verba idonea ſint, quæ fidem pleniſſimam faciant, tametſi nulla alia Exempla ſuppeterent?

Neque verò mirum, Hevam Serpentis congreſſum non horruiſſe, ut objicit Cajetanus; cùm in eo innocentiæ Statu Animalia univerſa, depoſitâ feritate, Homini placidè, obedienterque ſervirent. Ea etiam ratione ad Serpentis colloquium non obſtupuit Mulier delicatula; ſeu quòd illum, Angelo tum bono, tum malo movente, loqui poſſe, certò ſciret, ut alicubi reſpondet Angelicus Doctor; ſeu quòd fortaſſe neſciret Mulier, loquendi Facultatem nulli Animali naturalem eſſe præter Hominem, ut Cyrillus Alexandrinus obſervat *lib.* 3. *contra Julianum*; cùm & rerum novitas, & experientiæ defectus ignorantiam illam, quæ Facti potiùs, quàm juris erat, inferre poſſent.

Reſtat ultimum, unde præſidium accerſit Vir Eminentiſſimus; inflicta ſcilicet pœna Serpenti. Quorſum enim, inquit, ſi ad decipiendos Protoparentes Bruti animalis organo uſus eſt Diabolus, pœnas dabit Animal ipſum? Quam enim partem habere potuit ſtultum Animal, cui non eſt Intellectus, ut & culpam admittat aliquam, & pœnam mereatur? Quare ſubjungit Cajetanus: inflicta pœna, *ſupra pectus tuum gradieris, & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ*, (*Geneſis* 3. *v.* 14.) ſecundùm Metaphoram intelligenda venit, non Bruto animali impoſita, ſed Diabolo ipſi, qui Bruti animalis nomine deſignatur. Neque enim & ſuper pectus repere, & terram comedere Serpentis pœna fuiſſet; cùm id etiam ante tentatum Hominem Serpens ex natura haberet.

Sed neque iſta quidquam movent, aut ad vindicandam Cajetani Sententiam quidquam juvant: quanquam enim Brutum animal, quod in perpetrandi ſceleris inſtrumentum aſſumitur, in reatum nullum incurrat, quippe quod Ratione deſtituitur; in majorem

rem nihilominus ſceleris execrationem pœnas interdum ſubit. Exemplum habemus *Levitici cap.* 20. *v.* 15. *qui cum Jumento, & Pecore cojerit* (inquit Deus) *morte moriatur; Pecus quoque occidite*. Quid hìc magis peccati habet Jumentum inſipiens? Et nunc etiam Beſtiæ, cum quibus contra naturam peccatum eſt, imò & Sues, quæ infantem devorarint, morte plectuntur. Quæ omnia ad crudelitatis, & turpitudinis majorem deteſtationem referuntur; utque Homines a facinoribus magis abſterreantur. Atque ita & hæc Serpentis maledictio, & quaſi punitio hunc finem habuit, ut primi Parentes magis peccati ſui gravitatem agnoſcerent.

Quod ad pœnæ genus attinet *ſupra pectus tuum gradieris, & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ*, non morabor hìc ſcrupuloſiùs, quod Joſephus *lib.* 1. *Antiquit. cap.* 2. memoriæ reliquit, Serpentem initio Mundi pedibus inceſſiſſe, eorumque ſubinde privatione multatum eſſe. Hæc omnia nos inter fabulas recenſemus; cùm Deus propter peccatum, ſeu veriùs peccati occaſione Serpentis naturalia non immutarit, qui nec Dæmonis, nec Hominis Naturam etiam propter peccatum mutatam voluit. Idcirco brevi repono, pœnas illas Serpentis gradiendi ſupra pectus ſuum, & comedendi terram, tametſi ante peccatum Serpenti & gradi ſupra pectus, & comedere terram conveniret ſine probro, & ignominia, in ignominiam tamen, & probrum verſas eſſe poſt peccatum, ob illam Dei Vindicis Malectionem; ut jam nihil Serpente ſit vilius: eo plane modo, quo nuditas, quæ ante peccatum non erat Homini pudenda, vel pœna, pœnæ deinceps rationem obtinuit in Protoparentibus poſt peccatum ab iis perpetratum.

Addit, nec immeritò, D. Auguſtinus *lib.* 11. *de Geneſi ad literam cap.* 36., Maledictionem in Serpentem a Deo prolatam, in Diabolum etiam ſuo modo per Allegoriam, & Figuram recidiſſe; eamque ipſam Allegoriam a Sacro Scriptore potiſſimùm intentam eſſe, ſervata nihilominus, atque retenta Hiſtoriæ veritate. Quemadmodum quæ *Numer.* 21. de Serpente Æneo habentur, quem qui aſpicerent ſanabantur, hiſtoricè de illo Serpente Æneo, qui tunc a Moyſe erectus eſt, intelligenda veniunt; miſticè tamen, & ſecundùm Allegoriam, a Deo ipſo multò magis intentam, de Chriſto pariter intelliguntur.

Jam expoſita primorum Parentum Creatione, tempus eſt, ut de Statu, quo ſecundùm Gratiam conditi ſunt, differamus; graviſſimaſque Controverſias a Scholaſticis Theologis agitari ſolitas expendamus. Erit hoc ſequentis Exercitationis Argumentum.

PRÆ-

PRÆLECTIO X.

Paradiſum Terreſtrem corporeum fuiſſe, ſenſibilem, & aſpectabilem locum in peculiari, ac determinata Terræ, quam incolimus, parte ſitum; non verò tertium Cælum, vel in toto, quà latè patet, terrarum Orbe extenſum, propugnatur.

ABSOLUTIS de primorum Parentum Creatione, ac Tentatione Exercitationibus Academicis, ad Paradiſum voluptatis, in quo a Deo Conditore conſtituti fuere, ſponte ſuâ feſtinat Oratio. De hoc tacere nequaquam poſſumus, ne primæve felicitatis Statum parvi pendere videamur; nec diu de eo loqui ſatis expedit, quem brevi temporis intervallo Protoparentes noſtri tenuerunt. De eo ergo ita ſermonem temperabimus, ut illum nos aliquando in Protoparentibus incoluiſſe meminerimus, & ab illo nos in iis excidiſſe fatali jactura recordemur.

Sacrum illum primævæ felicitatis Locum ita paucis deſcribit Moyſes *Geneſ.* 2. *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis a principio: in quo poſuit Hominem, quem formaverat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave: lignum etiam Vitæ in medio Paradiſi, lignumque Scientiæ boni, & mali. Et Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui inde dividitur in quatuor Capita. Nomen uni Phiſon: ipſe eſt, qui circuit omnem Terram Hevilath, ubi naſcitur aurum: & aurum Terræ illius optimum eſt, ibique invenitur Bdelium, & Lapis Onychinus. Et nomen Fluvii ſecundi Gehon: ipſe eſt, qui circumit omnem Terram Æthiopiæ. Nomen vero Fluminis tertii, Tigris: ipſe vadit contra Aſſyrios. Fluvius autem quartus, ipſe eſt Euphrates.*

Loci hujus amœnitatem ad invidiam pene deſcribunt Eccleſiæ Patres; maximè verò Tertullianus *Lib. de judicio Dom. cap.* 8; Baſilius Magnus *Hom. de Paradiſo;* S. Joann. Chryſoſt. *Homil.* 14. *in Geneſ.*; S. Ambroſius *Lib. de Paradiſo;* S. Auguſtinus *Lib.* 2. *de Geneſ. contra Manichæos cap.* 19. & 20.; ubi tamen Paradiſi delitias ad Allegoriam etiam trahit; Sanctus Joannes Damaſcenus *Lib.* 2. *de Fide Orthodox. cap.* 11.: quibus ſingularis elegantiæ flore ſubſcribit Alcimus Avitus *in Carm. de peccato Originali Lib.* 1.:

Hic Ver aſſiduum Cœli clementia ſervat,
Turbidus Auſter abeſt, ſemperque ſub aere ſudo
Nubila diffugiunt, jugi ceſſura ſereno.
Nec poſcit natura loci, quos non habet, imbres:
Sed contenta ſuo dotantur germina rore.
Perpetuò viret omne Solum, terræque nitentis
Blanda nitet facies: ſtant ſemper collibus herbæ,
Arboribuſque comæ: quæ cum ſe flore frequenti
Diffundunt, celeri ſolidant ſua germina ſucco:
Nam quidquid nobis toto nunc naſcitur anno,
Menſtrua maturo dant illic tempora fructu.
Lilia perlucent nullo flaccentia Sole,
Nec tactus violat violas, roſeumque ruborem
Servans perpetua ſuffundit gratia vultu;
Sic cum deſit Hiems, nec torrida ferveat Æſtas,
Fructibus Autumnus, Ver floribus occupat annum.

Neque verò putandum, ſolis Eccleſiæ Patribus, aut etiam ſolis Hebræis, quibus tradita ſunt Eloquia Dei, Paradiſum voluptatis innotuiſſe. Peregrinum in prophanorum Scriptorum lectione eſſe oportet, qui non videat, Paganos ipſos Moſaicam illam Narrationem defloraſſe, ſuoſque in Codices transfudiſſe, quæ de primorum Parentum felicitate initio Geneſis enarravit. Ecquis enim neſciat, ex Paradiſo Terreſtri confictum ab Homero Hortum Alcinoi, uti planè demonſtrat S. Juſtinus Martyr *in Cohortatione ad Græcos?* Quis ignorat, Hortum Jovis a Platone deſcriptum ex hujus Horti Allegoria expreſſum eſſe, uti jampridem obſervavit Euſebius *Lib. 12. Præpar. Evang. cap. 11.?* Quis non videat, auream Saturni Ætatem, a Poetis tam multis, ac præſertim ab Heſiodo, & Ovidio ingenioſè deſcriptam, ad primævæ hujus felicitatis imaginem expreſſam eſſe; quod & jam tertio Chriſtiani Nominis Sæculo probavit Origenes *Lib. 4. contra Celſum?* Ut planè perſpicuum ſit, prophanos ipſos Scriptores inſignes Moyſis plagiarios extitiſſe, ſuoſque ex ejus Libris hortos non mediocriter irrigaſſe.

Duo tantùm impræſentiarum quærere juvat, quæ noſtri potiſſimùm Inſtituti videntur eſſe; primum; num Paradiſus voluptatis corporeus quidam locus fuerit, oculis, ac ſenſibus ſubjectus; an potiùs quæcumque in Moſaica Paradiſi deſcriptione referuntur, miſſa Literæ proprietate, ſecundùm meram Allegoriam accipi debeant? Alterum; an ſingularem quamdam Terræ partem occuparit Paradiſus an toto terræ Orbe diffuſus eſſet?

Quod primum agitandæ Controverſiæ Caput attinet, fuere non pauci, iique magni Nominis Viri, qui nihil non allegoricum in hac

hac tota Moyſis Narratione ſubodorati ſunt. Horum Chorum ducit Philo Judæus *Lib. de Opificio Mundi*, de quo Photius *in Bibliotheca* ſcribit, *allegoricam exarandæ Scripturæ rationem omnem ab illo, tanquam fonte, in Eccleſiam promanaſſe*. Illum non longo ſecutus eſt intervallo Origenes Adamantius, qui, poſthabitâ prorſus Moyſis Literâ, Paradiſi Terreſtris enarrationem ad meras Allegorias detorſit. Is etenim Paradiſum non in Terra, ſed in tertio Cælo poſuit; ad quod ſcilicet raptus eſt Paulus: plantatas in eo Arbores Virtutes Angelicas interpretatur: Flumina Paradiſum irrigantia aquas illas eſſe putat, quas ſupra Firmamentum ſitas Scriptura memorat: nec demum veretur, illos velut Idiotas ſugillare, qui Deum velut Agricolam arbores plantaſſe ſibi putant.

Cæterùm ſtat ex oppoſito Patrum Cohors, qui Origenem ex Inſtituto, & data opera confutarunt: S. Methodius apud Epiphanium *Lib. 2. Hæreſ. hæreſ. 64.*; Epiphanius ipſe *in Anchorato*; Hieronymus *Epiſt. 38, ad Pammachium*; & *in Commentariis ad Caput 10. Danielis*; Ambroſius *Lib. de Paradiſo*; Sanctus Joannes Chryſoſt. *Homil. 13. in Geneſim*; Theodoretus *Interrogatione 25. in Geneſim*; Auguſtinus *Lib. 8. de Geneſi ad literam cap. 1.*; Joannes Damaſcenus *Lib. 2. de Fide Orthod. cap. 11.*; & alii bene multi, quorum Teſtimonia minutatim recenſere longum eſſet.

Et quidem, tametſi ea Scripturæ pars, quemadmodum & aliæ pene omnes, allegoricum ſenſum induere poſſit; Literæ nihilominùs fidem integram, tectamque ſervare debet, ne Divini verbi veritas excidat. Multa quippe a Moyſe obſervantur, quæ Paradiſum & ſenſibilem, & oculis aſpectabilem locum eſſe ſatis innuunt, & proprium Literæ ſenſum neceſſariò poſtulant. Explicatiſſimum illud imprimis, quod *verſu 9. Geneſ. cap. 2.* legitur: *produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave*: quibus verbis & lignum ſenſibiliter aſpectabile, & fructum, qui manducari verè poſſet, ſignificari, nemo non videt: quod etiam tertii Capitis verba demonſtrant, ubi dicitur: *vidit igitur Mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit v. 6.* quæ ſi ſecundùm Metaphoram duntaxat acciperentur, tota de primi Parentis peccato Eccleſiæ Fides excideret.

Accedit & illa quatuor Fluminum e Paradiſo voluptatis ſcaturientium deſignatio; quæ Literalem ſenſum neceſſariò poſtulat. Horum quippe duo, Tigris ſcilicet, & Euphrates, ſuis etiam hodie nominibus cognoſcuntur. Iſtud in Armenia ortum paulò poſt Aſſyriam perlabitur, quam ab Orientali ſui parte abluit: illud Meſopotamiam, finitimaſque Regiones decurrit. Cætera duo, Phiſon, & Gehon, pro Gange, ac Nilo ab aliquibus accipiuntur.

 Porro

Porro, ſi Flumina vera ſunt, ac minimè figurata, quidni etiam & alia de Paradiſo enarrata?

Demum Adamus extra Paradiſum conditus dicitur, tum in illum inductus, ac tandem ab eodem in peccati pœnam ejectus: quæ omnia Paradiſum locum corporeum, ac terreſtrem eſſe, plùs æquo demonſtrant. En quod primum propoſitæ Difficultatis Caput attinet de Paradiſo corporeo, ſenſibili, aſpectabili.

Non abſimili facilitate confutantur, qui Paradiſum Terreſtrem non locum aliquem peculiarem eſſe putant, ſed eo nomine univerſam Terram floribus, & arboribus in prima ſui creatione conſitam intelligi fabulantur. Quorſum enim, ſi ita eſt, Paradiſum in Oriente ſitum dixiſſet Moyſes, cum Terra, qua latè patet, æque ad Orientem, Occidentem, Aquilonem, atque Meridiem diffundatur? Quorſum Adamum e loco, in quo conditus erat, in Paradiſum adductum, ac tum ab eodem ejectum ſignificaſſet? An enim e terræ Globo ejectus Adamus fingi poteſt? Quorſum poſt ejectum Adamum poſitus eſt a Domino Cherubinus, ut Mortales a Paradiſi ingreſſu procul arceret? An enim a Globi terreſtris ingreſſu arceantur Homines? Quorſum Deus Fluvium e Paradiſo voluptatis egreſſum univerſam Terram irrigare monuiſſet, ſi Terram ipſam univerſam Paradiſus occupaſſet? Sit certè non ſolùm Mente, ſed & Senſu captus oportet, qui hæc pertinaciter propugnaverit.

Jam quid Origeni, cæteriſque Fabulatoribus ad ea, quæ confutavimus, ſtatuenda ſuus Genius aſpiraverit, videamus. Stolidæ, & ignaræ nugacitatis eſt, inquit Origenes, Hortum a Deo floribus, & arboribus conſitum effutire, quaſi is Orbem condens Agricolam egerit. Quaſi verò Deum agricolam ſibi fingere neceſſe ſit, ut Hortum plantaſſe dicatur; tanquam is ſecundum rei hortenſis leges, & inſtar Alcinoi, Arbores in quincuncem direxerit; Buxum, ne liberè creſceret, ad formam ſecuerit; Vites adrepentes tignis in fornicem compoſuerit, areis etiam probè deſcriptis, & admota operi manu. Abſit, ut iſta fingamus: Paradiſum Imperiali voce, ac nutu solùm a Deo plantatum, ſeu conditum propugnamus, dum ait: *germinet Terra herbam virentem, & facientem ſemen .... & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, Geneſis* 1. *v.* 11. Qua in re tantùm abeſt, ut quidquam Divina Majeſtate indignum reperire liceat, quin potiùs ſupremæ Virtutis, ac Dignitatis argumentum reſplendeat.

Verùm, addit Vir eruditus, Moyſen *cap.* 3., Deum repræſentare deambulantem *in Paradiſo ad auram poſt meridiem*; quod certè ſecundùm figuram dictum eſt; cùm Deus (utpote qui Spiritus eſt) obambulare non poſſit. Rectè id quidem; eſt illa profectò lo-

locutio figurata : at quis etiam neſciat, conſequens non eſſe, ut integra Narratio ad Allegoriam flectatur, propterea quòd in ea quædam fortaſſis occurrant, quæ nonniſi per Allegoriam dicta ſunt; cùm veris plerùmque Hiſtoriis nonnulla figuratè dicta interſerantur? Rei exempla dedimus jampridem, dum de Auguſtini Sententia diceremus, qua Mundum brevi temporis tractu conditum voluit. Sic narratio (inquiebamus) de Lazaro mendico, & divite Epulone, *Lucæ cap. 16.*, Judicio Sanctorum Patrum Hiſtorica eſt, extititque re ipſa in vivis aliquando mendicus nomine Lazarus, qui de micis e Divitis menſa cadentibus ſaturari cupiebat : attamen nonniſi ſecundùm Allegoriam accipi poteſt, quod eadem in Hiſtoria legitur, divitem Epulonem in Inferno tandem ſepultum Abraham compellaſſe, ut Lazarum e ſuo ſinu mitteret, qui intincto in aqua digito linguæ ejus ardorem reſtingueret. Non abſimiliter, inquiebamus : Hiſtorica plane Narratio eſt de Rege Achab Lib. 3. *Reg. cap. 22.* : non id tamen obeſt, quominùs aliquid inſertum legatur, quod nonniſi ſecundùm Allegoriam accipi poteſt; quale eſt Concilium a Deo in Cælis habitum cum Angelis ſuis, ubi Diabolus comparuerit, expoſueritque, quid demum facturus eſſet, ut deciperet Achab. Nihil itaque vetat, Hiſtoriam Paradiſi Terreſtris ſecundùm Literam accipi, per Figuram tamen, & Tropum intelligi, quòd de Dei deambulatione ibidem obiter inſcriptum eſt.

Quidni quoque dicamus, Deum humana ſpecie indutum, qua ſe Protoparentibus viſibilem exhibuit, aut etiam Angelum in aſſumpto corpore Dei vices agentem in Paradiſo Terreſtri deambulaſſe; ut & illa quoque Narrationis Moſaicæ pars ſecundùm Literam accipiatur?

Sed neque feliciùs conjectatur Origenes, dum Apoſtoli locum in ſuæ Cauſſæ præſidium uſurpat 2. *ad Cor. cap. 12.*, ubi Paulus ſe ad tertium uſque Cælum, quod & ibidem Paradiſum appellat, raptum ait; unde Paradiſum voluptatis tertio in Cælo conditum colligit Adamantius, atque idcirco minimè aſpectabilem fuiſſe contendit. De altero quippe Paradiſo, quàm Terreſtri, locutum Apoſtolum Patres docent; qui illum vel in Cæleſtem Patriam, ubi Dei Conſpectu Animæ perfruuntur, raptum exiſtimant; vel in quemvis locum alterum, ubi arcana Dei deguſtaverit, translatum opinantur. Et quidem uſque adeo illud Origenis Interpretamentum abſonum eſt, ut etiamſi Paradiſum Terreſtrem myſticè ſumendum putaremus, nunquam tamen tertium Cælum Paradiſi Terreſtris nomine deſignari crederemus. Quis enim Bruta omnia animantia in tertium Cælum ad Adamum adducta ſibi fingat, ut ea omnia propriis nominibus inſigniret? Quis e tertio Cælo Flumina

mina univerſam Terræ faciem irrigantia erumpere fabuletur? Quæ tamen omnia de Paradiſo Terreſtri Moyſes narrat. Nihil itaque eo Origenis Adamantii Figmento abſurdum magis.

Unicum ſupereſt adverſus alteram ſtatutæ Aſſertionis partem, quod nobis non leve negotium diu, multùmque faceſſivit; unde conjici poſſe videtur, Paradiſum Terreſtrem non aliquo ſingulari loco contentum fuiſſe, ſed univerſum potius Orbem prima ſui creatione complexum eſſe. Enim verò quatuor Flumina primam e Paradiſo originem duxiſſe Moyſes ait; Phiſon, ſeu Gangem (ut quidam putant) Gehon, hoc eſt, Nilum (ut pariter Aliquibus placet) Tigrim demum, & Euphratem, quibus ſua ſuperſunt primigenia Nomina: at impoſſibile videtur omnino, Flumina quatuor ampliſſima, longè a ſe invicem diſſita, & adverſo etiam alveo decurrentia (quod notandum magis) communem ab uno, eodemque privato loco originem petiiſſe. Ganges quippe in intima India fluit ab Euphrate, & Tigri, ultra quàm dici poteſt, remotiſſimè; Nilus in extrema Africa ab Auſtro in Septentrionem decurrit; Euphrates autem, & Tigris a Septentrione in Auſtrum. Qua ſorte itaque fieri poteſt, ut ab uno, eodemque privato loco ſuam originem derivarint?

Gravis equidem Difficultas, quæ magna etiam torſit Ingenia; at eam pervidit, & occupavit Doctor Angelicus 1. *part. quæſt.* 102. *artic.* 1. *ad* 2.; ubi docet, Flumina illa quatuor ſtatim e Paradiſo egreſſa Terræ viſceribus excepta eſſe, ubi occultis meatibus Terram ſubtus diu fluunt, ac demum in remotis, diſſitiſque Regionibus rurſum erumpunt; ſic ut prima illorum ſcaturigo nos lateat, nec niſi ſecunda comperta ſit. Quo fit etiam, ut adverſis alveis fluere poſſint, cum jam novam, atque diſtinctam originem habeant.

Reſponſum hoc ex SS. Patribus mutuatus eſt Doctor Angelicus; ex S. Auguſtino *Lib.* 8. *de Geneſi ad lit. cap.* 7.; ex Theodoreto *Interrogatione* 29. *in Geneſim*; ubi & rationem aſſignat, cur ita permiſerit Deus; ut videlicet ſuperfluam hominum curioſitatem amputaret Paradiſi Terreſtris locum retegendi: ſi etenim paterent illorum Fluminum meatus omnes, primaque ſingulorum ſcaturigo, certè eorum Ripas longo veſtigio proſecuti nonnulli locum Paradiſi, quem occultum Deus Mortalibus eſſe voluit, attingere conarentur, ac re ipſa tandem aliquando poſt longum iter forſaſſis attingerent.

Quanquam tamen & id citra Miraculum, & ſecundùm Naturam evenire potuit, ut Terræ ſtatim meatibus quatuor illa Flumina abſorberentur, ſubtuſque diu fluerent antequam ſecundò erumperent; quod aliis permultis Fluminibus accidere narrant Lu-

canus,

canus, Plinius, Strabo, & alii naturalium rerum Scriptores bene multi; quin etiam nonnulla reperiri Flumina, quæ ſubtus Mare defluant, ac demum ſalvâ aquarum dulcedine erumpant, ſolitoque alveo decurrant, Scriptores aliqui referunt. Quid ergo iſtud in hiſce quatuor Paradiſi Fluminibus demiremur?

Si quibus ea Reſponſio minùs placet, tametſi tot Adſtipulatorum authoritate confirmata, altera facilè ſuppeteret, qua tota objecta Difficultas evaneſcet: per Diluvium ſcilicet horum Fluminum origines, & alveos priſtino loco motos eſſe; aliòque demum fluere, quàm primitùs cœperunt. Reſponſum hoc inſinuat Theodoretus *Interrogatione* 29. in Geneſ.

Quanquam tamen vos admonitos volo, eam de Phiſon, & Gehon fluminibus Interpretationem Viris eruditis, atque in Biblicis Diſſertationibus vel mediocriter exercitatis minimè noſtris hiſce temporibus arridere. Quapropter tota prolati Argumenti vis evaneſcit, dum Flumina illa duo a Gange, & Nilo alia prorſus eſſe definiunt.

De Paradiſo Terreſtri, qualis primitus fuerit, ſatis diximus: Jam an ſuperſit etiamnum; an autem aquis Diluvii ex integro vaſtatus exciderit, proximâ Exercitatione diſputabimus: graviſſimamque Difficultatem per tot hactenus ſæcula a Curioſis omnibus agitatam, necdum penitus eliquatam, favente Divino Numine, reſolvemus.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO XI.

Incertum omnino eſſe, an Paradiſus Terreſtris etiamnum extet, definitur.

QUÆ ſolet Exulibus ineſſe amiſſæ Patriæ recordatio, amara quidem, ac triſtis, eadem illa de Paradiſo Terreſtri Viris omnibus religioſis, ac piis inſidet. Quo ſtatu res Patriæ ſint, qua fortuna ferantur, quid in amicorum laribus immutatum, quid Caſus novi tulerit, quæritare ſolliciti ſolent quotquot extorres a Patria procul abſunt. Sic & nos, quos a Paradiſo Terreſtri exules egit Protoparentum inobedientia, quo ſtatu demum poſita ſit amiſſæ priſtinæ felicitatis Inhabitatio, qua fortuna jactatum primævæ innocentiæ Domicilium, diligentiùs inveſtigamus. Verùm quia nullos reperire eſt, qui ad nos uſque iter fecerint, vix quidquam certi de veteri Patria ſcire poſſumus. Sunt qui extare etiamnum contendant, eodem cultu, atque ornatu: alii periiſſe nunciant, & aquis Diluvii olim immerſam eſſe, atque deletam. Quid inter hæc adverſa nuncia ſtatuemus? Quibus integram fidem dabimus? Agemus quod Virorum prudentum eſt in eo repugnantium Teſtium conflictu: nulli credemus; nulli præſtabimur fidem; ac de illa curioſorum Hominum toties ventilata Controverſia ita demum pronunciabimus: Extet ne in hanc diem Paradiſus Terreſtris, an autem re ipſa perierit, perinde obſcurum, & incertum eſt: affirmare pertinaciter, ac negare, ex æquo periculoſum. Quod utique demonſtrare facile erit, ſi quàm levibus Argumentis utraque Sententia nitatur, ad oculum oſtendamus.

Ac primò quidem, quàm facilè deludantur, qui Paradiſum Terreſtrem etiamnum extare perſuaſum habent, ineluctabiliter demonſtramus, diſiectis munitionibus, & aggeribus, quibus ea Sententia vallatur.

Murus illis, & antemurale eſt Oraculum *Eccleſiaſtici cap.* 44. *Henoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in Paradiſum*. Ex quo colligere ſibi putant, extare etiamnum Paradiſum; cum ad illum translatus Henoch aſſeratur. At id perperam, & incaſſum. Colliggant, ſi lubet, extitiſſe Paradiſum, quo tempore in illum tranſlatus eſt Henoch; bene erit: cæterùm cum ſexcentis circiter annis ante Diluvium translatus Henoch aſſeratur, quidni quoque fieri potuit, ut tunc quidem Paradiſus extaret; ſubinde tamen inundante

dante

dante Diluvio perierit; atque idcirco in hanc uſque diem minimè perdurarit? Quidni quoque dicamus, Paradiſi nomine, in quem translatus eſt Henoch, non Paradiſum Terreſtrem, de quo quærimus in præſentia, ſed quempiam alterum locum amœnum Mortalibus impervium ſignificari? Eo quippe nomine amœna plerumque loca in Scripturis deſignari legimus: ſic *Geneſis* 13. univerſa Regio Jordanis Paradiſus Domini nuncupabatur, antequam Sodoma, & Gomorrha ſubverterentur: ſic *Canticorum* 4. legimus: *Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum* .... Quocirca Rupertus Abbas *Lib.* 3. *Comm. in Geneſim cap.* 33. eos ſeveriſſimè carpit, qui aliquod ex ancipiti illo Vocabulo ad Fabulam iſtam venditandam præſidium arripiunt, ſcribens: *nuſquam Scriptura dat intelligi, quòd illos* (ſcilicet Henoch, & Heliam) *Deus tulerit in ipſum Paradiſum, ubi comederent de ligno vitæ, & viverent in æternum: ſed ita ſublati ſunt, ut in ſecreta quadam Terræ Regione ducerentur, ubi in magna carnis, & ſpiritus quiete viverent, quouſque ad finem Mundi redeant, & mortis debitum ſolvant.*

Et quidem non adeo explicatum eſſe eum Eccleſiaſtici locum, ut ex illo certi quidpiam extundi poſſit, liquet veterum Patrum Teſtimonio; maximè verò S. Joannis Chryſoſtomi, & Theodoreti: quorum prior *Homil.* 21. *in Geneſ.*; alter *Quæſtione* 45. *in Geneſ.* incertum prorſus eſſe docent, quònam Deus Henochum tranſtulerit; ubi, & quomodo vitam ducat. Quod ſanè nunquam illis venitſet in mentem, ſi adeo eliquatum illum Eccleſiaſtici locum exiſtimaſſent. Quid etiam, quod Vox illa *in Paradiſum* a Græco Textu, qui tamen in Libro Eccleſiaſtici primigenius eſt, procul abeſt; nec aliud in eo legere licet, quàm *Henoch placuit Deo, & translatus eſt?* Alia ergo, ſi lubet, alia Divinationis ſuæ præſidia quærant, niſi turpiter ex acie decidere velint.

Jam quid ex Patribus ad ſuum illud Aſſertum muniendum arceſſant, perpendamus. S. Irenæum imprimis oſtentare ſolent, qui *Lib.* 5. *cap.* 5. *adverſus Hæreſes* non modò Henochum, ſed etiam Eliam, qui Diluvio longè poſterior eſt, in Paradiſum Terreſtrem translatos ait; atque ibidem ad hanc uſque diem Cæleſtem vitam degere diſertè docet; quin etiam (quod notandum magis) id ab Apoſtolorum Diſcipulis traditum atteſtatur.

Addunt S. Juſtinum Martyrem *Quæſt.* 85. ad Orthodoxos; S. Athanaſium *in Epiſtola de Decretis Nicænæ Synodi*; S. Iſidorum *Lib. de vita, & obitu Sanctorum*; Hieronymum *Epiſt.* 61. *ad Pammachium*.

Verùm & hæc omnia minùs urgent, ſi non curſim, & defunctoriè perpendantur. Irenæum imprimis quod attinet, dicam libe-

riùs (ſalvâ, quæ tanto Nomini debita eſt, reverentiâ) me adduci haud poſſe, ut in re hacce illius Suffragium excipiam. Fortaſſis Traditio illa (quam ſe ab Apoſtolorum Diſcipulis, quorum unus Papias fuit, habuiſſe teſtatur *cap.* 5., & 31. *Lib.* 5. *adverſus Hæreſes*) in æquivoco laboravit, non ſecus ac alia, quam ibidem exponit, de Juſtis cæteris, quorum animæ ſolutæ corporibus in Paradiſo Terreſtri extremi Judicii diem expectaturæ dicuntur, ut Dei aſpectu fruantur. Æquivocatio porro in eo ſita eſſe potuit, quòd Paradiſi Terreſtris nomine (quantum attinet ad Henochum, & Eliam) non quidem illum, in quo fuit Adam, Apoſtolorum Diſcipuli intelligendum voluerint, ſed alium quempiam fortè locum terreſtrem, ubi Deo in perfecta Charitate conjuncti ſancti illi Viri, Divinæ contemplationi aſſiduè vacantes, Cæleſtem quamdam, & Paradiſi propriam vitam agerent, periculis nullis obnoxiam, nullis Naturæ corruptionibus vitiatam, humanarumque penitus miſeriarum expertem; qualem profectò Protoparentes in Paradiſo voluptatis duxiſſent, ſi in accepta innocentia perſeveraſſent. Hinc fieri fortaſſe potuit, ut Irenæus Diſcipulorum illorum Effatum, quod de Juſtis illis duobus (Henoch, atque Elia) in alio prorſus ſenſu intelligendum pronunciaverant, de Juſtis aliis etiam prolatum crediderit; ita ut, quemadmodum Prophetæ illi ad extremum uſque Mundi tempus eo in loco vitam feliciter ducturi eſſent; ita & cæteri Juſti pari modo uſque ad univerſalis Judicii diem fuiſſent præmium expectaturi: nondum etenim ab Eccleſia hujuſmodi Error, qui Millenariis etiam adſcriptus fuit, quique ex Patribus, præſertim Græcis, plures habuit Patronos (ut apud Eruditos in comperto res eſt) fuerat ſolemni ritu proſcriptus. Quandoquidem id duntaxat contigit in univerſali Synodo Florentina, anno circiter milleſimo quadrigenteſimo trigeſimo nono ſub Eugenio IV. celebrata, ut notat Franciſcus Fervardentius *ad cap.* 31. ejuſdem *Lib.* 5. Irenæi *adverſus Hæreſes*; qui quidem annus fuit poſt Irenæum circiter milleſimus ducenteſimus ſexageſimus. Id ni dicamus, alterutrum affirmare cogemur; nimirum, vel univerſalem Eccleſiam in Spiritu Sancto congregatam erraſſe in damnanda Doctrina ab Apoſtolorum Diſcipulis tradita; quod quidem impium eſſet aſſerere; vel mendacem fuiſſe Irenæum in ejuſmodi Traditione aſſerenda; quod inexcuſabilis temeritatis piaculum foret. Scio, Aliquos Traditionem admittere, eâque deceptum Irenæum contendere: ſed Traditionis authoritatem reſpuere; propterea quòd Papias, ejuſque Sodales Joannis Apoſtoli verba perperam intellexerint, ingeniique fuerint admodum tenuis. Sed undè hoc probent, non video; atque idcirco id affirmare omnino non audeo.

Cæterorum Patrum objecta Teſtimonia minùs cogunt, tum quòd adver-

adverſis aliorum Patrum oppoſitum ſentientium Teſtimoniis oppugnentur; tum quòd fallacibus ad id aſtruendum Momentis adducti videantur. De ſingulis pauca dicam.

Ac Juſtinum quod intereſt, perperam ille producitur in oppoſitum: ejus quippe non ſunt Quæſtiones ad Orthodoxos, e quibus objectum Teſtimonium petitur, ſed Authoris admodum recentioris, uti Viri Criticæ Scientiæ periti ſatis norunt. Nec feliciori calculo annumeratur Iſidorus, cujus venerando Nomini ſuppoſitus eſt Liber *de vita & obitu Sanctorum*, unde præſidium petunt: qua de re legendus eſt Cardinalis Baronius in Annalibus *ad annum* 816. & in Notis ad Martyrologium Romanum *ad diem* 1. *Maji*, & 25. *Auguſti*. Athanaſius, & Hieronymus Paradiſi ſuperſtitis Sententiam aliis minùs probatis Opinionibus cumulant; atque idcirco fidem minùs integram hacce in re faciunt. In illum enim Paradiſum non ſolum Henochum translatum ajunt; verùm etiam Paulum Apoſtolum illò raptum exiſtimant, dum in tertium Cælum elatus audivit arcana verba, de quibus ipſe in Epiſtola ſua ad Corinthios ſcribit: Latronem etiam pœnitentem in eundem Paradiſum ſublatum opinantur, de quo Chriſtum locutum fuiſſe volunt, dum in Cruce pendulus ait: *hodie mecum eris in Paradiſo*: quæ duo, nemo eſt, qui ex Divinis Scripturis facilè non revincat. Paulum enim non in Paradiſum terreſtrem, ſed Cæleſtem raptum eſſe, Scriptura clamat; nec ut deliciis corporalibus, quales in illo dicuntur eſſe, frueretur, ſed ſpiritualibus; utque verba arcana audiret, quæ non licet Homini loqui. Latro quoque pœnitens in eum Paradiſum, ſeu veriùs in eum locum traductus eſt, in quem Chriſtus triduo mortis deſcendit. Nemo verò dixerit, Chriſtum eo triduo in Paradiſum terreſtrem tranſvolaſſe. De Tertulliano, qui etiam in ejuſdem Sententiæ patrocinium adducitur, res in propatulo eſt; illum ſcilicet eodem cum Irenæo amiſſo vitulo, & Paradiſum etiamnum ſuperſtitem exiſtimaſſe, ut in eo animæ Juſtorum corporibus ſolutæ ultimam Corporum Reſurrectionem præſtolarentur; qui Error nonnullis, ut dicebam, priorum ſæculorum Patribus proprius fuit, quo tempore univerſalis Eccleſia nondum ea de re ultimam Sententiam dixerat.

Longè minùs auſpicato conjiciunt, qui ad Paradiſi terreſtris perdurationem adſtruendam aliquid præſidii repetunt ex religioſa Eccleſiæ Diſciplina, qua Fideles verſi ad Orientem, ubi Paradiſus Terreſtris ſitus erat, orare ſolent. Equidem ex ea perſuaſione, quòd Paradiſus ad Orientem ſitus eſſet, ſacrum illum Ritum originem habuiſſe, teſtantur Eccleſiæ Patres, S. Cyrillus Hieroſolymitanus *Catecheſi* 2. *Myſtagogica*; S. Baſilius *Lib. de Spiritu Sancto cap.* 27. S. Gregorius Nyſſenus *Orat.* 5. *de Dominica Oratione*;

 S. Joan-

S. Joannes Damaſcenus *Lib. 4. de Fide cap.* 13. Hinc, inquam, manavit ille Ritus; ut quemadmodum Adam e Paradiſo pulſus poſt peccatum, ad eamdem Plagam obverſus, & eò reſpiciens veterem Patriam ſuſpirabat; ac memor, unde cecidiſſet, compungebatur ad pœnitentiam; ita & Chriſtiani ſe in hoc Mundo exules eſſe meminerint, & ad Cæleſtem Patriam aſpirent. Verùm nihil id ad præſentem Paradiſi Statum attinet; idque probat unum, in ea Paradiſum Mundi parte primitus ſitum fuiſſe: quod & ultro fatemur: an autem etiamnum extet, nihil ex eo Capite definire licet.

En eliſa Momenta potiſſima, quibus Paradiſum Terreſtrem in hanc uſque diem ſuperſtitem Aliqui putant. Nunc in Alios caſtra vertamus, nihiloque firmioribus niti præſidiis demonſtremus, qui eumdem illum Paradiſum periiſſe certò definiunt.

Vim illi pene totam in Diluvii inundatione ponunt; quæ cùm univerſam Terram vaſtarit, atque deleverit, Paradiſum quoque Terreſtrem vaſtaſſe colligunt, atque decernunt: *Et aquæ prævaluerunt nimis ſuper Terram*, inquit Scriptura *Geneſis cap. 7. opertique ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo Cælo*. Ex hac univerſali porro Sententia vel ipſum Paradiſum excipere, periculoſum eſſe putant; cùm ſic anſa daretur, Scripturæ Sacræ Fidem, ac Veritatem variis exceptionibus pro cujuſque arbitrio eludendi. Quin etiam percontantur, qua vi, quibuſve machinis, & aggeribus, quo denique portento retenta eſſet aqua, ut intra cæteras Regiones ſubſiſtens, & in altiſſimos Montes elata Paradiſi Terreſtris clauſtra non perrumperet, illòque exundaret? Sic ſibi videntur illi nervosè admodum diſputare, ut Paradiſum terreſtrem aquis Diluvii immerſum, atque deletum oſtendant. At, judicio quidem meo, conatu prorſus irrito. Qui etenim nullam vel minimam univerſali, ac indefinitæ Scripturæ Sacræ Propoſitioni exceptionem afferri volunt, ut Paradiſum terreſtrem ab aquis Diluvii liberum faciant; nullumque miraculum profiteri volunt, quo aquæ Diluvii extra Paradiſi terreſtris clauſtra continerentur; exceptionem alteram longè graviorem, miraculumque longè majus comminiſcuntur, ut ſuam ipſi Sententiam ex aquis Diluvii ſervent incolumem. Enimvero Henochum (quem annis ante Diluvium ſexcentis ſexaginta novem translatum eſſe, liquet ex Scripturæ Sacræ computo, in aliquem Terræ locum) aquis Diluvii non periiſſe, certiſſimum eſt, quòcumque tandem in loco fingatur eſſe, quòcunque translatus ſupponatur; cùm is a Deo alicubi ſervetur in Terris, ut det Gentibus pœnitentiam. Univerſalis nihilominùs, & indiſcreta Propoſitio eſt, qua omnium prorſus hominum, & animantium interitum in ea Diluvii Cataſtrophe Scriptura memorat *Geneſ. 7.*: *conſumptaque eſt*, inquit, *omnis caro, quæ movebatur ſuper Terram*

ram .... univerſi homines, *& cuncta*, *in quibus ſpiraculum vitæ eſt in Terra*, *mortua ſunt*. Qua ergo libertate Henochum ex illa univerſali Cataſtrophe excipiunt iſti; ſic & alii Paradiſum ex univerſali illa aquarum eluvione exceptum faciunt : ac pari etiam utriuſque ratione. Si etenim percontemur ab iſtis, cur illæſa Scripturæ veritate Henoch ab interitu excipiatur, tametſi in Arca non eſſet, illico reponunt, Scripturam univerſos Homines carnalem vitam degentes conſumptos dicere, quia *omnis caro corruperat viam ſuam*, *Geneſis cap. 6.* quorum e numero Henochus non erat.

Rectè quidem : at cur non alii quoque reponant, Scripturam Terram univerſam peccatricem aquis Diluvii immerſam aſſerere? Qua certè ſorte computandus non eſſet Paradiſus terreſtris. Sic ergo par utrinque remanet Difficultas.

Paria etiam utrinque Miracula ſupponenda veniunt. Nam & illi ipſi, qui Paradiſum aquis Diluvii immerſum volunt, ne Miraculum comminiſci videantur, quo aquæ Diluvii extra Paradiſi terreſtris clauſtra continerentur, aliud Miraculi genus fingunt, quo Henochum incolumem ſervent. Sunt etenim, qui velint Henochum in aeris Oras aquis Diluvii ſuperiores ſublatum eſſe, ac ſuſpenſum in aere toto illo eluvionis anno permanſiſſe : alii eum inter medios Diluvii vortices, inter aquarum motus ſervatum comminiſcuntur, uti Jonam in profundo Maris, ac ventre Ceti. Nonnulli Arculam, ubi clauſus ſervaretur, ipſi ab Angelo fabricatam ariolantur : ſic ut plura iſti Miracula admittere compellantur.

Sed demus, Diluvii aquas Paradiſum terreſtrem invaſiſſe, & Henochum Divinæ Providentiæ ſervandum committamus : quorſum, amabo, inde concludent, Paradiſum funditus periiſſe? Cùm aquis recedentibus, & Solis calore exſiccatis, in priſtinum ſtatum, paucis immutatis, redire potuerit. Siquidem Plantarum, Herbarum, & Arborum, quibus conſitus erat Paradiſus, nativa virtus ſuis radicibus hæſit. Certè Diluvii tempore Arbores multas manſiſſe integras, etiam extra Paradiſum, plus ſatis oſtendit emiſſa Columba, quæ Olivæ virentis ramum in Arcam reportavit. Probat & ipſa ratio; nec enim Arborum, Plantarumque Species interierunt; aliàs, tranſacto Diluvio, novas creare neceſſe fuiſſet. Nihil itaque ex illa Diluvii eluvione colligi certò poteſt, ut Paradiſus terreſtris deſtructus omnino, atque vaſtatus aſſeratur.

Duo ſunt, quæ reponant : primum; ſi ab aquis Diluvii ſervandus erat Paradiſus terreſtris; quid ergo tam operoſam Arcam fabricari neceſſe fuit; cum illic Familia Noe, omniumque animalium Species commodiùs ſervari potuiſſent? Alterum; cur a nemine in hanc uſque diem detegi potuit?

Quod primum attinet, non ii profectò ſumus, qui Deo conſilium

lium demus, ut id, aut illud agat, prout ingenio noſtro arridet, probaturque magis : *quis enim*, inquit Apoſtolus *ad Rom. cap.* 11. *cognovit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit?* Quanquam & dici poſſit, Paradiſum innocentiæ, felicitati, & immortalitati conſecratum eſſe; nec idcirco congruum fuiſſe, ut Homines mortalem vitam agentes, & peccatis obnoxii, ut erat Noemi Familia (peccato enim ſaltem levi aliquo tenebatur) in illum admitterentur.

Quòd porro nullus in hanc uſque diem felicem illam Oram appulerit, Divinæ Providentiæ deputandum eſt, quæ id nolit; ſeu Regionem illam inacceſſis montibus cinxerit; ſeu intractabilis maris ſinu vallaverit; ſeu vicina loca, quibus in Paradiſum eſſet iter, æſtu, aut frigore horrentia poſuerit; ſeu (quod opinari ſatius eſt) homines a tam ſtulto conſilio arripiendo, qua valet in flectendis animis, poteſtate dimoveat.

Id itaque de celebri illa Controverſia pronunciandum: neutram videlicet partem ineluctabilibus niti Fundamentis; neutram vel ex Scripturis, vel ex Patribus apertè definiri; remque totam ad occulta Dei Judicia referendam eſſe. Sequenti verò Exercitatione de Arboribus Scientiæ, & Vitæ Quæſtio fiet, omneſque Difficultates ad Theologiæ Inſtitutum ſpectantes unica Prælectione complectemur, & enodabimus.

PRÆ-

PRÆLECTIO XII.

De bina Paradiſi terreſtris Arbore (Scientiæ, & Vitæ) diſſeritur.

DE Arbore Scientiæ boni, & mali, quam Deus Protoparentibus interdixerat, ſermonem mihi nunc habituro id ſtatim occurrit animo, quod Moyſes Barcepha tam ſtultè, quàm impiè ſomniavit: eam ſcilicet Arborem *Scientiæ boni, & mali* Arborem ex Metaphora dictam eſſe; nihilque re ipſa fuiſſe, niſi Conjugii uſum, ſeu carnalem copulam, quam Deus Adamo, & Hevæ vetuiſſet; ne ſcilicet carnalem haberent copulam, donec ipſe juberet: eaque idcirco ratione ſubinde factum, ut carnalis concubitus *cognitio* vocitetur Sacris in Literis, ut dum dicitur *Geneſis cap. 4. Adam verò cognovit Uxorem ſuam Hevam, quæ concepit, & peperit.* Inſulſum adeo Figmentum abunde refellit Scripturæ Contextus, qui & veram Arborem fuiſſe ſignificat, & rem a carnali copula toto Cælo diverſam: *vidit igitur Mulier* (inquit Scriptura *Geneſ. cap. 2.*) *quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: deditque Viro ſuo, qui comedit*: quæ verba rem ſonant a copula conjugali planè diſtinctam. Quare fruſtra in eo Figmento Rabbinico confutando luderem operam.

Religioſiùs de ea Arbore Chriſtiani ſentiunt, qui eam veri nominis Arborem fuiſſe putant, tametſi in illius Specie deſignanda varias in opiniones abeant, quas definire, difficillimum ſit. Theodoretus *Interrogatione* 28. *in Geneſim*; S. Iſidorus Peluſiota *Lib.* 1. *Epiſt.* 51. aliique non pauci vetitam Protoparentibus Arborem *Ficum* exiſtimant: ea præſertim ratione ducti, quòd illi ſtatim admiſſo peccato conſuerint folia Ficus, & perizomata ſibi fecerint. Verùm quidni potiùs oppoſitum ex hoc ipſo Argumento colligamus? Quandoquidem veriſimillimum eſt, ſtatim, errore agnito, ita illos vetitæ Arboris horrorem inceſſiſſe, ut ne illius quidem folia contrectare voluerint, nec in uſum veſtis ſibi componere, ne quid ſibi pejus arceſſerent.

Accedit; quod Ficui minùs ea verba conveniant, quibus Arbor vetita deſcripta eſt a Moyſe: *lignum pulchrum oculis, aſpectuque delectabile*. Eſt enim Ficus, ut ſcitis, Arbor diſtorta, ſcabra, incurva, nihil oculis gratum præſeferens. Niſi quis fortè fingere velit,

lit, Deum primò quidem Ficum creaſſe arborem nobiliſſimam, oculis pulchram, aſpectuque delectabilem; poſtea tamen in eam indignatum, quòd illius fructus Protoparentes comediſſent, quaſi in vindictam, & ultionem Arborem illam incurvaſſe, torſiſſe, deturpaſſe: ad eum ferme modum, quo Serpentem, cujus miniſterio Diabolus uſus erat ad tentandos Protoparentes, male multavit Deus, pedibuſque privatum ſuper pectus ſuum gradi fecit, cum antea rectus incederet.

Alii vetitam Arborem *Malum* fuiſſe, ſeu Pomum communiter ſentiunt; propterea quòd *Canticorum cap.* 8. dicatur: *ſub Arbore Malo ſuſcitavi te: ibi corrupta eſt Mater tua*: quaſi Hevam primam noſtrum omnium Matrem corruptam, vitiatamque ſub Malo innueret Textus ille. At matris nomine ſignificari Hevam hoc loco, incertum eſt, vel de prima Humani Generis corruptione agi. Sed & Vox illa *Malum* communis, & generica eſt: nec modò Pomum, ſed & quemlibet Fructum ſpirantem odorem ſignificat. Quare compendio dixerim ego, Moyſen vetitæ Arboris ſpeciem non expreſſiſſe, ne curioſiùs ſcrutaremur. Unde & ab ea Quæſtione ſuperſedendum omnino cenſeo.

Theologos potiori titulo ſcire juvat, num idcirco Arbor Scientiæ nuncupata ſit, quòd inſitam a Deo naturalem Scientiæ conferendæ vim haberet, ingenitamque boni, malique detegendi virtutem? Et certè non defuere, qui ita ſentirent; ac Viri quidem primæ notæ, atque ſubſellii; Joſephus *Lib.* 1. *Antiq. Judaic. cap.* 2. inquiens, *Arbori illi acuminis & cogitandi vim ineſſe*; Nemeſius *Lib.* 1. *de Natura Hominis cap.* 1.; Joan. Damaſcenus *Lib.* 2. *de Fide cap.* 11.; & alii.

At longè aliter ſe res habet. Neque enim vis ad ſpiritualem effectum producendum, qualis eſt boni, & mali Scientia, naturalis rei corporeæ eſſe poteſt. Imo ſi hæc illi fuiſſet naturaliter indita vis Scientiæ conferendæ, fallax omnino non fuiſſet Dæmonis per Serpentem loquentis promiſſio: *eritis ſicut Dii ſcientes bonum, & malum*; (*Geneſis cap.* 3.) nec adeo ad Protoparentum ſuperbiam deprimendam Ironiæ illi fuiſſet locus, qua Deus poſt peccatum illis illuſit inquiens: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum, & malum*; *Geneſ. cap.* 3. *verſ.* 22. Non itaque ex indita Scientiæ conferendæ naturali virtute nomen accepit hæc Arbor. Unde ergo accepit? Hoc opus, hic labor eſt. Quantum capio, quantum ſapio, ab eventu duntaxat conſecuto id nominis habuit; quia Protoparentes ex ea contra Divinum Præceptum edendo e priſtino Statu deciderunt, factæque a Deo Interminationis veritatem agnoverunt: *in quacumque die comederis ex eo, morte morieris*. Noverunt tunc primùm Protoparentes infelices diſcrimen

inter

inter bonum, quo ante peccatum fruebantur, & malum, in quod peccando incurrerant. Licet enim ſpeculativè, ut Schola loquitur, boni ac mali diſcrimen noſſet Adam ante peccatum; practicè tamen, facto periculo, noſſe cœpit, quando peccavit.

Quantùm verò familiare ſit Sacris Literis nomina rebus imponere, non ob inditas Naturæ vires, ac facultates, ſed ab eventu conſecuto, notius eſt, quàm ut multis demonſtrare neceſſe ſit. Sic *Geneſis* 26. Puteum aliquando fodit Iſaac; quem cùm Vicini deſtruere aggreſſi eſſent, jurgia non modica inter Paſtores Geraræ, & Iſaaci orta ſunt; atque idcirco *Puteus calumniæ* dictus eſt: non quòd Puteus jurgia, & inimicitias exerceret; ſed quòd ejus occaſione ſimultates inter Paſtores enatæ fuiſſent. Rurſus *Geneſis* 21. Puteum fodit Abraham; inſidias illico paravit Abimelech; convenerunt nihilominus, inimicitias depoſuerunt, præſtito mutuo juramento: hinc *Puteus juramenti* eſt appellatus: non certè, quòd juraſſet Puteus, ſed quòd circa Puteum, ejuſque occaſione præſtitum eſſet juramentum. Rurſum occurrentes ſibi Angelos vidit Jacob, & Caſtra Dei: tum locum, ubi viderat, *Caſtra* nuncupavit (*Geneſis* 32.); tametſi locus ipſe Caſtra non eſſet; ſed ob id unum, quòd illic Caſtra vidiſſet. Sic itaque *Arbor Scientiæ boni*, *ac mali* vocata eſt, non quòd boni, malique Scientiam congenita ſibi virtute largiri poſſet; ſed quòd ejus eſu Scientiæ boni, ac mali facta ſit demonſtratio, & fatale veritatis experimentum.

Ita planè decernunt Eccleſiæ Patres, S. Joannes Chryſoſt. *Serm.* 7. *in Geneſim*; Theodoretus *Interrog.* 26.; S. Baſilius Seleucienſis *Oratione* 3. *de Adam*; S. Auguſtinus *Lib.* 8. *de Geneſi ad lit. cap.* 6., *&* *Lib.* 14. *de Civit. Dei cap.* 17.; S. Thomas 1. *P. q.* 102. *artic.* 1. *ad* 4. Huic Patrum Sententiæ accedit proximè Ruperti Abbatis ingenioſa Sententia, quæ mihi multùm ſemper arriſit. Is ſcilicet Arborem *Scientiæ boni*, *&* *mali* appellatam exiſtimat ironicè, ac per ludibrium; ob fallacem Dæmonis pollicitationem, qua futurum Protoparentibus adpromiſerat, ut Scientiam boni, & mali, edendo de fructu vetito, compararent. Hinc etenim factum, ait Rupertus, ut Ironiâ quadam, ac deriſione Arbor vetita *Scientiæ Arbor* appellaretur; non quòd re ipſa talis eſſet; ſed quòd illam, uti talem, Tentator Protoparentibus prædicaſſet: ad eum ſanè modum, quo Adam poſt peccatum admiſſum dictus eſt *ſciens bonum*, *&* *malum*; per Ironiam ſcilicet, atque ex deriſione: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt ſciens bonum*, *&* *malum*, (*Geneſis cap.* 3.) quòd eum talem futurum Diabolus promiſiſſet; ipſeque ſtultiſſimè credidiſſet.

Unum eſt, quod utrique, tum Patrum antea laudatorum, tum Ruperti Abbatis Sententiæ repugnare videatur: quod nempe ve-

titam Arborem *Arborem Scientiæ* nuncupatam videamus antequam Adam peccatum admitteret; imò & antequam quidquam illi, ejuſque Uxori Diabolus adpromitteret, illoſque tentaret; ſed ex ipſa die, qua a Deo plantata, ſeu condita eſt: *Produxitque Dominus Deus* (inquit Scriptura *Geneſ.* 2.) *de Humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave: lignum etiam Vitæ in medio Paradiſi, lignumque Scientiæ boni, & mali.* Ex quo colligi facilè putes, non ita nuncupatam Arborem illam ab eventu poſtmodum conſecuto, dum fatali experimento novit Adam, quid diſcriminis eſſet bonum inter, & malum; ſed ex ipſa innata virtute, qua boni, malique Scientiam edentibus impertiret. Verùm illatio præpoſtera eſt. Per Prolepſim enim, & anticipationem Arborem vetitam eo nomine deſignavit Moyſes Creationem deſcribens; tametſi id nominis poſt Creationem tantùm, ac etiam poſt Adæ peccatum obtinuiſſet. Cum etenim eo tempore Geneſim ſcriberet Moyſes, quo Arbor vetita illo duntaxat vocabulo dignoſcebatur, neceſſe illi fuit, eandem eo quoque nomine deſignare, dum illam a Deo creatam dixit; etſi id nominis, nonniſi poſt Adæ peccatum obtinuiſſet: eo ſanè modo, quo E. G. non incongruè loquar, ſi dixero *Petrus a Chriſto vocatus eſt ad Apoſtolatum:* aut etiam ſi dixero *: Paulus Eccleſiam Dei perſecutus eſt aliquando:* quanquam nec Petrus vocabatur ille, dum aſſumptus eſt in Apoſtolum; ſed poſtmodum tantùm; dum videlicet ei a Chriſto Domino dictum eſt: *Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas; quod interpretatur Petrus*, (*Joannis cap.* 1.) nec Paulus vocabatur alter, dum in Eccleſiam fureret; ſed poſtmodum ſolùm; dum Paulum Sergium Proconſulem vocavit ad Fidem, ut legitur *Actorum* 13.; quo tempore cœpit ex ejus nomine vocitari, in Heroum, ac Triumphatorum morem, qui a Regnis, atque Provinciis, quas ſubegerunt, nomen accipiunt. Sic ergo productum a Deo dicitur lignum *Scientiæ boni & mali*, etſi, dum a Deo productum eſt, id nominis non obtineret, ſed tantùm poſtea; quia nulla alia loquendi formula Moyſi ſuppetebat, dum Geneſim ſcriberet, ut vetitam Protoparentibus Arborem legentibus indicaret. Atque hæc de Arbore *Scientiæ boni, & mali.*

Jam de altera Arbore Paradiſi Terreſtris, ſeu de Arbore Vitæ dicendum eſt: de qua quidem paulò aliter pronunciandum exiſtimo: ac primo; fuiſſe illam veram Arborem, Arboremque Vitæ nuncupatam, quòd Homines edentes diu, atque etiam in ævum ſervaret in vivis, reparato ſemper Humido radicali abſque ulla alteratione, & impuritate, & naturali Calore confortato, concors eſt Patrum Sententia; qui Homines hujus Arboris beneficio immortales futuros exiſtimant; non ut omnino mori non poſſent, ſi vel-

vellent, quemadmodum Angeli; ſed ut poſſent re ipſa non mori, ſi mori omnino nollent. Sic ergo (ut mirè loquitur Auguſtinus *Lib. 6. de Geneſi ad lit. cap. 25.*) *poſſe non mori præſtabatur Adamo de ligno Vitæ, non de conſtitutione Naturæ: mortalis igitur erat conditione Corporis animalis, immortalis beneficio Conditoris.* Cùm etenim Homines duplici de cauſſa mori contingat; internâ ſcilicet; hoc eſt, Calore naturali Humidum depellente, ac paulatim abſumente; externâ ſimiliter; hoc eſt, nocumentis aliena vi illatis; adverſus illa duo mortis incentiva Hominem communierat Benevolentia Conditoris: Arborem Vitæ adverſus primum providerat, cujus fructus inſtar potentiſſimæ medicinæ Humidum reſarciret, & Calorem Naturæ abſque alteratione confortaret; adverſus alterum externa Angelorum cuſtodia Hominem communiverat, ne ulla inimica vis eidem inferretur.

Duo hujus Arboris occaſione vocantur in Controverſiam: primum; num illi Virtus hæc Hominem perpetuò conſervandi nativa eſſet, an ſupra Naturam; qualis eſſe ſolet Sacramentorum ad conferendam Gratiam vis, ac poteſtas? Alterum; num hæc unica tantùm eſſet Arbor, an multiplex?

Quod primum Caput attinet, nos Virtutem illam nativam dicimus, tametſi ſpeciali Naturæ Conditoris Benevolentia conceſſam. Quid enim vetat, poſſe Deum talem Arborem ſerere, quæ vim habeat reſtaurandi perfectè Humidum illud nativum, & Calorem innatum confortandi? Si potuit, quid vetat aſſerere, id feciſſe, ut eum Hominem perpetuò refoveret, quem liquet ex Sacris Literis immortalem fuiſſe conditum? Maximè cum & Phœnices legamus naturaliter juveneſcere apud Plinium *Lib. 10. cap. 2.* Imò, ſi Hiſtoricis fides eſt, in Indiis a Luſitanis inventus eſt Homo trecentorum, & quadraginta annorum, qui (ut refert Petrus Maffæus) ter ad juventutem decrepitus redierat virtute aliqua Naturali. Hanc ipſam nativam Arboris Vitæ fuiſſe virtutem, Scriptura Sacra ſatis innuit, dum Protoparentes e Paradiſo terreſtri ejectos ait, & conſtitutum Cherubinum, qui viam ligni Vitæ cuſtodiret, ne fortè de eo ligno Homo ederet, æternùmque viveret. Si etenim Virtus hæc non eſſet huic Arbori naturaliter indita, ſed inſtar tantùm Virtutis Sacramentalis, nihil eâ cautelâ fuiſſet opus: ſolo etenim Dei nutu Vis illa ceſſaſſet, nullâque Naturæ Ordini illatâ injuriâ, Deo Gratiam retrahente, tota Virtus Arboris evanuiſſet.

Neque vero ab ea Sententia alienus putandus eſt Auguſtinus, ut Aliqui arbitrantur, ubi *Lib. 8. de Geneſi ad lit. cap. 4.* Arborem hanc non ſemel Sacramentum appellat: *erat ei ergo*, inquit, *in lignis cæteris alimentum; in illo autem Sacramentum.* Eo quippe Nomine Arborem Vitæ cohoneſtavit SS. Doctor, non quòd Virtute

 Na-

Naturam ſuperante inſtar Sacramenti alicujus Vim illam haberet; ſed quòd latiori ſignificatione rem Sacram aliquam adumbraret; puta Euchariſtiam; quam qui manducaverit, in æternum vivet, uti Chriſtus Fidelibus adpromiſit; aut etiam Felicitatem æternam Martyribus adpromiſſam, juxta illud *Apocalypſis* 2. : *Vincenti dabo edere de ligno Vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei*. Auguſtini mentem in aperto ponit, quod Capite ſequenti addit SS. Doctor; Apoſtolum ſcilicet *ad Epheſ.* 5. pari ratione conjunctionem Adæ, & Hevæ, *Sacramentum magnum in Chriſto, & in Eccleſia* nuncupaſſe. Uti ergo naturalem Protoparentum conjunctionem non inficiatus eſt D. Paulus, tametſi eam Sacramenti nomine nuncuparit; quòd nempe Chriſti, & Eccleſiæ conjunctionem adumbraret; ita nec Auguſtinum nativam hujus Arboris vim negaſſe cenſendus eſt, quanquam eam Sacramenti nomine deſignarit, quòd & illa Sacrum aliquid preſignaret.

Majus fortè negotium faceſſeret, quod addit idem SS. Doctor *cap.* 5. *talem tamen illam Arborem præſtitiſſe* (*cibum*) *quo corpus Hominis ſanitate ſtabili firmaretur, non ſicut ex alio cibo, ſed nonnulla inſpiratione ſalubritatis occulta*; & paulò infra : *per alicujus Arboris cibum cujuſdam altioris ſignificationis Gratiâ Homini Deum præſtitiſſe, ne corpus ejus vel infirmitate, vel ætate in deterius mutaretur, aut in occaſum etiam laberetur*. Ubi hujus Arboris Vim in *inſpiratione ſalubritatis occulta*, & in quadam *altioris ſignificationis Gratia* poſitam docet.

Sed & id exponi commodè poteſt : nam primo loco nonnullam inſpirationem agnoſcit ſalubritatis occultæ; qua Voce ſingularem quidem, & excellentem Virtutem agnoſcit, tametſi intra Naturæ vires conſtitutam; quod & nos ultro damus. Secundò altioris ſignificationis Gratiam ea in Arbore profitetur; ſed *ſignificationis*, inquit, non Virtutis. Aliud quippe eſt, Arborem altioris Virtutis Gratiâ valuiſſe, quod diffitemur; aliud altioris *ſignificationis Gratiâ excelluiſſe*, quod ultro concedimus; cùm Euchariſtiæ Sacramentum ea Arbore ſignificatum eſſe fateamur.

Quod ad alteram Quæſtionis partem attinet, Arborem Vitæ unicam fuiſſe in Paradiſo veroſimilius exiſtimo : id enim Scripturæ verbis eſt conſonum magis : *Lignum Vitæ*, inquit, *in medio Paradiſi*. Neque verò pluribus erat opus, cum duo initio tantùm eſſent Homines; & una illa, etſi multò plures Homines extitiſſent, abundè ſuffeciſſet. Neque enim ex illa quotidianus cibus ſumendus fuiſſet; ſed medicinalis identidem, atque ex occaſione tantùm ex ea Arbore decerpendus erat. Aucto tamen Humano Genere, ſi Status Innocentiæ perennaſſet, nihil vetat affirmare, hanc Arborem propagatum iri ſive in Paradiſo, ſive fortè extra Paradiſum: ad

Digitized by Google

ad eum ſanè modum, quo cæteræ Arbores propagantur. Hincque colligere facilè eſt, quàm abſona fuerit quorundam Interpretum Opinatio, qui Homines, tametſi primævam Innocentiam cuſtodiſſent, tractu nihilominus temporis morituros fabulantur, veteraſcente ſcilicet Arbore Vitæ, ac penitus pereunte. Quod enim præſtare nequiviſſet Arbor unica, aliæ ex eadem propagatæ præſtitiſſent. Id ni dicamus, nutat Eccleſiæ, & Scripturarum Fides, ſecundùm quam certò credimus, Homines, niſi peccaſſent, immortales extituros; *Quoniam Deus mortem non fecit ....* inquit Sapiens, *ſed Impii manibus, & verbis accerſierunt illam; Sap. cap.* 1. ac rurſus Apoſtolus *ad Rom.* 5. *Per unum Hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes Homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.*

Supereſt, ut inſtitutæ de Paradiſo Terreſtri Tractationi coronidem imponamus jucundæ æquè, ac perdifficilis Quæſtionis enodatione: quis fuerit primis Parentibus Ciborum uſus? Carnibus ne, piſcibuſve, an ſolis oleribus fructibuſque veſcerentur? Quâ de re in ſubſequentibus ſermo erit, ut inde ad alia greſſum faciamus.

PRÆLECTIO XIII.

Num Solis Terræ fructibus, an etiam Carnibus, Piſcibuſque ante univerſale Diluvium Homines veſcerentur, non ita de facili definiri poſſe, affirmatur: poſteriori tamen Opinioni probabilitas major adſcribitur.

QUÆSTIONEM aggredimur de quotidiano primorum Parentum, illorumque Filiorum, atque Nepotum Cibo; quam, ſi velimus Sanctorum Patrum, Scriptorumque prophanorum Suffragiis definire, nullo negotio, nullaque mora expediemus. Verùm, ſi Sacrarum Scripturarum Oraculis rem totam expendere juvat, diu, multùmque deſudabimus, ut quid certò, tutòque in partem alteram pronunciemus. Patrum una pene Sententia eſt, Protoparentes, illorumque Filios, ac Nepotes Carnium, Piſciumque eſu penitus abſtinuiſſe, herbis, oleribus, fructibuſque contentos; nec niſi tranſacto Diluvio, poſt annos ſcilicet mille ſexcentos quinquaginta ſex ab Orbe condito Animalium eſum invaluiſſe. In eam Sententiam pedibus, manibuſque veniunt S. Joannes Chryſoſtomus *Homilia 27. in Geneſim*; S. Hieronymus *Lib. 1. adverſus Jovinianum*; Theodoretus *Interrog. 55. in Geneſim*; S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 102. *art. 6. ad* 2.; Boetius *Lib. 2. de conſolatione Philoſophiæ, metro 5.*; aliique bene multi, quos recenſere longum eſſet.

Neque verò Eccleſiæ Patres duntaxat in eam Sententiam conſpirarunt: præiverunt etiam Scriptores Ethnici; qui, cum primorum Parentum felicia tempora ſub prophano Aureæ Saturni Ætatis titulo deſcripſiſſent, Homines fructibus tantùm, & oleribus veſci ſolitos pronunciarunt. Hinc illud Ovidii *Metamorphoſeon Lib.* 1.:

Contentique cibis nullo cogente creatis
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes

Ac illud rurſus *Libro* 15; ubi & Carnium eſum prima illa Ætate inſolitum, & venationem, ac piſcationem interdictam deſcribit Ovidius ipſe:

At

At vetus illa Ætas, cui fecimus Aurea nomen,
Fœtibus arboreis, & quas Humus educat herbis
Fortunata fuit: nec polluit ora cruore.
Tunc & Aves tutæ movere per aera pennas,
Et Lepus impavidus mediis erravit in arvis
Nec ſua credulitas Piſcem ſuſpenderat hamo.

Quibus verbis primæ Ætatis Homines fructibus tantùm, herbis, atque oleribus victitaſſe ſignificat Ovidius; non item Carnibus Piſcibuſque; imò nec in uſu fuiſſe tunc Venationem, & Piſcationem, ut Feras Piſceſque in cibum ſumerent.

Verum, ſi Scripturarum Sacrarum Oraculis Difficultatem metiri velimus, non ita facilè occurret, quid ea in Controverſia definiri, ac ſtatui certò poſſit. Ita quippe gravia hinc inde militant Argumenta, ut vix pedem figas, niſi temerè. Carnium eſum nullum ab Orbe condito ad Diluvium uſque extitiſſe, imò & re ipſa a Deo vetitum eſſe, non innuit modò, ſed pene demonſtrat Oraculum illud *Geneſis* 1. ubi Deus Protoparentes recèns creatos ſic alloquitur: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper Terram, & univerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam.* En præſcriptum Cibi genus; herbas ſcilicet, & arborum fructus: cum e contrario *Geneſ.* 9. Carnium eſum nova velut indulgentia conceſſerit Deus Noemo ejuſque Filiis, duntaxat tranſacto Diluvio, dum ait: *omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.* Quaſi diceret: hactenus olera virentia in cibum habuiſtis; jam nunc Animalium carnes perinde, ac olera vobis indulgeo. Quæ verba adeo explicata Patribus viſa ſunt, ut iis ſe potiſſimùm ad vulgarem illam Carnis ante Diluvium vetitæ Sententiam amplectendam adductos fateantur.

Nihiloſecius, ſi alia, eaque non pauca, penſitemus paſſim Sacris in Literis inſinuata, multùm ſanè adverſæ Sententiæ probabilitatis accedet, ut Carnes jam a primo Mundi diluculo in uſu fuiſſe colligamus. Singula minutatim diſpungamus; ac primò quidem: ſtatim admiſſo Protoparentum peccato *fecit quoque Dominus Deus Adæ*, & *Uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos*; *Geneſ.* 3. Quin & hujuſmodi pellibus Filii, ac Nepotes Adami veſtiti ſunt, donec Lanificium, & Ars Textoria inventa eſſet. Ex tunc ergo mactabant pecudes. Si verò mactarunt pecudes, ut ex earum pellibus veſtes ſibi aptarent; an credibile eſt, quòd earum Carnes ſaluberrimas, quas Deus creavit, ut perciperentur cum gratiarum actione, proindeque non rejiciendas, volucribus, ac feris vorandas projicerent? Non id certè crediderim ego.

Ru-

Rurſus : *fuit Abel Paſtor ovium*; *Geneſis* 4. aliique antediluviani Patriarchæ greges aluerunt, & curarunt magno admodum numero. Cur verò tanta ovium, aliarumque pecudum ad Humani ſuſtentationem corporis congruarum cura, ſi nunquam illarum carnibus veſcebantur? Fortaſſe dicent Aliqui, curaſſe illos pecudes, ut lac emungerent, veſteſque ſibi ex earum velleribus aptarent. Sit ita : at ſi nulli alteri uſui pecudes illis fuiſſent, quæ tanta neceſſitas erat pecudes numero propemodum infinito paſcendi, curandique ob pauculum illud emolumentum, ac lucrum? Et ſi lac ovium comedere poterant Adæ Filii, ut iſti concedunt, quamvis eo Scripturæ loco, cui Pars adverſa nititur, Deus lac ipſis in cibum minimè deſignaſſet; quidni ergo & carnes illarum edebant?

Addo, quòd Sacrificia Deo ex animalibus offerebant Homines ab ipſa prima Mundi Ætate, ut ex Abelis Sacrificio perſpicuum eſt, qui Deo Opt. Max: *obtulit de primogenitis gregis ſui*. Nec Holocauſta duntaxat Deo Homines offerebant, in quibus Victimæ totæ igne conſumebantur; ſed & Sacrificia propitiatoria, atque pacifica, in quibus Victimarum partem in uſum offerentium ceſſiſſe credibile eſt, *ne viderentur velut a Conſecratis abſtinere*, ut loquitur S. Chryſoſtomus. Nulla itaque Lex vetabat, ne Carnes in cibum aſſumerent prima illa Ætate.

Quid plura? Mundorum, & immundorum animalium diſcrimen ante Diluvium notum erat, & uſitatum. Aberrant ſiquidem toto oſtio, qui putant, hocce diſcrimen a Lege duntaxat Moſaica incœpiſſe : ait quippe Deus ad Noe, & Filios ejus, ſexcentis ſcilicet annis ante Moyſen, *Geneſ.* 7. *ex omnibus animantibus mundis tolle ſeptena, & ſeptena, Maſculum & Fœminam : de animantibus verò immundis duo, & duo, Maſculum, & Fœminam*. Munda verò intelliguntur animalia, quorum frequens, & quotidianus erat uſus in alimentis, & Sacrificiis; immunda verò, quæ Hominum victus naturaliter refugit; quæque idcirco prophana ab Ethnicis etiam Scriptoribus non ſemel appellata fuere. Divina enim inſpiratio, quæ Patriarchas ab initio Mundi uſum Sacrificiorum docuerat, ea potius animalia Deo in Sacrificium offerenda dictaverat, quæ pro optimis, & præſtantiſſimis haberent in alimentum; non illa, quæ in victu Homines averſantur. Si ergo hæc mundorum, & immundorum animalium diſcretio nota erat ante Diluvium; edendorum igitur, & non edendorum animalium diſcrimen compertum erat; adeoque nonnulla animalium genera ad eſum aſſumebantur.

Demum, ſi animalia mactare, atque occidere ad eſum nefas fuiſſet, profectò, iis multiplicatis, maximum extitiſſet periculum vaſtationis ſegetum, præcipuè ab animalibus ferocibus, ac rapacibus.

Digitized by Google

bus. Sic ea Carnibus veſcendi Licentia ex hoc etiam Capite congrua foret, ne damnum ingens ex Ferarum multitudine Homines paterentur.

Iis coronidem imponit Doctoris Angelici ratio non prætermittenda 1. *par. quæſt. 96. artic.* 1. *ad* 2.; ubi ait : *non enim per peccatum Hominis, natura animalium eſt mutata, ut quibus nunc naturale eſt comedere aliorum animalium carnes, tum vixiſſent de herbis, ſicut Leones, & Falcones*. Ex quibus liquet, quòd, cùm naturale ſit modò Hominibus etiam veſci Carnibus, ſemper hoc ipſum in uſu ipſis fuerit; cum neque Natura Hominis ſit immutata aliquando quantùm ad id, quod eſt ei naturale. Plantæ ſiquidem naturaliter utuntur terrâ ad ſui nutrimentum, Animalia verò plantis, Homines plantis, & animalibus. Unde & Monachi, qui religioſam a Carnibus abſtinentiam profitentur, cedunt naturali juri ad pœnitentiam. Quocirca & Philoſophus 1. *Politicorum cap.* 5. ait, venationem ſilveſtrium Animalium, & piſcationem nedum juſtam, ſed & juris eſſe naturalis; quia per eas Homo ſibi vindicat, quod naturaliter ſuum eſt. Quis porro putet, Deum annis mille ſexcentis quinquaginta ſex, quibus ſecundùm Naturæ Legem vivebant Homines jus illud ipſis naturaliter aſſertum Carnes edendi interdixiſſe? Certè nihil expreſsè, diſtinctèque primis Parentibus vetitum lego; niſi fructum Arboris Scientiæ boni, & mali : hoc uno Interdicto tentatam Hominum obedientiam lego hac prima Mundi Ætate. Nihil aliud, quod cibos attinet, interdictum obſervo, nil vetitum.

Neque enim, quod ab adverſa Parte in ſui præſidium afferri ſolet, Interdictum ullum, ne alios cibos ſumerent, præſefert, ſi penitius perpendatur. Quid enim? *Ecce dedi vobis* (ſunt hæc Dei verba, quibus illi nituntur) *omnem herbam afferentem ſemen ſuper Terram, & univerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam : & cunctis animantibus Terræ, omnique volucri Cœli*; *Geneſis cap.* 1. Bene eſt : ſed hîc nulla aliorum ciborum inhibitio facta eſt : cùm nulla excludens Particula in ea deſignatione ponatur. Equidem declaratur, quis futurus eſſet cibus Homini conveniens in herbis, fructibus, & oleribus, ſed ſine alterius cibi excluſione, ſine alterius Interdicto. Et certè, ſi hæc ciborum deſignatio a Deo tunc facta cujuſcumque alterius cibi, ac maximè Carnium inhibitionem includeret; cùm hæc Dei loquentis verba non ſolos Homines, ſed Jumenta etiam, & Volucres ſpectent; ait enim, *ut ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus Terræ, omnique volucri Cæli*; conſequens eſſet, Deum Carnium eſum brutis etiam Animalibus, ac Cæli Volucribus prohibuiſſe. Quod quis credat? Deum ſcilicet Legem poſuiſſe Ani-

malibus pleriſque, & Volucribus ipſorum Naturæ contrariam; ne ſcilicet Carnibus veſcerentur. Quis enim neſciat, Animalia bene multa ex ipſa ſui Natura eſſe carnivora; uti Leones, Lupos, Canes, Tigrides, Vultures, Accipitres, Corvos, & alia longè multa, quæ numerare longum eſſet? Hæc ergo fructuum, herbarum, & olerum deſignatio, ea ad cibum congruere, bene probat; at cæteros idcirco cibos non interdicit.

Sentiunt hujuſce Difficultatis pondus adverſæ Sententiæ Vindices; utque ab ea ſe liberent, quid illis putatis venit in mentem? Lupos, Corvos, Vultures, aliaque id genus Animalia Carnivora ob Dei Præceptum herbis primitus victitaſſe comminiſcuntur; ac tunc primùm cœpiſſe veſci Carnibus, cùm Diluvium tranſactum eſt. Figmentum illud, uti abſonum, exſufflat Doctor Angelicus 1. *par. quæſt. 96. artic.* 1. Quaſi verò tractu temporis brutorum Animantium Natura immutata ſit; eaque nunc a Natura veſci carnibus poſtulent, quæ a Natura herbis primitus veſcebantur: cùm nequidem propter peccatum, Dæmonum, Hominumque Natura, eorumque naturales Facultates fuerint immutatæ, ut ſupra dicebamus.

At inquiunt: Animalia rapacia fœno, frugibus, alioque obvio, & parabili cibo veſcebantur toto anno illo, quo in Arca Noe recluſa fuerunt: quidni ergo & eo cibo perpetuò alerentur ante Diluvium? Conſecutio profectò abſona eſt: neque enim neceſſe eſt, ut ſi quid occaſione quadam, & extrema urgente neceſſitate, ſpeciali quadam Dei Providentia, ac pene Miraculo factum eſt, id propterea ſolitò, ac perpetuò fiat. Sed neque id omnino certum eſt, quod ii tanta fiducia venditant; carnivora ſcilicet Animalia fœno tunc, frugibuſque victitaſſe in Arca Noe; ac non potius Carnes pro Naturæ ſuæ conditione manducaſſe. Ea de re vehementer dubitavit Auguſtinus *Lib.* 15. *de Civitate Dei cap.* 27. num pro iis alendis certum ovium, ac pecorum numerum paraverit Noe; an autem divinitus admonitus aptam cuique generi Animalium alimoniam ſine Carnibus deſtinaverit. Ut ut eſt, Miracula in Exemplum trahere abſonum eſt: aliàs cùm ingenitam feritatem Animalia depoſuiſſent, ut Noemo colla ſubderent, pari ratione colligi poſſet, nullam ab Orbe condito ad Diluvium uſque fuiſſe Animantibus illis ingenitam feritatem.

Addam ad cumulum ſolutionis decantatiſſimi Argumenti, verba hæc ab adverſæ Sententiæ Defenſoribus adeo jactitata: *ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper Terram, & univerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam* (*Geneſis cap.* 1.) hæc inquam verba a Deo duntaxat dicta eſse Protoparentibus ad excludendum fructum Arboris vetitæ; non ad excludendum eſum Carnium, piſciumque. Cùm etenim

etenim Deus Protoparentum obedientiam probaturus fructum illis peculiarem cujuſpiam Arboris prohiberet, iiſdem ſignificavit, ſe omnes alias arborum, olerum, herbarumque ſpecies licitas facere, hac una duntaxat excepta Arbore, quæ ob id ipſum Arbor vetita communiter dicta eſt. Cæterùm quid ex aliorum ciborum genère licitum illi, vetitumve faceret, non erat tunc declarandum, cùm ex eo genere nihil exciperet.

Quorſum ergo, inquiet aliquis, Noemo poſt Diluvium duntaxat ait Deus : *Omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum : quaſi olera virentia tradidi vobis omnia* (*Geneſis cap. 9.*) ſi priùs etiam, quod movetur, & vivit, in cibum ſumere licitum erat ?

Reſponſio in promptu eſt; dictum id eſſe, ut quod ante Diluvium tacitè tantùm licitum erat, & ut cibus minùs primævæ Conditioni robuſtæ, ac validæ conveniens, ac neceſſarius, poſt Diluvium apertè, & ut cibus Naturæ jam debilitatæ convenientior, neceſſariorque permitteretur. Cùm enim ob Terræ Diluvio vaſtatæ ſterilitatem minùs tunc eſſet ſucci, atque virtutis in herbis, fructibus, & oleribus ad fovendam Mortalium vitam; aliunde verò infirmior eſſet Humanorum corporum habitudo; uti contractior poſt Diluvium Hominum vita demonſtrat; Carnes jam Piſceſque, veluti congruentiorem, vulgaremque cibum, Providentiſſimus Deus ipſis, ac Poſteris deſignavit.

Quidni quoque dicamus ad planiorem objectæ Difficultatis ſolutionem, in iis Dei verbis Noemo dictis *omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum*, ſi cum ſequentibus conjungantur, novam Conceſſionem, novamque Facultatem minimè contineri; quaſi tunc Deus Animantia comedere conceſſiſſet Hominibus, quæ antea prohibuiſſet; ſed potiùs limitationem reſtrictionemque contineri Facultatis, atque Licentiæ ab initio Mundi conceſſæ? Sic enim loquitur Deus : *omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum : quaſi olera virentia tradidi vobis univerſa, excepto quod Carnem cum ſanguine non comedetis* (*Geneſis cap. 9.*) quaſi dicat: omne, quod movetur, & vivit, perinde ac olera, indiſcriminatim etiam cum ſanguine hactenus comediſtis : impoſterum hæc ipſa etiam in cibum habebitis ; ita tamen, ut Carnem cum ſanguine non comedatis. Quare tantùm abeſt, ut ex iis Dei verbis Noemum alloquentis extundi poſſit, Carnes ante Diluvium in uſu non fuiſſe; ut potiùs inde colligatur, magis antea in uſu fuiſſe, quàm poſtea : quippe antea Carnes etiam cum ſanguine edebant Homines, quas ſine ſanguine juſſi ſunt edere poſt Diluvium.

Erit fortaſſe, qui in hac ultima Sententiæ noſtræ probatione difficultatem aliquam patiatur; putetque, falſum id eſſe, quod ex

Digitized by Google

Doctore Angelico, & Ariſtotele comprobavimus; venationem nimirum, & piſcationem juris eſſe naturalis; atque ita ante Diluvium invaluiſſe, ut & Piſcium, & Animalium ſilveſtrium Carnibus veſci poſſent; propterea quòd piſcationis, & venationis faciendæ Facultas a Deo conceſſa legatur Noemi Filiis poſt Diluvium; *Geneſis cap. 9. Terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia Terræ, & ſuper omnes volucres Cæli cum univerſis, quæ moventur ſuper Terram : omnes piſces Maris manui veſtræ traditi ſunt.*

At, ſi locum illum penitiùs, & intimiùs expenderimus, comperiemus facilè, non eſſe tunc novam conceſſam Homini Facultatem, atque Licentiam; ſed priſtinam, qua antea naturali jure fruebantur Homines, confirmatam; & comprobatam. Quod certè ex verbis præcedentibus patet : ait enim Deus ad Noe, & Filios ejus : *creſcite, & multiplicamini; & replete Terram. Et terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia Terræ.* Sicut ergo nemo dixerit prudens, novam tunc Filios procreandi, Terramque multa prole replendi Facultatem, atque Licentiam fuiſſe datam; pari quoque ratione affirmabit, nec novam tunc temporis Homini Facultatem conceſſam, ſed priſtinam, qua fruebatur, comprobatam, ac repetitam.

Ergone, reponet Aliquis, Eccleſiæ Patribus oppoſitum ſentientibus, Carneſque tota prima Mundi Ætate vetitas opinantibus nuncium mittemus; iiſque valere juſſis, Scripturam pro arbitratu interpretabimur? Abſit. Oppoſitam Sententiam aliquorum, imò & plurium Patrum eſſe, certò ſcimus; ſed Facti Opinio illa cùm ſit, non Dogmatis, vel ad Dogma ullo modò attinens; neque Sententiam noſtram uti omnino certam, ſed ut probabilem duntaxat aſſeramus, oppoſitamque in ſua probabilitate relinquamus, non video, quale nobis crimen imputari poſſit, ſi in eam Sententiam deſcendimus, quæ Scripturæ Sacræ magis conſona viſa nobis eſt. Pugnant etiam hinc inde Scripturarum Interpretes, ac Theologi celeberrimi : litant pro nobis Cajetanus, Franciſcus Victoria, Dominicus Soto, nec non Salianus, & Pererius eruditi Soc. J. Theologi: pro adverſa Parte ſigna ferunt Lyranus, Toſtatus, & Dionyſius Carthuſianus; ut notat Nat. Alex. *Diſſert. 6. Tom. 1. Hiſt. V. T.* quare nobis ſuccenſere nemo poteſt; qui, quam Rationi, & Hiſtoriæ conſonam magis Opinionem pro captu noſtro animadvertimus, præviis tot illis primariæ notæ Ducibus arripuimus.

Tempus eſt, Viri Theologi, ut expoſita Protoparentnm Conditione corporali; & enarrata dulci illa Felicitate, qua ſecundùm carnem in Paradiſo fruebantur, ad altiora jam animum intendamus. De Spirituali conditione, Mentiſque felicitate jam tandem diſſe-

differendum nobis eſt : de Donis, Gratiis, Chariſmatibus, quibus a Deo donati fuere, diſputandum; Controverſiæ demum de primi Hominis Statu a magni nominis Theologis agitatæ ad examen vocandæ.

Neque verò putetis, dum iſtam provinciam implendam aggredior, velle me de ſingulis diſputare, quæ a nugacibus quibuſdam Theologaſtris Controverſiæ ventilantur; reculæ, neniæ, fatuæ cavillationes, ac nugæ; Quæſtiones de lana caprina, vix dignæ lucubrationibus. Siccine enim Theologiam appellabimus ſophiſmatum ſtruem, inutilium cavillationum farraginem, abſonarum quæſtiuncularum apparatum, ſpinarum manipulum, quibus Sacram de Deo Doctrinam nuperi Plerique coinquinarunt, vitiarunt, interpolarunt? Abſit : non Theologiam vocitemus, ſed petulantem, audacemque Dialecticam de rebus Sacris ſtultè, & inaniter garrientem. Theologiam appello, atque pro more meo, & officio tracto, quæ de Deo, rebuſque ſacris ex Divinarum Scripturarum, SS. Patrum, Conciliorumque calculis diſputat : quæ Fidem adverſus Exoticos tuetur, ac munit : quæ Diſciplinam Eccleſiaſticam, & Sacra morum Inſtituta proponit, atque defendit. Hanc ergo ſecuti methodum pergemus, quo pede cœpimus. Quapropter de Humanæ Naturæ Statibus, ſeu de iis, quæ ad Hominem ſpectant ſecundùm Animam, poſt viſam ejuſdem Conditionem ſecundùm carnem, in Tractatione ſequenti prolixiùs diſputabimus.

DE

Digitized by Google

DE VARIIS HUMANÆ NATURÆ STATIBUS:

PRÆLUDIUM.

Varii Humanæ Naturæ Status explicantur.

GRAVISSIMIS Controverſiis, quæ de Mundi Opificio, primis Parentibus, Paradiſo Terreſtri, cæteriſque Conſectariis agitari a Theologis ſolent, feliciter exſolutis, poſtulat Inſtituti Operis ratio, & a Magiſtro Sententiarum, cujus in explicatione verſamur, ſervata methodus, ut de Humanæ Naturæ Statibus paulò prolixiùs diſſeramus; Quæſtioneſque a magni nominis Theologis noſtra potiſſimùm ætate controverſas, Auguſtino præſertim & Angelico Doctore Ducibus, in præſentia reſolvamus.

Quocirca ut ab ipſamet prima rerum exponendarum idea, ac diſtinctione exordium ducam, id ſtatim Fundamenti loco conſtituo, quod apud omnes receptiſſimum eſt; quinque videlicet Humanæ Naturæ Status vulgò ſecerni: Statum Naturæ puræ; Statum Naturæ integræ; Statum Naturæ innocentis; Statum Naturæ lapſæ, ſive corruptæ; & Statum Naturæ reparatæ. Statum Naturæ puræ Theologi vocant illum, in quo Humana Natura, ut ita dicam, nuda foret; ſuis quidem prædita Dotibus, Facultatibus, Viribus, minimè tamen gratuitis Donis ornata, nec ſauciata peccato; Statum, uno verbo dicam, in quo eſſet pura Natura abſque Gratia, & abſque peccato. Statum Naturæ integræ eum intelligunt, in quo Homo, præter naturales, ſeu Naturæ debitas Dotes, eo etiam Vigore præſtaret, qui omnem alterationem, & corruptionem procul arceret. Quare eo in Statu iis omnibus, quibus nunc afficimur, morbis, ærumnis, ac fatali moriendi neceſſitati minimè ſubderemur: hancque Integritatem ſecum etiam afferre ſubjectionem Carnis ad Spiritum, Theologi nonnulli contendunt; de quo tamen Quæſtio non levis erit loco ſuo. Status Naturæ innocentis, ſeu (ut loquendi uſus invaluit) perfectæ Originalis Juſtitiæ is eſt, qui Gratiam Sanctificantem, eamque uberrimam, atque pleniſſimam Naturæ Integritati ſuperaddit: qua nimirum

non

Digitized by Google

non tantùm Ratio Deo perfectiſſimè ſubditur; verùm etiam Rationi Voluntas, Voluntati ſenſitivus Appetitus ad nutum obſequuntur, nulla prorſus cunctatione, difficultate nulla, qualem nunc experiuntur Sancti ipſi, quantumvis Gratia ſanctificante donati; nulla repugnantia inferioris Partis, quæ multâ luctâ ſuperari debeat; ſed miro ordine, docilitate, conſenſione. Statum hunc Theologi etiam nuncupare ſolent Statum perfectæ Juſtitiæ Originalis, propterea quòd Vires Hominis inferiores perfecta, atque pleniſſima docilitate Superioribus ſubditæ ſint. Perfectè ſubditas dixi; nec ſine cauſſa. Eſt etenim alia, ut ita loquar, naturalis Juſtitiæ conditio, quæ minùs perfectam inferioris Partis ſubjectionem affert: de qua hinc inde Theologi litigant, num etiam puræ Naturæ debeatur, & ſine illa uberiori ſanctificante Gratia ſtare poſſit: qua de re nobis alia occaſione ſermo erit. Status Naturæ lapſæ dicitur ille, in quem ex Protoparentis delicto infeliciter prolapſi ſumus; quo videlicet Originali Juſtitia deſtituti Rationem Deo contumacem, Voluntatem Rationi, Voluntati Appetitum ſenſitivum reluctantes habemus. Statum denique Naturæ reparatæ intelligimus eum, in quo per Chriſti Gratiam conſtituimur, deleto fatali Chirographo, quod ipſemet Cruci affixit. Quanquam tamen quo ad plura, eaque potiora, reſtitutio in priſtinum Statum vocari poſſit; non omni tamen ex parte cumulata reſtitutio dicenda eſt. Etſi enim per Gratiam Salvatoris Deo ſubdatur Humana Mens; eique, uti ſummo, infinito, atque incommutabili Bono adhæreat; manet nihiloſecius rebellio Carnis adverſus Spiritum; in quam perpetuò pugnare Sanctis ipſis eſt opus. Abſit tamen, ut putemus, id ex infirma, ac diminuta Gratiæ medicinalis Virtute proficiſci, quaſi hæc Carnem Spiritui ex omni parte ſubjicere minus valeat. Poſſet planè: ſed hoc volente Deo factum eſt, ut dum quotidie pugnare cogimur, quotidie quoque Victoriæ nobis materies miniſtretur. Quamvis enim Sanctis & Juſtis omnino gratis conferatur Gratia; Gloria tamen non omnino gratis vincenti tribuitur; ſed ut præmium, ut merces, & ut corona: *non coronatur, niſi legitimè certaverit*, inquit Apoſtolus 2. *ad Timoth. cap.* 2.

His itaque prælibatis, ad Quæſtiones, quæ circa hos Humanæ Naturæ Status agitari a Theologis ſolent, accedamus. Quatuor Diſputationibus Tractationem iſtam perficiemus juxta quatuor illos Status, qui magni Momenti ſecum afferunt Controverſias; omiſſo nempe Statu Naturæ integræ, circa quem leves adeo Difficultates emergunt, ut Viros Theologos detinere minimè debeant. Primo igitur de Natura pura differendum nobis erit; tum de innocente; ſubinde de lapſa; ac tandem de reparata; cujus occaſione Janſenium, ejuſque Partiarios pro ſuis meritis exagitabimus.

DISPU-

DISPUTATIO PRIMA.

De Natura Pura.

PRÆLECTIO PRIMA.

Gratiam ſanctificantem, cum qua creatus eſt primus Homo, ita Humanæ Naturæ fuiſſe indebitam, ut ſine illa condi omnino potuiſſet, nedum ſpectato Dei ſupremo Dominio, ſed ne læſa quidem ſuavi ejus Providentia, propugnatur.

A Statu Naturæ puræ Tractationis exordium auſpicamur: non quòd hujuſmodi Status reipſa extiterit aliquando; ut enim loco ſuo demonſtrabimus, primus Homo cum Gratia ſanctificante, ſeu cum Originali perfecta Juſtitia conditus primò fuit; ſed quòd extitiſſe potuerit, ſi Conditori Deo ita creare Hominem placuiſſet, ut nullis eum gratuitis Donis cumulatum, nullo ſupernaturalis Gratiæ theſauro ditatum, ſed in puris duntaxat naturalibus Dotibus conſtitutum voluiſſet. Quocirca Difficultates a magni nominis Theologis agitatas ſeligemus, ac pro viribus noſtris opitulante Deo reſolvemus.

Has inter primum obtinet locum, quæ de hujuſce Status poſſibilitate movetur Quæſtio. Nec enim defuere, qui Hominem in puris Naturalibus, abſque Gratia, cæteriſque ejus Conſectariis creari a Deo potuiſſe, ſalvo Divinæ Providentiæ debito ordine, inficiati ſunt: inter quos extitit Michael Bajus, Regius olim in Lovanienſi Academia Profeſſor; ac poſtmodum Cornelius Janſenius Yprenſis Epiſcopus; cum quibus impræſentiarum nobis erit certamen. Ii porro Dotes illas omnes, quibuſcum conditus eſt primus Homo, Gratiam videlicet ſanctificantem, immortalitatis Donum, ſubjectionem perfectiſſimam Carnis ad Spiritum, cæteraque omnia nobiliſſima Privilegia, quibus in ſua Creatione donatus fuit, Humanæ Naturæ ita debitas propugnarunt, ut Deum injuſtum, atque crudelem futurum dixerint, ſi abſque illis Hominem condidiſſet. Hinc orta Quæſtio illa celeberrima, fuerit ne poſſibile condi Hominem in Statu Naturæ puræ; hoc eſt, in eo Statu, in quo nihil eſſet, quàm pura Natura, ſine peccato, ut ſupponitur, & ſine Gratia, ſine immortalitatis Privilegio, ſine obedientia & ſubjectione inferioris Partis ad mentem?

Theo-

Theologos Baji, & Janſenii Adverſarios, factis hinc inde agminibus, ſciſſos videas. Statum illum Naturæ puræ poſſibilem aſſerunt Aliqui, ſi abſoluta Dei Potentia ſpectetur; ſecus ſi ſuavis erga Homines ejus Providentia attendatur. Alii contra, utroque ſenſu illum poſſibilem dicunt: quanquam in hoc ultimo Theologorum ordine inveniantur & Illi, qui Statum Naturæ puræ poſſibilem negent, ſi de obedientia Partis inferioris ad Mentem ſermo fiat. Nimirum Iſti Divinæ Sanctitati repugnare contendunt, ut Hominem condat cum Concupiſcentia perduelli Rationi: quinimo Concupiſcentiam effrænem Naturæ Humanæ contrariam arbitrantur; nec niſi ex peccato ſoboleſcere poſſe. Secus tamen ſentiunt Alii. Quid nos in tanto Opinionum conflictu judicemus, diſtinctè, atque ex ordine pronunciabimus.

Ac de primo quidem Protoparentis Privilegio ita ſtatuo: Gratia Sanctificans, cum qua conditus eſt primus Homo, ita illi erat indebita, ut abſque ea creari omnino potuiſſet, nedum ſpectato Dei ſupremo Dominio, ſed ne læſa quidem ſuavi ejus Providentia.

Quid enim aliud, amabo, ex S. Pii V Bulla colligamus, quam ſubinde Gregorius XIII, & Urbanus VIII novo calculo confirmarunt? Duo enim illi Articuli inter tot alios eo Diplomate condemnantur: *Deus non potuiſſet ab initio talem creare Hominem, qualis nunc naſcitur:* ideſt deſtitutum Juſtitia Originali, & Gratia ſanctificante: & rurſus alius: *Naturæ Humanæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium Divinæ Naturæ (quæ per Gratiam ſanctificantem facta eſt) debita fuit Integritati primæ Conditionis: & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.* Jam, inquio ego, ſi duo hæc Doctrinæ Capita a ſummis Pontificibus proſcripta ſunt, oppoſita igitur ſtatuuntur, uti a Theologis aſſerenda: nempe & potuiſſe Deum ſine Gratia ſanctificante Hominem condere; & Humanæ Naturæ exaltationem, quæ per Gratiam ſanctificantem facta eſt in Homine primo, eidem prorſus indebitam extitiſſe.

Suffragantur ſtatutæ Sententiæ etiam Patres; ac ipſemet D. Auguſtinus, quo uno Patrono Bajus, & Janſenius ſibimet gloriantur: *Homo* (inquit Sanctiſſimus Doctor *Lib. 2. cont. Maxim. cap. 15.*) *ad Dei ſimilitudinem factus eſt; tamen quia non eſt unius, ejuſdemque ſubſtantiæ, non eſt verus filius; & ideo fit Gratiâ Filius, quia non eſt Naturâ.* Si porro per Naturam Filius Dei non erat; non erat itaque Naturæ debita Gratia ſanctificans, qua Divinam illam Adoptionem adeptus eſt. Et verò communiſſima Gratiæ Notio, quam ſexcentis, & amplius locis poſt Apoſtolum nobis tradidit Auguſtinus, gratuitum aliquid ſonat, gratis a Deo conceſſum, liberaliterque Creaturæ donatum. Quid ergo illam primo Parenti

Digitized by Google

debitam effutiemus? Sanè, ſi Pelagii Dogma univerſæ Eccleſiæ adeo horrori, & indignationi fuit, quòd Gratiam vellet ſecundùm merita noſtra dari; ſi eam vel hoc ſolo nomine funditus evacuavit, quòd eam Humanis meritis debitam blaſphemaret; quo ſenſu Baji, ac Janſenii Commentum excipiemus, dum eam Humanæ Naturæ nullis adhuc meritis exornatæ, cùm primo condita eſt, ita debitam fabulantur, ut illam Deus citra injuriam ei denegare non poſſet?

Equidem non ignoro, novam in nobis ex peccato Originali indignitatem ſuccreſcere, qua magis Divinæ Gratiæ indigni evadimus. At non idcirco, dum ſine peccato conditus eſt primus Homo, Divina Gratia dignus erat. Non erat is, ut cum Schola loquar, poſitivè indignus, ſed negativè: quia tametſi nihil, quo eam demereretur, præſeferret; nihil tamen, quo eam mereretur, habebat. Neutri ergo Gratia debita cenſeri debet; nec Homini lapſo, nec Homini integro; quanquam uni minùs, quàm alteri indebita dici debeat.

Res in aperto ponitur Exemplo trito admodum, ac familiari: Occurrant mihi duo Pauperes, atque Mendici, qui ambo eleemoſinam rogent: neutri profectò pecuniam debeo; quanquam obtinendæ pecuniæ indignior foret ille, qui me fortè injuriis afficeret. Ita prorſus impræſentiarum: *Deus autem, qui dives eſt in miſericordia*, inquit Apoſtolus *ad Epheſios cap.2.*: Homo contra, egenus, ac pauper ex ipſa ſui conditione, qua ex nihilo factus eſt: huic igitur recèns condito indebita Gratia eſt; quanquam & illi ſit longè magis indebita, quo ex tempore peccato ſuo Miſericordiæ Fontem offendit.

Novit id profectò S. Cyrillus Alexandrinus, qui & alteram nobis adverſus Janſenium, & Bajum rationem ſubminiſtrat *Lib. 1. Comment. in Joan. cap. 13. Creatura autem* (inquit) *cùm ſerva ſit, nutu ſolùm, & Voluntate Patris ad ſupernaturalia vocatur:* non ergo vocatur ex debito. Cur id porro? Quia Creatura ex ſui conditione ſerva eſt: nulli autem ſervo debetur Adoptio in Filium; nulli ſervo debetur Hæreditas.

Facit ad hæc petita ex Angelis comparatio. Ii quippe ſine peccato profectò conditi ſunt. At non idcirco debita illis Gratia fuit, qua in ipſa ſui creatione donati ſunt. Explicatiſſima eſt ea de re Auguſtini Sententia *Lib. 13. Confeſſionum Capitibus 2. 3. & 4.*: quin & hoc addit; tam liberum fuiſſe Deo, ut illos ſine Gratia conderet, quàm ut illos nullatenus conderet: *Sed ſicut* (inquit cap.4.) *non te promeruerat, ut eſſet talis vita, quæ illuminari poſſet; ita nec cùm jam eſſet, promeruit Te, ut illuminaretur .... ut & quodcumque vivit, & quod beatè vivit, non deberet, niſi Gratiæ tuæ.*

Quo

Quo circa Baſilius Magnus *Lib. de Spir. S. cap.16.* hæc habet: *Neque enim Cælorum Virtutes ſuapte Natura Sanctæ ſunt: nam ſi id eſſet, nulla re differrent a Spiritu Sancto.* Quæ ergo ratio eſſe poteſt, ut quæ Angelis Gratia erat indebita, primo Homini deberetur? Eſt enim Angeli Natura dignior, Mens altior, Deo ſimilior, nulla cum labe, peccatove condita. Faceſſant ergo ea Janſeniana Commenta; pudeatque, Gratiam ſanctificantem, Divinæ Naturæ Participationem, Filiationis Adoptionem, Æternitatis Semen, ſupernæque Gloriæ Pignus, Naturæ Humanæ conditioni debitam effutire; ut injuſtitiæ etiam accuſari Deus Optimus poſſet, ſi ſine illa primum Hominem condidiſſet.

Quantum ab eo Theologiæ Portento abhorruerit Auguſtinus, alio ex Capite manifeſtè deduco. Primi, uti noſtis, Gratiæ ſanctificantis Protoparenti conceſſæ Frutices, Propagines, Conſectaria duo hæc erant: Illuſtratio Intellectus, & ſancta Voluntatis Affectio; quibus ad rectum peragendum ſua ſponte alacriter, atque faciliter propendebat: quæ duo nos Originali peccato ſauciati non habemus; tametſi per Baptiſma renaſcamur in Chriſto, ſimulque Gratia ſanctificante donati. Infelici fato experimur in nobis, etiam regeneratis, Ignorantiam veri, & Difficultatem recti peragendi, uti relicta ex Originali peccato vulnera, quæ necdum plane deterſit lavacri Baptiſmatis ablutio. Si ergo ex Auguſtino demonſtravero, Deum nequidem injuſtitiæ argui poſſe, ſi Hominem cum Ignorantia illa veri, & Difficultate recti condidiſſet; nunquid, amabo, potiori titulo concludendum, multò minùs injuſtitiæ argui Deum Optimum poſſe, ſi Hominem abſque ea primigenia Gratia creaviſſet; unde Illuſtratio illa Intellectus, & pia Voluntatis agendi Facilitas profluebant? Audite igitur inclytum Divinæ Gratiæ Defenſorem *Lib.* 1. *Retract. cap. 9. ad quam miſeriam* (inquit) *juſtæ damnationis pertinet Ignorantia, & Difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis ſuæ .... Quam miſeriam Pelagiani nolunt ex juſta damnatione deſcendere, negantes Originale peccatum: quamvis Ignorantia, & Difficultas, etiamſi eſſent hominis primordia naturalia, nec ſic culpandus, ſed laudandus eſſet Deus.* Quo nihil explicatius, nil luculentius adverſus Bajum, atque Janſenium afferri poteſt. Rurſus *Lib.de Don. Perſever. cap.9.*: *Etiamſi* (inquit) *verum eſſet, quod dicunt Pelagiani, Ignorantiam, & Difficultatem, ſine quibus nullus hominum naſcitur, primordia, non ſupplicia eſſe Naturæ; vincerentur tamen Manichæi, qui volunt, duas, boni ſcilicet, & mali, coæternas eſſe Naturas:* hoc eſt; Natura a malo Principio prodiiſſe, dici non poſſet.

Binæ illæ Auguſtini Teſtimonia ex duobus illis Libris petita laudare volui, Viri Theologi, ut inde noſcatis, quantum in Au-

guſtini Doctrina peregrinus, & hoſpes Janſenius extiterit: qui cum non abſimilia legiſſet in Auguſtino *Lib. 3. de lib. arb. cap. 22.*, quæ magnum illi negotium faceſſebant, illico, veluti ridente Mercurio, reſpondit, Auguſtinum ita quidem ſenſiſſe juvenem, ſed ſenem mutaſſe Sententiam. Qua verò fortuna Sententiam hanc ſenior retractavit, ſi illam ipſam *in Libris Retractationum* aſſeruit; atque etiam *in Libro de Dono Perſeverantiæ*, quem poſt ipſos Retractationum Libros morti proximus elaboravit?

Verùm eſt aliud, quod non ſine aliqua veritatis ſpecie reponit Janſenius, ut ab iis Auguſtini Teſtimoniis ſe expediat; in cujus propterea enodatione tantiſper immorari neceſſe eſt. Reponit videlicet ille, Auguſtinum de Naturæ puræ Statu, qualem Theologi comminiſcuntur, minimè locutum eſſe, dum Statum illum poſſibilem dixit, in quo Ignorantia veri, & Difficultas recti eſſent Hominis primordia naturalia, non ſupplicia Naturæ. Theologi enim, ait ille, neque Divinæ Gratiæ Auxilium, neque Ordinem ad ſupernam Beatitudinem, neque Virtutum exercitium in Naturæ puræ Statu futurum ajunt: Auguſtinus verò, ut Dei juſtitiam in tuto ponat, ſi eo in Statu, de quo loquitur, Hominem condidiſſet, hanc unam rationem adducit: quòd nempe eo in Statu poſſet Homo, opitulante Creatore ſuo, Virtutem excolere, & ad quietis Beatitudinem pervenire. Ita ſanè ſapientiſſimus, & ſanctiſſimus Doctor *Lib. 3. de libero arbitr. cap. 22.*: *Ignorantia verò*, inquit, *& Difficultas, ſi naturalis eſt, inde incipit Anima proficere, & ad cognitionem, & requiem, donec in ea perficiatur Vita beata, promoveri*. Et paulò infra: *Si Ignorantia veri, & Difficultas recti naturalis eſt homini, unde incipiat in Sapientiæ quietiſque Beatitudinem ſurgere, nullus hanc ex initio naturali rectè arguit. Sed ſi proficere noluerit, aut a profectu retrorſum relabi voluerit, jure meritoque pœnas luet*. Explicatiùs verò *capite 20.*, Hominem, ſi cum Ignorantia veri, & Difficultate recti conderetur, non ideo fore miſerum probat; quia etiam eo in Statu facultatem haberet, *ut adjuvante Creatore ſe ipſum excoleret, & pio ſtudio poſſet omnes acquirere, & capere Virtutes, per quas & a Difficultate cruciante, & ab Ignorantia cæcante liberaretur*. Non ſic ergo de Statu Naturæ puræ, qualem comminiſcitur Schola, loquitur Auguſtinus.

Eo nos telo petit Cornelius Janſenius: ſed & ab eo ſcire velim: de quo ergo Statu ſermonem habet Auguſtinus, ſi de Statu Naturæ puræ non loquitur? Nullus enim alius fingi poteſt, in quo Ignorantia veri, & Difficultas recti forent Hominis primordia naturalia, non ſupplicia Naturæ. De hoc igitur locutum Auguſtinum fateri neceſſe eſt. Neque mirum videri debet, ſi Dei

Con-

Conditoris Auxilium hoc in Statu ponat ſanctiſſimus Doctor : Auxilium enim intelligit, non ſuperni Ordinis, quod ſtricto nomine Gratiam appellamus; ſed naturalis Ordinis Adjutorium, quod Statui Naturæ puræ non defuturum æſtimandum eſt, ut Homo Virtutes excoleret, ſin minùs Theologicas, quæ Status hujuſce vires omnino excedunt, ſaltem Morales, quæ Humanæ conditioni debeantur. Neque etenim Hominem, ſi eo fortè in Statu conditus eſſet, uti truncum, aut ſtipitem æſtimare par eſt, aut illum more pecudum vitam acturum; ut omnem ab eo Statu Virtutis cultum eliminare debeamus, aut ſingularem in illum ſupremi Numinis Providentiam abnegare. Abſit. Quietis quoque Beatitudinem adipiſci poſſet, ut voluit Auguſtinus, utique naturalem, in abſtractiva Dei cognitione poſitam; non verò ſupernaturalem, in intuitiva Viſione ſitam, ut Schola loquitur. Sed ea de re ſermo redibit in ſequentibus, dum Janſenii, ac Baji Momenta excutiemus, quibus Gratiam ſanctificantem primo Homini debitam probare contendunt; Deumque injuſtum fore, ſi ſine illa Protoparentes condidiſſet.

PRÆLECTIO II.

Baji, & Janſenii Momenta adverſus præcedentem Aſſertionem refelluntur.

PRIMUM hominem ſine Gratia ſanctificante a Deo condi potuiſſe, eamque primævæ conditioni nullo jure fuiſſe debitam, in antehabitis demonſtravimus contra Bajum, atque Janſenium. Eos hodie ad audientiam admittimus, ne ſe fortè a nobis inauditos damnari conqueri poſſint. Moleſtè imprimis habent, ſe Pelagiani Erroris aliquantùm inſimulari, quòd Gratiam ſanctificantem Humanæ conditioni primùm debitam uſque adeo effutierint, ut Deum injuſtum fore contenderent, ſi ſine ea Hominem condidiſſet: hoc etenim, uti meminiſtis, præcipuum Caput erat, ob quod illos in anteceſſum, & præcipuè Janſenium, in judicium vocabamus. Quare, ut eam imprimis Pelagiani Erroris excuſationem eluat Janſenius cum Bajo Magiſtro ſuo fœderatus; multùmque ſe a Pelagianis eo etiam in Capite diſtare ſignificet, Gratiam ſanctificantem bifariam Homini debitam dici poſſe contendit: primò; debito orto ex jure, quod Homo bonis operibus acquirat ad Gratiam obtinendam: ſecundò; debito orto ex decentia, & æquitate Conditoris. Primum Pelagianam Hæreſim ſapere concedit ultro; alterum nullo pacto. Ecquid enim, inquit ille, Creaturam rationalem magis deceat, quàm Gratia, qua ſuum diligat Conditorem? Quid Conditoris æquitati congruat magis, quàm ut opus ſuum nullo vitio inquinatum, quale primò ex ejus manibus prodiit, Gratia ſua, atque Benevolentia proſequatur? Quare colligit Yprenſis Epiſcopus: ſi ſine Gratia Deus Hominem condidiſſet, nihil quidem contra Creaturæ jura tentaſſet, quaſi hæc ex juſtitia Gratiam præviis operibus meruiſſet; ſed contra Sapientiam ſuam egiſſet, cujus jura ſarta tectaque ſervare debet, non ſecus ac æternæ Juſtitiæ ſuæ Leges inviolatas cuſtodire.

Rem Exemplo confirmat ex Scholaſticorum, ut ait, vulgari Doctrina petito: Ii enim, inquit Janſenius, quoddam Gratiæ ſufficientis genus comminiſcuntur, quæ veri nominis Gratia ſit, atque idcirco gratis data: quam tamen Creaturæ rationali in Statu etiam Naturæ lapſæ debitam dicunt; nec ei a Deo negari poſſe exiſtimant; aliàs impoſſibilia juberet, nec peccatum Homo vitare poſſet. Multò minus itaque Gratiæ naturam evertere putandi ſunt,

ſunt, qui eam Homini primo, qualis ab initio factus eſt, debitam profitentur: tantòque illi a Pelagianiſmo longius abſcedunt, quantò mitius eſt, Gratiam Homini primo debitam aſſerere, quàm Homini lapſo debitam effutire; cùm prior nullo ex Capite foret indignus; alter verò multiplici titulo indignitatem contraxerit.

Multum hoc fuci, multum veriſimilitudinis; parum, ac plane nihil veritatis habet. Unde enim Janſenius colligit, Gratiæ ſantificantis naturam ſervatum iri, modò non detur ex debito ſtricto jure quæſito, tametſi ex congruitate, atque decentia conferatur? Id ego tam falſum eſſe conteſtor, quàm quod falſiſſimum. Quæ etenim, amabo, congruitas eſſe poteſt, quæ decentia, ut ſervus in filium adoptetur, & Creatura Divinæ conſors Naturæ evadat? Nulla hìc profectò congruitas; nullum decentiæ debitum. Id ſi fiat, uni adoptantis Dei Miſericordiæ, uni ejus Bonitati deputandum. Ita nos docet ſexcentis in locis Doctor Angelicus; ac præſertim *Quæſt. 27. de Gratia art.* 1., ubi expreſſe teſtatur, *Hominem ex natura ſua dignum non eſſe tanto bono cùm ſit ſupernaturale*, ita ſubdens: *& ideo ex hoc ipſo, quòd ponitur aliquis Deo gratus reſpectu hujus boni, ponitur quòd ſit dignus tali bono ſupra ſua naturalia: quod quidem non movet Divinam Voluntatem, ut hominem ad bonum illud ordinet; ſed potius e converſo, ex hoc ipſo, quod Deus ſua Voluntate aliquem ordinat ad Vitam æternam, præſtat ei aliquid, per quod ſit dignus Vita æterna.* Ubinam ergo hæc Janſenii congruitas? Ubinam conficta illa æquitas, & congruentia? Congruum quidem, & æquum eſt, ut ſtante Hominis elevatione, & in Vitam æternam Divina ordinatione, Deus ei Gratiam ſuam impertiatur, quæ Medium eſt neceſſarium ad eam aſſequendam; ſed nulla prorſus congruitas eſt, nulla æquitas, ut idipſum Deus ſua Voluntate diſponat; poterat ſiquidem non ita ordinare. Hoc ex unico Voluntatis ſuæ beneplacito pendet, ut ait Præceptor Angelicus. Quare verbis ludit Janſenius, ut nobis illudat, dum Conditoris Æquitati congruere aſſerit, ut Opus ſuum nullo vitio inquinatum ſua Gratia proſequatur. Congruit id ſanè; non Æquitati ſed Bonitati. Aliud porro ſonat Æquitas, aliud Bonitas: Æquitate largitur Deus, quod juſtum eſt; Bonitate, quod lubet.

Neque tamen diffiteor ego, purum putumque Pelagianiſmum eo præſertim in Capite poſitum fuiſſe, quòd Gratiam bonis Hominum operibus ſtricto jure debitam Pelagiani effutirent: in quam profectò foveam ſua illa Aſſertione Janſenium incidiſſe non dicimus. Verùm nec diffiteri Janſenius poteſt, Pelagianiſmi reliquias, quas ſub Maſſilienſium nomine damnarunt Synodus *Arauſicana* II. ſub Felice IV. & Cæleſtinus I. (apud Labbæum) iſtud quoque Erroris

ris ſui Caput habuiſſe, ab Eccleſia proſcriptum : *Deus nobis Munera ſua ex congruitate largitur.* Illud porro ipſum Pelagiani Erroris eſt vitium, in quod ſua illa Argutatione captum dixi Janſenium, iterumque dico. Nec ſatis mirari poſſum, Janſenium bifrontis Jani a Poetis jactitati perſonam induiſſe in ſuis de Divina Gratia elucubratis Operibus. Is quippe nedum duplicem vultum induit; nedum ſibi diſſimilem, ſed ſibi plane repugnantem oſtendit. De Gratia in Statu Naturæ lapſæ dum ſcribit, Manichæorum vultum gerit, liberum arbitrium funditus perimendo; eaque idcirco de cauſſa dignam Eccleſiæ cenſuram meruit: ubi verò de Gratia primi Hominis Quæſtionem inſtituit, Pelagianiſmum redintegrare videtur, Gratiam Naturæ debitam effutiendo. Sic certè deſtruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Ad illud verò, quod de Gratia ſufficiente jactat Janſenius (quanquam ego ab eorum Theologorum Sententia procul abſim, qui eam Homini abſolutè debitam, ac neceſſariò conferendam exiſtimant, ne Deus illi impoſſibilia jubere cenſeatur) obiter hoc loco dicam, eam ab illis ipſis Theologis debitam aſſeri, non Humanæ Naturæ conditioni, quod de primi Hominis Gratia Janſenius contendit; ſed Dei Fidelitati, & Æquitati: qui ne Hominibus impoſſibilia juſſiſſe cenſeatur, ea ſanè Auxilia tenetur impendere, ſine quibus impleri Mandata non poſſint. Sed de his alibi plenius. Verùm quid ultra in ſui defenſionem Janſenius proferat, audiamus; ut primum Hominem probet ſine Gratia ſanctificante a Deo creari minimè potuiſſe. Eo in ſtatu, ait ille, creari Homo non poteſt, in quo Beatitudinem ſuam adipiſci nequeat: in eam enim adeo nativo pondere fertur Homo, ut nedum eam naturaliter velit; verùm etiam eam nolle omnino non poſſit; ut innuit Auguſtinus *in Enchiridion ad Laurentium cap.* 105. Porro eo in ſtatu, in quo Gratia ſanctificante orbatus eſſet Homo primus, Beatitudinem adipiſci omnino non poſſet; niſi fortè velimus, Vitam æternam, quæ Gratiarum omnium corona, ac merces eſt, obtineri ſine Gratia poſſe; quo nihil unquam deterius, nihil abſurdius Pelagiani commenti ſunt.

Neque verò fieri poteſt, ſubjungit ille, ut eo, quo fertur in Beatitudinem, pondere defraudetur Homo citra injuriam: ſic enim miſer, & inquietus hæreret. Hinc aurea illa Auguſtini verba per omnium ora volitant *Lib.* 1. *Confeſ. cap.* 1. *quia feciſti nos ad Te; & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in Te:* & illud: *Væ animæ audaci, quæ ſperaverit, ſi a Te receſſiſſet, ſe aliquid melius habituram. Verſa, & reverſa in tergum, & in latera, & in Ventrem, & dura ſunt omnia. Et tu ſolus requies; Lib. 6. Confeſſ. cap.* 16. Jam ſi eo, quo fertur in Deum obtinendum, pondere deſti-

deſtitui Homo non poteſt; qua ſorte ſuum illud pondus explere, ſui illius nativi deſiderii fructu eo in Statu ſatiari poterit, ubi nulla ſanctificante Gratia donaretur? Ita ſuam Janſenius cauſſam agit toto pene *Libro* 1. *de Statu Naturæ puræ*; congeſtiſque Auguſtini ducentis, plus minus, Teſtimoniis, Lectorem defatigat potiùs, quàm erudiat.

Enimvero tanta illa congeſtorum Teſtimoniorum moles, tanta coacervatarum rationum farrago brevi diſtinctione diſſipantur: ſi nimirum duplicem Beatitudinem ſecernamus; ſupernaturalem unam, naturalem alteram: priorem in intima Dei Viſione ſitam; alteram in ſuaviſſima Authoris Naturæ contemplatione repoſitam. In priorem nativo pondere non aſpirat Homo, quam nec naturali lumine dignoſcere poteſt, nec ingenitis viribus adipiſci. Ad ſecundam ergo Homo ſine Gratia conditus aſpiraret; eamque, uti notum eſt, ſine Gratia adipiſci facilè poſſet. Quanquam porro inter Theologos litigia eſſe ſoleant, an ea naturali Beatitudine obtenta quieſceret Homo; an etiam ad ſupernaturalem Beatitudinem conſequenter aſpiraret, nulla tamen de Homine in Natura pura condito Controverſia eſſe poteſt, num ea ſemel obtenta Beatitudine omnino quieſceret; cùm eo in Statu nulla ad ſupernaturalem Finem elevatio foret, qualis nunc reperitur in nobis. Neque obeſt, ſi fortè dixeris, eam ſupernaturalis Beatitudinis privationem pœnæ ingentis loco futuram Homini in Statu Naturæ puræ condito. Eſto enim in nobis Divinæ Viſionis, ſeu ſupernæ Beatitudinis privatio pœna maxima ſit; quia ad eam obtinendam conditi ſumus; Homini tamen in Natura pura conſtituto non pœna, ſed Naturæ conditio foret. Eſt illa Doctoris Angelici Definitio, qua ſola corruit tota illa Janſenianæ dicacitatis Argutia: *Carentia Divinæ Viſionis* (ait ille *Quæſt.* 4. *de Malo art.* 1. *ad* 14.) *dupliciter convenit alicui. Uno modo ſic quòd non habeat in ſe, unde poſſit ad Divinam Viſionem pervenire: & ſic carentia Divinæ Viſionis competeret ei, qui in ſolis naturalibus eſſet, etiam abſque peccato. Sic enim carentia Divinæ Viſionis non eſt pœna, ſed defectus conſequens omnem Naturam creatam.*

Quæ itaque ex Auguſtino proferuntur tam pia, quàm vera Animæ ad Deum videndum ſuſpiria & deſideria, non innata deſideria illa ſunt, ſed ex Gratia profecta: aut ſi fortè innata illa eſſe velis, atque congenita, quod tamen omnino nego; congenita eſſe dicam Naturæ ad ſupernaturalem ordinem elevatæ, qualis re ipſa condita fuit; non congenita Naturæ puræ, ſibique relictæ; qualem condi potuiſſe propugnamus. Tantum enim abeſt, ut pios illos affectus Naturæ inſitos voluerit Auguſtinus; quin potius Pelagianos, ac maximè Julia-

num, non ſemel inſectatus eſt, quòd quædam Virtutum ſemina Naturæ ineſſe fabulati fuiſſent.

Eo reſponſo eliſum arbitror alterum Janſenii telum, quo ſtatutam a nobis Aſſertionem impetere ſibi putat, dum ita ſibi videtur ſubtiliter argutari: Eo in Statu creari Homo non poteſt, quo Conditorem ſuum diligere nequeat: foret enim hæc ſumma perverſitas. Quis porro ſibi fingat, potuiſſe Hominem eo in Statu diligere Deum Conditorem ſuum, in quo Gratia ſanctificante orbatus eſſet; cùm dilectio nonniſi ex Gratia ſanctificante ſoboleſcat? Hoc, inquam, telum jam jam eliſum eſt. Qua etenim ratione duplicem Beatitudinem diſtinximus, ita duplicem Dilectionem diſtinguere licet: ſupernaturalem unam, naturalem alteram. Priori uti Author Gratiæ diligitur Deus; poſteriori uti Naturæ Author amatur. Illam in Statu Naturæ puræ impoſſibilem dicimus; iſtam poſſibilem arbitramur. Quamvis enim naturalis ea Dilectio, qua Deus uti Naturæ Author amatur, Naturæ lapſæ vires ſuperet; nec ſine Dei Gratia eſſe poſſit in hocce corruptionis Statu; nequaquam tamen Naturæ puræ vires excederet. Quorſum id? Quia nempe Natura jam nunc Originali peccato ſauciata tota in privatum bonum propenſa eſt, & a Deo procul averſa: quæ duo in Natura pura non eſſent; nihilque idcirco vetaret, quominus naturali Dei concurſu munita abſque Gratiæ ſupernaturalis ope Deum Naturæ Authorem naturali, ut vocant, Dilectione proſequeretur. Doctoris Angelici Reſponſio eſt *Quodlib.* 1. *art.* 8.; ubi Quæſtionem movens, *utrum primus Homo Deum dilexerit pluſquam ſe ipſum*, ita Diſputationem orditur: *Dicendum, quod ſi homo fuit factus in Gratia* (*ut ex verbis Baſilii, & Auguſtini haberi poteſt*) *Quæſtio iſta locum non habet. Manifeſtum eſt enim, quod exiſtens in Gratia per Charitatem diligit Deum ſupra ſe ipſum: ſed quia poſſibile fuit Deo, ut hominem faceret in puris naturalibus, utile eſt conſiderare ad quantum ſe dilectio naturalis extendere poſſit.* Ex quo videas, pro comperto habuiſſe Doctorem Angelicum, Hominem in Statu Naturæ puræ conditum dilectione naturali dilecturum fuiſſe Deum ſuum.

Mirari ſubit, quot hic choreas Bajus, & Janſenius agant. Monſtri pene inſtar habent eam duplicis Dilectionis diſtinctionem; quam & Scripturis, & Patribus, ſacriſque Conciliis repugnare non ſine audaci ſupercilio nobis effutiunt. Verùm audaciam illam fregit, minaxque ſupercilium compreſſit Sanctiſſimus Pontifex Pius V., qui inter ſeptuagintaquinque Propoſitiones a ſe proſcriptas iſtam notavit numero trigeſimam ſecundam: *diſtinctio illa duplicis amoris; naturalis videlicet, quo Deus amatur ut Author Naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur ut Beatificator, vana eſt, & commentitia*,

tia, ad illudendum Sacris Literis, & plurimis Veterum Teſtimoniis excogitata. Similiter & iſtam numero trigeſimam ſextam: *Amor naturalis, qui ex viribus Naturæ exoritur, ex ſola philoſophia per elationem præſumptionis humanæ cum injuria Crucis Chriſti defenditur a nonnullis Doctoribus.*

Quantum porro ea Sanctiſſimi Pontificis damnatio in audaces illas Aſſertiones lata ſacris Conciliis Œcumenicis congruat, vel ex uno Tridentino omnium celeberrimo colligere licet. Quoties enim Spiritus S. inſpirationem ad Deum diligendum neceſſariam definivit, toties id, adjecta veluti clauſula, temperavit; nimirum, *ſicut oportet ad ſalutem; ſicut oportet, ut Juſtificationis Gratia conferatur:* ſatis ea loquendi ratione ſignificans, alteram Dei, ut Naturæ Authoris Dilectionem admitti, quæ nec ſufficiat ad ſalutem, nec ſatis illa ſit, ut Juſtificationis Gratia conferatur. Cæterùm, dum Amorem illum Dei naturalem appello, ea cautione id a me dictum intelligite, ut naturalis vocitetur alio, & alio titulo, pro varietate Statuum, & conditionum. Si de Statu Naturæ lapſæ ſermo fiat, naturalis vocitatur hic Amor ex parte Termini, non ex parte Principii; quia etſi eo Amore Author Naturæ diligatur, non ſatis tamen diligitur Naturæ viribus; cùm ad Deum etiam uti Authorem Naturæ diligendum in hocce corruptionis Statu Divinâ Gratiâ ſit opus, uti ſuo loco probabimus: ſi de Statu Naturæ puræ Queſtio vertatur, utroque ex Capite Dilectio naturalis dici poteſt; quia nondum eo in Statu ſauciatus Homo naturalis duntaxat concurſus ope, aſpirante Deo, Naturæ Authori diligendo par eſſet. In ſequentibus de Status Naturæ puræ poſſibilitate, quatenus Legi mortis ſubdita eſt, Quæſtio movebitur.

PRÆLECTIO III.

Immunitatem a morte, cæteriſque Naturæ incommodis non adeo fuiſſe debitam Hominis conditioni, ut abſque illa Hominem Deus condere nequiviſſet, adverſus Janſenium, & Bajum propugnatur.

PROTOPARENTEM, cùm primùm conditus fuit, immortalitatis Privilegio donatum eſſe, nemo potuit unquam aliqua veritatis ſpecie diffiteri: *Deus* (inquit Sapiens cap. 2.) *creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Invidia autem Diaboli mors introivit in Orbem Terrarum:* & *cap.* 1. prius dixerat: *Deus mortem non fecit; nec lætatur in perditione vivorum. Creavit enim, ut eſſent, omnia: & ſanabiles fecit Nationes Orbis Terrarum: & non eſt in illis medicamentum exterminii .... Juſtitia enim perpetua eſt, & immortalis. Impii autem manibus, & verbis accerſierunt illam.* Confirmat hoc idem verbis non admodum abſimilibus Paulus Apoſtolus *ad Rom.* 5.: *Per unum Hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.*

Ac re ipſa id eventurum Protoparenti comminatus Deus erat, ſi fortè peccando Mandatum tranſgrederetur: *in quacumque die comederis ex eo, morte morieris, Geneſ.* 2. De doloribus, ægritudinibus, ærumnis idem omnino pronunciandum; iis ſcilicet Protoparentes fuiſſe prorſus immunes quandiu innocentes extiterunt. Eccur enim, qui mortis Lege ſoluti erant, non ab iis quoque liberi fuiſſent, quæ nonniſi mortis præludia, apparitores, & ſatellites reputantur? Et certè dolores, ægritudines, aliaque id genus infauſta Naturæ tormenta nonniſi ex peccato prodiiſſe, Scriptura non obſcurè, ſed apertè omnino ſignificat, ubi in Hevam, & Adamum pronunciatam a Deo Sententiam exhibet, poſtquam ambo, perpetrato facinore, a Conditore ſuo refugæ facti ſunt: *In dolore paries*, inquit Hevæ: *in ſudore vultus tui veſceris pane*, inquit Adamo, *Geneſis cap.* 3. Iis ergo ante peccatum ſoluti omnino erant; iiſque nos ipſi careremus, niſi per infauſtam peccati januam in hunc Mundum intraſſent: meritoque a Chriſtiano Poeta dictum eſt:

Tunc primùm prorſus nullis obnoxia morbis
Corpora geſtabant: & ſi Mandata ſupremi

Ser-

Servaſſent integra Dei, crudelia mortis
Imperia, & diros neſciiſſent uſque dolores.

Hinc Quæſtio ſuboritur viris Theologis non utique contemnenda; num immortalitas illa, morborumque immunitas, quibus donatus fuerat Protoparens, ita Humanæ conditioni debitæ fuerint, ut ſine iis Homo condi nequiverit? Inſtituti atque Propoſiti tenax Cornelius Janſenius, jactis Principiis hærens, quo jure Gratiam ſanctificantem Humanæ conditioni omnino debitam pronunciavit; ita & immortalitatem, ejuſque cæteras Appendices Homini primo debitas dixit; ſic ut Deus crudelitatis argui etiam poſſet, ſi Hominem mortis, morborumque Legi ſubditum condidiſſet.

Secus nos in præſenti Tractatione definimus: nec ſatis mirari poſſumus, virum, qui unum Auguſtinum Doctrinæ ſuæ ducem ſequi, ac venerari profitetur, figmentum ab Auguſtino tam apertè, tam eleganter exploſum admiſiſſe. Quid iis ſanctiſſimi Doctoris verbis explicatiùs, quæ habentur *de Geneſ. ad lit. cap.* 25. *Poſſe non mori.... quod ei* (Adamo) *præſtabatur de ligno vitæ non de conſtitutione Naturæ..... Mortalis ergo erat conditione corporis animalis; immortalis autem beneficio Conditoris*. Si enim non conſtitutione Naturæ, non conditione corporis animalis, ſed uno Conditoris beneficio immortalis erat, quis non videat, ruere funditus totum illud, qualecumque ſit, figmentum Janſenianum? Similiter *Lib.* 13. *de Civit. Dei cap.* 20. legimus: *qui ſtatus* (immortalitatis) *eis* (primis Parentibus) *de ligno vitæ, quod in medio Paradiſo cum arbore vetita ſimul erat, mirabili Dei Gratia præſtabatur*. Si porrò id Dei Gratiâ præſtabatur; non itaque ex Naturæ conditione debebatur.

S. Auguſtinum doctrinæ ducem ſequutus eſt Doctor Angelicus, ac pene totidem verbis exſcripſit *in* 2. *Sent. Diſt.* 19. *Quæſt.* 1. *artic.* 4. *Immortalitas illa, & impaſſibilitas* (inquit Scholæ Princeps) *quam homo habuit in primo Statu, non inerat ſibi ex principiis Naturæ, ſed ex beneficio Conditoris*. In quo porro beneficium hoc Conditoris ſitum eſſet, paucis quidem, ſed efficacibus verbis exponit 1. *Part. Queſt.* 97. *art.* 1. *Non enim*, inquit, *corpus ejus* (primi hominis) *erat indiſſolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo exiſtentem, ſed inerat animæ vis quædam ſupernaturaliter divinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præſervare, quandiu ipſa Deo ſubjecta manſiſſet*.

Neque verò neceſſe omnino eſt, alta Scripturarum, Patrumque Myſteria rimari, ut Janſeniani hujuſce Dogmatis falſitatem detegamus. Sat erit, Philoſophia duce, Naturam Hominis noſſe. Quis etenim neſciat, Hominis corpus pugnantibus ſecum Qualitatibus, & Humoribus compactum eſſe, omnium corporum animalium forte id

te id poſtulante? Qua demum pugnâ tandem aliquando evenit, ut Qualitatum altera prævalente ſolvatur tota compages, Homoque pereat, niſi ſupremus Naturarum Conditor Deus adverſus inteſtinum illud Qualitatum, Elementorumque diſſidium ſingulari dono aliquo Hominem muniat. Providerat larga manu lignum vitæ condens, quo quandiu veſci vellet Homo, poſſet re ipſa non mori: ſed erat hæc Largitas, & Benevolentia Conditoris, non conditio corporis animalis. Quis etenim ſibi fingat, Deum ad plantandum vitæ Arborem aliqua neceſſitate adactum eſſe? Aut fortè cogente aliquo ſuos Angelos deſtinaſſe, qui Protoparentes noſtros oppanſa capitibus umbella tegerent? Abſit. Quod id egerit, uni ejus Benevolentiæ deputandum eſt.

Quibus profectò Momentis adductum arbitror Sanctiſſimum Pontificem Pium V. ut hanc ipſam cæteras inter Baji Propoſitiones proſcriberet, numero ſexageſimam quartam: *Immortalitas primi Hominis non erat Gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio*. Quæ damnatio cùm Janſenio perſpecta fuerit, mirari ſubit, hanc abillo poſthabitam fuiſſe, atque contemptam. Sed adeo apertus ei viſus eſt Auguſtinus ad ſuum illud Figmentum adſtruendum, ut Pontificis damnationem flocci facere nullatenus dubitarit.

Quo itaque pacto id ex Auguſtino demonſtrare ſibi putaverit, perpendamus; & prolixam ejus objectionem ad limam vocemus. Favete quæſo animis; nam & hoc ejus Argumentum ex Auguſtini Doctrina petitum difficillimum eſt, & valde prolixum.

S. Auguſtinus, inquit Janſenius, peccatum Originale adverſus Pelagianos probaturus, potiſſimùm ex ea moriendi neceſſitate, cæterarumque miſeriarum hoſtili apparatu fundamentum repetebat; ut ſcilicet peccatum aliquod nobis ineſſe demonſtraret, unde omnia iſta originem ducerent: alioquin injuſtum fore Deum oſtendebat, ſi nullo præexiſtente peccato, iis nos miſeriis perpetuò laceſſeret; tametſi illas nulla noſtra culpa promeriti fuiſſemus.

Quid ad hæc Pelagiani, ne peccatum Originale admittere cogerentur, unde miſeriæ illæ ſoboleſcerent? Reponebant plane, iis nos miſeriis leceſſiri, non in alicujus peccati Originalis pœnam, quod caſtigari mereretur; ſed alia omnino de cauſſa: nimirum ut in injuſtis Hominibus peccata actualia, propria voluntate perpetrata, caſtigarentur; in juſtis & Sanctis, ut Virtus hoc exercitio probaretur, & augeretur. Verùm præcludebat eis os doctiſſimus Auguſtinus Parvulorum Exemplo; in quibus non abſimiles miſeriæ reperiuntur; nec tamen in eis aut probari Virtus, aut propriæ Voluntatis peccata caſtigari ullo modo poſſunt. Sic certè Pelagianos retundit Auguſtinus *Lib. 6. contra Julianum cap. 21. Vos autem negantes Originale peccatum, profectò aut cogemini dicere, Deum*

Deum vel invalidum, vel injuſtum; ſub cujus poteſtate imago ejus in parvulis ſine ullo vel proprii, vel originalis peccati merito tantis affligitur malis: non enim per hæc exercetur virtus, quod rectè de bonis Hominibus majoribus dicitur, in quibus Rationis eſt uſus. Sed & hoc quoque totum eludere Pelagiani nitebantur. Parvulos iſta pati, reponebant, nulla quidem vel caſtigandi peccati actualis, vel exercendæ Virtutis cauſſa: nec tamen eſſe Deum injuſtum, qui illos iis miſeriis afficeret prorſus immeritos; quia eis in altera vita compenſationem aliquam reſervabat, qua damnum hoc cumulatiſſimè reſarciret. Sed & illud effugium Exemplo Parvulorum ſine lavacro decedentium præcluſit ſanctiſſimus Doctor *Epiſt.* 28. quæ ad Hieronymum data eſt: *Quæ* [inquit] *circa eos compenſatio cogitanda eſt, quibus inſuper & damnatio præparata eſt?* Sic ut illud Auguſtini in Pelagianos Argumentum ſteterit penitus inconcuſſum, nullaque ſubtilitate declinari potuerit, moriendi neceſſitatem, cæteraſque hujus vitæ miſerias ex peccati Originalis labe neceſſario ſoboleſcere.

Ex hac porro tota ſanctiſſimi Doctoris in Pelagianos Concertatione ita colligit Janſenius in ſuæ Sententiæ præſidium: ſi verum eſt, quod Scholaſtici Theologi fabulantur, Hominem, nullo ſtante peccato mortalem, cæteriſque miſeriis ſubditum a Deo creari potuiſſe; Humanæ Naturæ conditionem, utpote animalem, iis incommodis ſine injuria ſubdi potuiſſe; unique Dei Bonitati, non autem Juſtitiæ deputandum eſſe, quòd Hominem condiderit immortalem, cùm ſecus poſſet agere ſummo jure; corruit tota illa Gratiæ Vindicis Diſputatio, nulloque negotio exſufflatur. Facilè quippe foret Pelagianis brevi reponere, fruſtra ex illa, quam experimur, mortis, cæterarumque miſeriarum neceſſitate peccatum Originale colligi, quod eorum omnium cauſſa eſse credatur; cùm hæc Humanæ Naturæ conditio ſit, ut & mori, & pati poſſit, nullo licèt præcedente peccato; utpote quæ animalis eſt, ſicut & aliæ; & pugnantibus ſecum Qualitatibus compacta, quæ ejus interitum inteſtino diſſidio machinentur. Sic ſuam ille Cauſſam agit toto *Libro* 3. *de Statu Naturæ puræ*.

Deo nihilominus aſpirante, Janſenio reponimus, totam illam Auguſtini adverſus Pelagianos Diſputationem, qua peccatum Originale ex ea, quæ nobis ineſt, moriendi neceſſitate colligit, non ex ipſa per ſeſe moriendi neceſſitate, aut ex Humanæ Naturæ ſecundùm ſeſe ſpectatæ conditione peti; quaſi moriendi neceſſitas nonniſi ex peccato ſuboriri poſſit: ſed Humanam Naturam ſpectare, qualis ſecundùm Divinarum Scripturarum Oracula primitus inſtituta eſt; Deique Fidem ſupponere primis Parentibus oppignoratam, qua nunquam illos morituros ſpoponderat, quandiu Divinis

nis ejus Mandatis obſequerentur. Hæreticos enim exagitabat ſanctiſſimus Doctor, qui Sacrarum Scripturarum Libros agnoſcebant; qui illarum Oracula venerabantur; aut certè venerari ſe ſimulabant. Quare tota ejus in illos Argumentatio ad hanc fere formam revocari poteſt: Protoparentes immortales a Deo conſtituti ſunt; eiſque ſupremus Conditor comminatus eſt, futurum, ut morerentur, ſi ejus Mandata tranſgrederentur, ac ſibi, nobiſque peccarent: at jam fatali nimis experimento probamus eam in nobis moriendi legem; nec ſolùm in nobis Adultis, in quibus actualia peccata caſtigari poſſent; ſed & in Parvulis ipſis, quibus nondum eſt Voluntatis uſus: igitur Parvulis etiam ineſt peccatum aliquod; quod, cùm propria Voluntate admiſſum non ſit, ex vitiata origine traduci neceſſum eſt. En Auguſtini Argumentum invictum; at non ex ipſa per ſeſe moriendi neceſſitate petitum eſt; quaſi hæc ex peccato neceſſariò progerminet, nec ſine peccato eſſe potuerit, ſi ita Deo Hominem condere placuiſſet; ſed ex moriendi neceſſitate ſuborta poſt conditum Hominem immortalem. Hinc Auguſtinus eo utens Argumento Scripturarum Teſtimonia toties appellat, quæ Hominem primitus *inexterminabilem* factum ajunt; quæ *Deum mortem non feciſſe* monent; ſed *impios illam manibus*, *verbiſque accerſiviſſe*; aliaque id genus, quæ Divinis in Literis ſæpius occurrunt. Cæterùm non id obeſt, quominùs ex ipſa ſola animalis Naturæ conditione mors oriri in Homine potuiſſet, ſi illum congenitæ conditioni relinquere Conditori libuiſſet.

Neque verò mirari ſubit, eam moriendi neceſſitatem pœnæ loco reputari ab Auguſtino, quam nos nativam conditionem appellamus. Utroque ſiquidem nomine pro Statuum varietate nuncupari poteſt. Naturæ, inquam, conditio eſt, ſi res per ſeſe, ac juxta animalis Naturæ Principia penſitemus; pœna eſt, ſi Privilegium, quo ab ipſo Conditore donatus fuerat primus Homo, perpendamus. Ex quo etenim immortalitate, tametſi minùs debita, a ſuo Conditore donatus eſt dum primò conditus fuit, pœna, & quidem graviſſima, reputanda eſt moriendi neceſſitas conſecuta: *Si enim aliquis propter culpam ſuam* (inquit Doctor Angelicus 2.2. *quæſt.* 164. *art.* 1.) *privetur aliquo beneficio ſibi dato*, *carentia illius beneficii eſt pœna culpæ illius*: quanquam pœnæ locum non haberet, ſi nunquam illo donatus fuiſſet.

Iis Reſponſis eliſam opinor magnam illam Argumentorum ſtruem, quibus ex Auguſtini in Pelagianos Concertatione nos Janſenius non tam impetere, quàm obruere ſibi videbatur. Vim tamen Cauſſæ ſuæ non minimam addidiſſet ex Doctore Angelico, niſi ab ejus lectione peregrinus omnino fuiſſet. Enimvero (ut nihil omiſſum faciamus) peccatum Originale adverſus Gentiles probaturus

rus

rus Doctor Angelicus *Lib.* 4. *contra Gentes cap.* 52., hanc ipſam rationem uſurpat ex mortis neceſſitate, cæteriſque miſeriis deſumptam, perinde ac Auguſtinus contra Pelagianos quæſtionem habens. At dum contra Gentiles diſputat D. Thomas, totam Argumenti vim petit ex ipſa Humanæ Naturæ conditione ſpectata ſecundum ſeſe; quaſi ei repugnet, iis miſeriis innoxiam affligi: abſurdum quippe foret ſibi fingere, eum Scripturæ Oracula ſuppoſuiſſe, quibus Divina Revelatione novimus, Hominem immortalitate ſibi indebita donatum eſſe; cùm nihil apud Gentiles valeat Scripturarum Authoritas. Senſit itaque Doctor Angelicus, miſerias iſtas Humanæ Naturæ ſecundum ſeſe ſpectatæ omnino repugnare.

Sed & hoc quoque obtuſum telum eſt. Nec enim Doctor Angelicus ad probandum contra Gentiles Fidei Dogma rationes naturales uſurpare voluit, aut etiam potuit, quæ demonſtrationis vim obtinerent; ſed quæ probabilitatis titulo, ut ut maximè, fruerentur. Eſt enim illa Articulorum Fidei conditio, ut ratione naturali ſuaderi poſſint, demonſtrari non poſſint. Jam, ſi ea Doctoris Angelici ratio demonſtrativa non eſt, non itaque conſtat ex Propoſitionibus neceſſariis, ſed congruentibus ſolummodo, uti Dialecticæ leges ferunt: ac propterea congruum quidem juxta D. Thomam reputari debet, ut mors, cæteræque Humanæ Naturæ miſeriæ in alicujus peccati pœnam infligantur; non id tamen neceſſarium reputandum eſt, quaſi nullo præexiſtente peccato iis ſubdi non poſſit Homo pro Naturæ animalis congenita conditione. Proxima Tractatione Quæſtionem reſolvemus, quæ agitari inter Theologos ſolet de Statu Naturæ puræ, quatenus Concupiſcentiam Rationi perduellem afferre dicitur.

PRÆLECTIO IV.

In Statu Naturæ puræ, ſi in eo Hominem condere Deo placuiſſet, nullam fuiſſe Concupiſcentiam Rationi perduellem, ſtatuitur.

QUÆSTIONEM aggredimur, in qua mutuo ſecum diſſidio pugnare cernimus Janſenii Adverſarios. Communi hoſte pene dimiſſo, in quem concordi conſilio ſigna contulerant, ſecum mutuò digladiantur, & pugnant. De Status Naturæ puræ poſſibilitate certaturi contra Janſenium, novum inter ſeſe certamen ineunt, curioſiùs inveſtigando, num Humana Natura pura, ſeu Homo ipſe naturali conditioni relictus Concupiſcentiæ pugnam pateretur, atque ita num potuerit Deus Hominem in puris naturalibus condere cum Concupiſcentia Rationi perduelli. Putant ſiquidem Aliqui, Concupiſcentiam Rationi perduellem adeo eſſe Humanæ Naturæ contrariam, ut nonniſi ex peccato oriri poſſit, ac ſoboleſcere; hocque præſertim Doctoris Angelici Teſtimonio nituntur 1. 2. *quæſt.* 82. *ar.* 3. *ad* 1. ajentis: *in tantum concupiſcere eſt homini naturale; in quantum eſt ſecundum Rationis ordinem. Concupiſcentia autem, quæ tranſcendit limites Rationis, ineſt homini contra Naturam.* Hincque colligunt, Hominem in Statu Naturæ puræ conditum, in quo nempe nihil aut ſupra, aut contra Naturam haberet, Concupiſcentiam Rationi perduellem nullatenus habiturum. Alii e regione poſiti Concupiſcentiam effrænem Humanæ Naturæ defectum ex ipſa ſui conditione ingenitum dicunt, uti rubiginem ferro: quia cùm Homo contrariis partibus conſtet, rationali videlicet, & animali, iſta in alteram naturaliter pugnat; tametſi nunquam eo in Statu Naturæ puræ Superiorem Inferior vinceret: quod in Natura lapſa ob contractam ex Originali peccato Partis ſuperioris infirmitatem plerumque contingit, niſi potentiſſimam ferat opem Gratia Salvatoris.

Stant pro utraque magni nominis Theologi, atque etiam D. Thomæ Diſcipuli tenaciſſimi, qui ſanctiſſimi Doctoris mentem hinc inde pro ſtudio flectunt. Pro prima litant Guillelmus Eſtius, Regius olim in Academia Lovanienſi Profeſſor, Thomas de Lemos, Contenſonius, Natalis Alexander, meus quondam aliàs in facultate Pariſienſi Magiſter, ac ſtudiorum Moderator; cujus celeberrimum nomen nunquam ſine magnis laudibus proferre ſoleo.

Li-

Litant ex altera cæteri pene omnes, Goneto ſuffragatore, & adſtipulatore. Hæſi, ut fatear quod res eſt, hæſi diu, quam in partem abirem; parumque abfuit, ut Concupiſcentiam perduellem cum Statu Naturæ puræ ſtare poſſe propugnarem; ita tamen, ut perduellem Concupiſcentiam Naturæ lapſæ, qualem nunc experimur, longè crudeliorem, ac multò magis effrænem ſimul adſtruerem. At alterius demum Sententiæ fundamentis victus in eam omnino propendi; quam & Auguſtini menti, & Angelici Doctoris Principiis conſonam magis exiſtimavi. Quare cum Eſtio, aliiſque magni nominis Theologis ſuperius a me appellatis firmiter ſtatuo, in Statu Naturæ puræ, in quo videlicet conditus eſſet Homo ſine peccato, & ſine Gratia, nullam fore Concupiſcentiam Rationi perduellem.

Et certè quid Status Naturæ puræ nomine intelligimus in iſta, quæ nunc agitatur, Controverſia? Profectò nihil aliud, niſi Status, in quo haberet Homo quidquid Naturæ Humanæ debitum eſt; nihilque aut ſupra, aut contra Naturam experiretur. Quis dicat, Concupiſcentiam Rationi perduellem non eſſe contra Naturam Hominis? Quanquam enim duabus partibus coaleſcat, rationali ſcilicet, & animali; naturalis tamen ordo poſtulat, ut animalis rationali ſubdatur, uti ſubditus ſuperiori: aliàs ſi rebellet in eam, ipſa Naturæ Lex violatur. Id brevi complexus eſt Doctor Angelicus 1. 2. *quæſt.* 82. *art.* 3. *ad* 1.: *Quia in homine*, inquit, *concupiſcibilis naturaliter regitur Ratione, in tantum concupiſcere eſt homini naturale, in quantum eſt ſecundum Rationis ordinem. Concupiſcentia autem, quæ tranſcendit limites Rationis, ineſt homini contra naturam.* Quo Momento eliſam videas Adverſariorum tritam Argutiam; qui, ut Concupiſcentiam Rationi perduellem Humanæ Naturæ conſentaneam probent, eo maximè nituntur Argumento, quod duabus inter ſe contrariis partibus conſtet Homo; carnali ſcilicet ac ſpirituali; adeoque nil mirum eſſe ajunt, ſi una naturaliter pugnet in alteram; cum Caro ſeu concupiſcibilis Appetitus id habeat naturaliter, ut tendat in delectabile ſecundum ſenſum. Id, inquam, eliſum eſt: quanquam enim contrariis partibus conſtet; harum tamen una ex naturali conditione ſubditur alteri; atque idcirco nulla ex ea contrarietate oritur pugna, niſi Naturalis ordo ſolvatur. Quapropter concupiſcibilis Appetitus naturaliter quidem tendit in delectabile ſecundùm ſenſum; ſed tamen ſecundùm dictamen Rationis: quo pacto non cenſetur Concupiſcentia perduellis, ſed regulata Ratione. Audi Doctorem Angelicum *in* 2. *Sent. Diſtinct.* 30. *quæſt.* 1. *art.* 1. *ad* 4.: *Vis concupiſcibilis naturale habet hoc, ut in delectabile ſecundùm ſenſum tendat: ſed ſecundùm quod eſt Vis concupiſcibilis humana,*

habet ulterius, ut tendat in ſuum objectum ſecundùm regimen Rationis. Vultis aliquid explicatius? Audite quid rurſus habeat *Quæſt. 4. de malo artic. 2. ad 1. dicendum quod aliquid poteſt eſſe naturale homini dupliciter. Uno modo in quantum eſt animal; & ſic naturale eſt ei, quod concupiſcibilis feratur in delectabile ſecundùm ſenſum, communiter loquendo. Alio modo in quantum eſt homo, id eſt animal rationale; & ſic naturale eſt ei quod concupiſcibilis feratur in delectabile ſenſus ſecundùm ordinem Rationis. Concupiſcentia ergo, per quam prona eſt vis concupiſcibilis, ut feratur in delectabile ſenſus præter ordinem Rationis, eſt contra naturam hominis in quantum eſt homo: & ita pertinet ad peccatum Originale.* Quid, amabo, luculentius, quid efficacius?

Quod uſque adeo verum eſt, ut ipſi quoque Gentiles Philoſophi Platonici ex ea, quam experiebantur in ſemetipſis Concupiſcentiæ pugna contra Rationem, internoverint, ineſſe quoddam Humanæ Naturæ vitium, fatali aliquo caſu conſecutum; quo naturalis ordo ſolutus eſſet: tametſi, ut erant lumine Fidei deſtituti, id ex Originali peccato conſecutum eſſe, penitus ignorarent.

Sed attendite quid reponant, ut eo ſe laqueo liberent Recentiores. Appetitum concupiſcibilem Rationi quidem naturaliter ſubditum fatentur; non ita tamen, ut naturaliter rebellare non poſſit; ſed ita ſolùm, ut naturaliter non vincat, & ſuperet: ſic Homini in Statu Naturæ puræ conſtituto Concupiſcentiam effrænem inſitam putant; ita tamen, ut Ratio ingenito ſibi robore perduellionem ejus ſuperaret. Verùm hoc ipſum ex diametro occupavit D. Auguſtinus: nam Pelagianos eaſdem argutias obtrudentes inſectatus eſt *Lib. 5. contra Jul. cap. 7. mala tamen eſt* (Concupiſcentia) *& quando non ceditur; quia malo reſiſtitur, ne bonum Caſtitatis intereat, ſi huic malo non reſiſtatur: & Lib. 6. cap. 15. quis autem ita ſit imprudens, atque impudens, ita procax, pertinax, pervicax; ita poſtremò inſanus & demens, qui cùm peccata mala eſſe fateatur, neget eſſe malam Concupiſcentiam peccatorum, etiamſi adverſus eam concupiſcente ſpiritu, peccata concipere, & parere, non ſinatur?* Non itaque ſervando naturali ordini ſatis eſt, ſi Spiritus pugnantem Concupiſcentiam vincat; ſed hoc ipſum magnum contra Naturam malum eſt, quòd hæc in Spiritum pugnet, ac reluctetur: quod certè ſolvendo naturali ordini ſufficit. Ponamus rem in Exemplo, videamuſque, quam frivola ſit ea Recentiorum evaſio. Principi ſubjectus eſt Subditus, miles Duci, Domino famulus: quis porro ſibi unquam fingat, debitas ſubjectionis leges ſervatum iri, ſi Subditus in Principem, miles in Ducem, in Dominum famulus petulanter inſurgerent; quan-

quanquam ii arreptis ſtatim armis perduellium impetus ſuperarent? Sola ipſa perduellio malum eſt; ſola illa debitæ obedientiæ jura ſubruit. Idem plane de Concupiſcentia pronunciandum. Vis Exemplum aliud ex Auguſtino petitum? In promptu eſt *Lib. 1. cap. 9. de Nupt. & Concup.* ubi veluti in Exemplum profert naturalem fœminæ ad Virum ſubjectionem: *Nec dubitari*, inquit, *poteſt, naturali ordine Viros potius fœminis, quam Viris fœminas principari. Quod ſervans Apoſtolus ait: Caput Mulieris Vir: & Mulieres ſubditæ eſtote Viris veſtris*. Jam quæro ego: ſtaret ne ordo naturali Lege conſtitutus, ſi Mulier in Virum inſurgeret, quanquam ille viribus fortè ſuperior, aut etiam arrepto baculo Mulierem ſub jugum mitteret? Quis ergo, niſi plane deſipiat, ſervatum iri naturalem ordinem fabuletur, ſi ſenſibilis Appetitus in rationalem inſurgat, quanquam hic ingenito ſibi robore reluctantem ſub jugo poneret? Fatendum itaque, ſolam ipſam Concupiſcentiæ perduellionem malam eſſe; peccatum non dico; ſed malam; indito Naturæ ordini adverſam; conditioni Hominis repugnantem; tametſi, ut loquitur Auguſtinus, repugnante Spiritu peccata concipere, & parere, non ſinatur.

Nunc ſi Patres Controverſiæ Judices appellemus, res patebit ipſa per ſe ſe. Patrum enim, ac Theologorum communis aſſertio eſt, quatuor eſſe Naturæ vulnera ex Originali peccato conſecuta: Ignorantiam in Intellectu; Ignorantiam dico non ſimplicis negationis, ut Scholaſtici loquuntur, ſed pravæ diſpoſitionis; de qua ait ſæpius Auguſtinus: *approbare falſa pro veris non eſt Natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati*: Malitiam in voluntate: Infirmitatem in Appetitu iraſcibili: Concupiſcentiam effrænem in Appetitu concupiſcibili. De hoc ultimo vulnere ita decernit S. Fulgentius *Lib. de Incarn. cap.* 13. loquens de Adamo; *expoliatus*, inquit, *veſtimento Fidei, carnaliumque concupiſcentiarum vulneribus ſauciatus...... Hoc in illo, qui primus factus eſt, Patre Orbis Terrarum Univerſi pertulimus, in quo omnes peccaverunt antequam nati eſſent, qui per ſe ipſos peccare non potuerunt*. At quis Concupiſcentiam effrænem Naturæ vulnus jure dixerit, ſi Naturæ etiam non vulneratæ, non læſæ, ſed puræ propria eſſe poſſet, ac nativa etiam Hominis conditio reputanda eſſet? Vulneris quippe nomine nihil aliud venit in mentem, quàm quidpiam Naturæ contra Naturam ipſam infixum, debitam conſtitutionem lædens, malum inferens, nativam compagem diſſecans: quæ omnia rei naturaliter congenitæ minùs congruunt.

Erit fortaſſe qui dicat, Concupiſcentiam effrænem idcirco nunc Naturæ vulnus nuncupari, tametſi nativæ conditioni debita eſſet, quia ſine illa ex ſingulari Dei Gratia conditus Homo fuerat, nec niſi

niſi ſubſecuto Adæ peccato pullulavit. Verùm falluntur oppidò, qui id effutiunt. Pœnæ quidem nomine nuncupari poſſet, ſi ita ſe res habuiſſet; Vulnus appellari non poſſet, niſi ipſam vulneris idæam prorſus immutare velimus. Rem experimur Exemplo: Mortalitas erat Humanæ Conditioni congenita, utpote ex contrariis Qualitatibus, & Elementis compactæ; nec niſi Divina Largitate effectum erat, ut immortalis conderetur, juxta illud Auguſtini celebratum effatum *Lib. 6. de Geneſ. ad lit. cap. 25.* : *mortalis erat conditione corporis animalis, immortalis beneficio Conditoris*. Quid ſubinde factum? Conſecuto peccato eò recidit Homo, ut mortalis eſſet; morſque ea de cauſſa pœna peccati dicta eſt. Nemo tamen fuit unquam, qui eam moriendi neceſſitatem vulnus Hominis appellarit. Sic ergo, ſi Concupiſcentia perduellis Humanæ Conditioni congenita eſſet, nec niſi Divina Largitate effectum fuiſſet, ut ſine ea conderetur; ex quo tamen conſecuto peccato Concupiſcentiæ perduellio progerminaſſet, pœnæ quidem nomine vocitari poſſet, non tamen vulnus dicenda foret.

Gravia ſunt hæc, Viri Theologi; ſed fient eorum, quæ ex Auguſtino prolaturus ſum, comparatione leviſſima. Selectiora Teſtimonia deflorabo, ne ſi fortè ſingula referre velim, ſatis nobis temporis non ſuperſit.

Auguſtinianæ Doctrinæ Principium eſt, inclinationem ad malum naturalem Homini eſſe non poſſe. Pro eo contra Manichæos ſtrenuè pugnavit SS. Doctor *Lib. de duabus Animabus*; aliàs enim Homo naturâ ſuâ malus eſſet, quod ii tam impiè, quàm falsò criminabantur. Porro Concupiſcentia perduellis Hominem ad malum inclinat, quocumque in ſtatu fingatur eſſe, cùm illum in delectabile ſecundùm ſenſum contra Rationis dictamen impellat: Homini ergo naturalis eſſe non poteſt, ſed ex peccato Originali duntaxat fatali quadam neceſſitate originem ducit. Hinc illa frequens apud Auguſtinum Sententia ab ipſa Synodo Tridentina conſecrata, & in ſuos Canones transfuſa: *Concupiſcentia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat*.

Alterum nihil minus celebre eſt Auguſtinianæ Doctrinæ Principium; nullam videlicet ſine malo pugnam reperiri poſſe: *quando enim pugnatur* (inquit ille *Lib. 5. contra Julianum cap. 7.*) *aut bonum pugnat, & malum, aut malum & malum; aut ſi duo bona inter ſe pugnant, ipſa pugna eſt magnum malum*. Hinc Julianum Concupiſcentiam effrænem uti Humanæ Naturæ affectionem ſtrenuè commendantem his verbis exagitabat Sanctiſſimus Doctor *Lib. 3. cap. 21. contra Julian. ſi malum eſt* (Concupiſcentia) *cur laudat? Si bonum eſt, cur expugnat? Si autem nec bonum, nec malum eſt, ut quid laudat? Ut quid expugnat? Quandiu igitur expugna-*

pugnator libidinis eris, tandiu pro me contra te ipſum judex eris. Neque verò reponere juvat, hæc de Concupiſcentia perduelli Naturæ lapſæ ab Auguſtino dicta eſſe. De Concupiſcentia ſiquidem perduelli ex ipſa per ſeſe perduellionis conditione certiſſimè diſputat: id ejus ratio ſine controverſia demonſtrat. Nullum ſiquidem bonum, quovis in ſtatu quæſtionem ponas, alteri bono naturaliter repugnat. Imò verò, cum idcirco contra Pelagianos demonſtraret, admittendum eſſe peccatum Originale, cui veluti cauſſæ Concupiſcentia perduellis adſcribatur, pro certo ſupponit, eam nonniſi ex peccato ſoboleſcere poſſe: aliàs nihil in illos evinceret hoc Argumento, quod ſæpius in illos contorquet; ac præſertim in Libris contra Julianum Pelagianum elaboratis: imo ſupponeret, quod ipſi probandum erat.

Accedit tertium pari conſtantia, rationumque pondere confirmatum clariſſimi Gratiæ Vindicis Fundamentum; ſcelus eſſe de Dei Conditoris operibus erubeſcere; ac de altero, quàm de vitio, aut de pœna propter vitium nobis impoſita pudore ſuffundi: *quid ingratius* (inquit *Lib. 2. de nuptiis & concup. cap. 9.*) *quid irreligioſius, ſi in membris noſtris non de vitio, vel de pœna noſtra, ſed de Dei confunderemur operibus?* Suadet hoc ipſum explicatiſſima ratio: de bono enim nullatenus erubeſcimus: *Opera Domini univerſa bona valde; Eccleſiaſtic. cap.* 39. Porro quis ita ſit imprudens, ut & de Concupiſcentia perduelli, & de Concupiſcentiæ motibus non erubeſcat? Quis aliquo ſaltem pudore, ubi eam perduellionem perſentit, non ſuffundatur? Hanc igitur malam, & ex peccato conſecutam fateri omnino neceſſe eſt. Conſecutionem explicatiſſimis verbis intulit S. Doctor *Lib. 1. ad Bonifacium cap. 16.*: *itaque ſua culpa ſibi accidens malum Natura humana permittatur agnoſcere, ne cogatur, aut, quod eſt impudentiſſimum, de his ſuis motibus non erubeſcere, aut, quod eſt ingratiſſimum, de ſui Creatoris operibus erubeſcere*.

Coronidem imponet inſtitutum ab eodem Divinæ Gratiæ Defenſore diſcrimen inter belluarum Concupiſcentiam, & Hominum. Priorem ſiquidem malam non eſſe idcirco probat, quia contra Rationem (qua belluæ deſtituuntur) minimè pugnat: iſta e contrario. Ita certè definit ille *Lib. 4. contra Jul. cap.* 5. Hincque etiam Humanæ Naturæ ſupra bruta animantia dignitatem colligit *Lib. de peccato Originali cap.* 40. inquiens: *comparatur namque* (nimirum Homo pecoribus) *per vitium, non per naturam; non pecoris vitio, ſed naturæ. Tantæ namque excellentiæ eſt in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis natura ſit pecoris*. Non igitur Humanæ Naturæ conditio æſtimanda eſt Concupiſcentia perduellis, ſed vitium; quo in Brutorum ſortem ſuæ veluti dignitatis oblitus

Digitized by Google

oblitus præceps labitur. Neque hic valent tritæ illæ recentiorum quorundam Theologorum diſtintiunculæ, quibus Concupiſcentiam effrænem non in Natura quidem lapſa, ſed pura congenitam Hominis conditionem futuram ariolantur. Id enim ſi velint, fateantur omnino neceſſe eſt, nihil Hominem nudum, ac purum a bruto Animanti diſtinctum iri : quod quàm vanum, abſonumque ſit, nemo non videt.

Audiendum nunc, & ad trutinam revocandum, quid ipſi ad ſuum illud Dogma adſtruendum afferre ſoleant. Verùm quia plura illa ſunt, quàm ut uno alterove ſaltu proferri, librarique poſſint, in ſequentibus mittimus pertractanda.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO V.

Objectiones contra præcedentem Aſſertionem diluuntur.

CONCUPISCENTIAM effrænem, ac rationi perduellem humanæ Naturæ conditioni contrariam eſſe, ſatis opinor in antehabitis demonſtravimus. Hanc non hominis ſortem ingenitam eſſe, ſed labem ex Protoparentis inobedientia derivatam, qua naturalis ordo diſſolvitur, multis aſſeruimus Argumentis; ut evinceremus, Hominem in Statu Naturæ puræ, ſi in eo fortè conditus fuiſſet, nullam hujuſmodi rationi perduellem Concupiſcentiam perſenſurum. Reſtat, ut in præſentia ad diluenda Theologorum aliter ſentientium Argumenta vocem, & animum convertamus.

Primam ex Pii V. Diplomate adverſus Michaelem Bajum lato aciem inſtruunt. In eo quippe Propoſitionem iſtam numero vigeſimam ſextam damnatam obſervant: *Integritas primæ creationis non fuit indebita Naturæ humanæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio*. Jam ſi hæc Aſſertio proſcripta eſt, inquiunt, oppoſitum igitur ſtatuendum omnino venit; Integritatem videlicet illam, quacum conditus eſt primus Homo, humanæ Naturæ prorſus indebitam extitiſſe. Nos totum id ultro damus: ſed quid inde colligant, plane neſcimus. Fuerit Integritas, cum qua conditus eſt primus Homo, humanæ Naturæ prorſus indebita, bene eſt: at perperam inde colligunt, ſubjectionem Appetitus concupiſcibilis ad Rationem eſſe etiam indebitam. Plura enim ſecum affert primæ conditionis Integritas ultra eam ſubjectionem, de qua ſermo nobis eſt in præſentia; ratione quorum indebita fuerit; modum ſcilicet, perfectionemque a Gratia ſanctificante prodeuntem. Nos de ſola Appetitus concupiſcibilis ſubjectione nudè ſpectata ſermonem inſtituimus; hancque unam humanæ conditioni debitam dicimus; nec niſi Protoparentis peccato læſam, violatamque contendimus.

Addam etiam, nec addidiſſe pigebit ad Virorum eruditorum animos ſatiandos, ex Propoſitionibus ſeptuaginta ſex ſub nomine Michaelis Baji a S. Pio V. damnatis nonnullas eſſe, quæ in rigore, & in proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento aliquo pacto propugnari valent; nec alia ratione ab Apoſtolica Sede proſcriptæ ſunt, quàm quia ſiniſtro ſenſu accipi, aut ingenerare ſcandalum poſſunt. Fuit ea de re quondam aliàs graviſſima Controverſia hinc

inde concitatis animis agitata; quæ noſtris demum temporibus eliquata eſt: de qua hic breviter dicere nec injucundum erit, nec ab inſtituta Quæſtione penitus alienum. Pius V. Pontifex ſanctiſſimus ſeptuaginta ſex Propoſitiones a Michaele Bajo, aliiſque, ut fama ferebat, Theologis Lovanienſibus aſſertas Apoſtolico Diplomate damnaturus, eas totidem verubus ex integro ſtatim exhibet: tum demum ita ſubdit: *quas quidem ſententias .... quanquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent in rigore & proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento .... damnamus circumſcribimus & abolemus:* Apud Labbæum. Ex varia, ſi bene advertitis, unius virgulæ appoſitione totus Diplomatis ſenſus inverti poterat; ſic ut Baji, aliorumque Aſſertorum ſenſum a Pontifice damnatum dicerent aliqui, alii abſolutum aſſererent, prout quiſque virgulæ ſedem immutabat. Qui etenim Bajo patrocinabantur, ita legebant poſtpoſita virgula: *quas quidem ſententias .... quanquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent in rigore & proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento, damnamus, circumſcribimus, abolemus:* atque ita Baji, aliorumque Aſſertorum proprium ſenſum a Pontifice abſolutum dicebant, totamque damnationem in alios peregrinos ſenſus vertebant. E contrario, qui Bajum inſectabantur, virgulam præponebant, ut ſenſum Diplomatis inverterent; atque ita legebant antepoſita virgula: *quas quidem ſententias .... quanquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore & proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento damnamus, circumſcribimus, abolemus:* eoque pacto Pontificiam damnationem in ipſum proprium verborum ſenſum ab Aſſertoribus intentum referebant. Hinc orta lis magna; vulgati pro utraque tuenda parte Libri etiam admodum ſpiſſi: teſtes Pontificiæ mentis allegabant utrique, prout ſtudio partium ferebantur. Pontificem Diplomatis authorem conſulere nemo poterat, ut legitimum ſenſum exponeret, cùm is jam fato ceſſiſſet, dum ab Succeſſore, Gregorio ſcilicet XIII. Diploma vulgatum eſt. Ex ipſa verò autographi Diplomatis lectione difficultas eliquari non poterat, cùm illud antiquo Romanorum more ſine punctis, ac virgulis ſcriptum eſſet. Quid ergo? Centum, ac triginta circiter annis lis illa magna eruditorum Virorum torſit ingenia; donec fortuito caſu certa documenta inventa ſunt, quæ germanum Diplomatis ſenſum in aperto ponunt; planumque faciunt, Pontificem Maximum proprium verborum ſenſum ab Aſſertoribus intentum (in nonnullis ſaltem Propoſitionibus) illæſum penitus reliquiſſe. Inventa ſunt enim ante duos duntaxat annos autographa Epiſtolarum Cardinalis Granvillæi, & Maximiliani Morillon Epiſcopi Tornacenſis, qui totum illud damnationis in Bajum latæ negotium apud Apoſtolicam Sedem pertractarunt; Bajumque ad parendum

rendum Pontificio Diplomati piis officiis adduxerunt. Ex iis porro jam confecta res eſt : ſic enim legimus in Epiſtola Cardinalis Granvillæ, cum qua Breve Pontificium Lovanium tranſmiſſum eſt ſub data 13. *Novemb.* 1567. : *declarant (par la Bulle de N. S. le Pape) les dites Propoſitions annotèes, aucunes erronèes, autres ſuſpectes, autres ſcandaleuſes; AUTRES JAÇOIT SE PVISSENT EN RIGVEVR INTERPRETER EN QVELQVE SENS pour les excuſer, donnent toutefois offenſion à gens pieux qui les liſent*. Hoc eſt : *declarando (ex Bulla Domini noſtri Papæ) dictas Propoſitiones notatas, alias erroneas, alias ſuſpectas, alias ſcandaloſas, aliæ, tametſi poſſint in rigore exponi in aliquo ſenſu, ut excuſentur, poſſent tamen offendiculo piis auribus eſſe*. Morillonius verò in Reſcripto dato die 20. Junii 1569. notat, Bajum ad ejurandas Propoſitiones adduci non potuiſſe, niſi Pontificium Diploma legeret, propterea quòd in eo diſtinctè notatum eſſet, *Propoſitiones aliquas ſuſtineri poſſe in rigore, & proprio verborum ſenſu*. Non eſt ergo cur nunc de Pontificii Diplomatis ſenſu amplius litigetur; ex quo tam apertis Documentis eliquata res eſt. Sed ad Inſtitutum, unde pauliſper divertit Oratio, redeamus.

Alio nos ariete pulſant adverſæ Sententiæ Vindices; variaque congerunt Auguſtini, ac Doctoris Angelici Teſtimonia, e quibus duo hæc eruuntur : primum, ſubjectionem virium inferiorum ad Rationem in Protoparente naturalem non fuiſſe : alterum, eam inferiorum Partium obedientiam nonniſi ex Gratia Sanctificante progerminaſſe : *Gratia quippe Dei magna ibi erat* (inquit Auguſtinus *Lib.4. contra Julianum cap.16.*) *ubi terrenum, & animale corpus beſtialem libidinem non habebat. Quia ergo veſtitus Gratia non habebat in nudo corpore quòd puderet, ſpoliatus gratia ſenſit quod operiri deberet*. Si Gratia erat, non igitur naturalis. In eundem ſenſum Doctor Angelicus 1. *p. q.95. artic.1.* : *manifeſtum eſt*, (inquit) *quod illa ſubjectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad Rationem non erat naturalis*. Et poſt pauca : *per Gratiam in anima exiſtentem inferiora ei ſubdebantur*. Rurſus *quæſt.4. de malo art.1.* : *eſt autem conſiderandum, quod primo Homini in ſua inſtitutione datum fuerat divinitus quoddam ſupernaturale donum ſcilicet Originalis Juſtitia, per quam Ratio ſubdebatur Deo, & inferiores vires Rationi, & corpus animæ* : aliaque id genus D. Thomæ Teſtimonia, quæ hoc ipſum iiſdem, aut aliis conſimilibus verbis adſtruunt.

Ego quidem vix riſum cohibere poſſum, dum hæc ab eis tanto ſtudio congeri video, quibus nil niſi aerem verberant ; veniteque mihi ſtatim in mentem, quod de nonnullis a Poeta dictum eſt olim : *& magna peragunt ſedulitate nihil*. Quid enim ſi ſex-

centis Patrum Teſtimoniis evincant, ſubjectionem virium inferiorum ad Rationem, qualis in Adamo cernebatur, non a Natura fluxiſſe, ſed a Gratia germinaſſe? An ideo illico colligendum, nullam Partis inferioris obedientiam eſſe poſſe Naturæ debitam, quæ ex ipſis humanæ conditionis principiis fluat? Abſit. Longè enim diſparis ſortis erat illa, qua primus ille hominum Parens fruebatur: erat illa longè pacatior, quietior, ſuavior, religioſior; nec idcirco mirandum, ſi ſupra Naturæ ſortem altiùs poſita ex Originali Gratia ſobolesceret. Nos alterius generis, ſortiſque admodum inferioris obedientiam humanæ Naturæ debitam propugnamus; illam ſcilicet, qua indito Naturæ ſenſu inferiora ſuperioribus parent, eorumque nutu ſine lucta, ſine pugna reguntur; tametſi iis privilegiis, dotibuſque deſtitutam, quibus Protoparens cumulatiſſimè fruebatur.

Id ut faciliùs intelligat ſtudioſa Juventus, diſtinguat neceſſe eſt in hac ipſa ſubjectione Partium inferiorum ad Rationem, qualis reperiebatur in Adamo, diſtinguat, inquam, neceſſe eſt, quod ad ejus veluti ſubſtantiam generaliter attinebat, & quod ad ejus perfectionem, ac modum ſpecialiter ſpectabat. Subſtantia ſubjectionis nihil aliud præſeferebat, quàm nudum, ac ſimplex Partis inferioris obſequium ad ſuperiorem; quo fieret, ut nihil appeteret, niſi juxta dictamem Rationis: iſtudque obſequium ex nativa humanæ Naturæ nondum vitiatæ conſtitutione ſobolescebat. Perfectio autem, moduſque ſubjectionis addebat ſuavitatem quamdam; delectationemque, qua Pars inferior ſuperiori obſequebatur, quaſi in hac ipſa ſubjectione complacens ſibi, atque delicias faciens; idque ex Gratia illa ſanctificante uberrima, cumulatiſſimaque oboriebatur; quæ uti Mentem Adami perfectè ſubjiciebat Deo, eaque ratione Juſtitiam Originalem parturiebat; ita quoque Partem inferiorem perfundebat; ut, quod illa naturaliter ſuperiori Parti præſtabat obſequium, delectabiliter, ſuaviterque præſtaret; eoque pacto Gratia ſanctificans plenam, cumulatiſſimamque Integritatem efficiebat. Quare mutant quadrata rotundis, qui, quod ab Auguſtino, & a Doctore Angelico de perfectione ſubjectionis in Adamo dictum eſt, ad ipſam ſubjectionis ſubſtantiam minus congruè detorquent. Nihil quippe repugnat, ſubjectionem uno titulo, & quidem naturali, natam, altero titulo, & quidem ſupernaturali, perfici, atque compleri. Quandoquidem autem, judice Auguſtino *Lib. 1. de Nuptiis, & Concup. cap. 9*, in exemplum Concupiſcentiæ, facta eſt Mulier naturaliter ſubdita Viro, totum, quod hactenus de Concupiſcentia dictum eſt, Exemplo mulieris planum faciam, ac apertiſſimum. Ponamus itaque Mulierem Viro junctam: hæc certè naturaliter Viro ſubjecta eſt. At, ſi ad Apoſtoli Præ-

ce-

ceptum attendamus *Epiſt. ad Ephef. cap.* 5. dicentis *: mulieres viris ſuis ſubditæ ſint ſicut Domino ; quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ* ; tunc novo, eoque nobiliori titulo ſubjectio illa firmatur, atque perficitur ; quatenus ſcilicet ex Præcepto ſobolescit, cùm antea in Natura duntaxat fundaretur; modumque perfectiorem ex ſupernaturali ratione (Apoſtolici videlicet Mandati authoritate) acquirit. Ita pariter de Concupiſcentiæ ad Rationem ſubjectione ſentiendum ; quæ & a Natura eſſe, & a Gratia potuit, ſervato quidem utriuſque diſcrimine ; a Natura quoad ſubſtantiam; a Gratia verò quoad modum, & perfectionem.

Unum eſt, quod quadam veritatis ſpecie reponere poſſint ; quodque difficultatem aliquam videtur præſeferre : quorſum enim Adamo peccante non remanſit, quoad ſubſtantiam ſaltem, ea Partis inferioris ad ſuperiorem ſubjectio, ſi quidem quoad ſubſtantiam naturalis erat, juxta vulgatum illud Doctoris Angelici Principium ex Dyoniſio (ut putavit) Areopagita petitum, quod *data naturalia etiam in Dæmonibus poſt peccatum permanſerint ?* Ita quippe ſtatuit D. Thomas 1. *part. quæſt.* 95. *art.* 1, & alibi ſæpius. Cùm enim poſt Adami peccatum quæcumque Partium inferiorum ſubjectio, etiam quoad nudam ſubſtantiam ſpectata, ſublata ſit ; nec modò largis illis, magniſque Chariſmatibus deſtitutus fuerit primus Homo; ſed omnis vel minima Appetitus ſenſitivi obedientia evanuerit admiſſo peccato ; conſequens videri poſſet, nec minimam quidem Partium inferiorum obedientiam inter naturalia dona humanæ conditioni debita reputari poſſe.

Verum tantum abeſt, ut id adverſæ Parti aliquatenus faveat, quin potius nocet magis : ſi nempe noverint, naturalia illa bona, quæ etiam admiſſo peccato integra in Homine remanſerunt, non alia eſſe, niſi Naturam ipſam, proprietates, ac facultates naturales ſecundum eſſe phyſicum ; nequaquam verò inclinationes naturales ad Virtutem ; quo in ordine reponenda venit ſubjectio illa naturalis Partium inferiorum ad Rationem. In iſtis quippe bonis aliquid moralitatis præſeferentibus Naturam ipſam Originali peccato læſam, fauciatam, vulneratam eſſe ſexcentis plus minus locis affirmat Doctor Angelicus; noſque ſequentibus Exercitationibus academicis propugnabimus, non uti rem opinione liberam, ſed uti orthodoxæ de Originali peccato Fidei Summam adverſus Pelagianos ab Auguſtino, & Conciliis Africanis explicatiſſimis Sanctionibus confirmatam. Interim dicam hìc tantùm, quod retundendæ Adverſariorum Argùtiæ ſit ſatis. Et certè 1. 2. *quæſt.* 85. *art.* 1 quæſtionem inſtituens D. Thomas, an peccatum Originale minuerit Naturæ bonum, ita ſcribit : *bonum Naturæ humanæ poteſt*

ni-

tripliciter dici. Primò; ipſa principia Naturæ, ex quibus ipſa Natura conſtituitur, & proprietates ex his cauſſatæ, ſicut potentiæ animæ, & alia hujuſmodi. Secundò, quia homo a natura habet inclinationem ad virtutem, ut ſupra habitum eſt, ipſa inclinatio ad virtutem eſt quoddam bonum Naturæ. Tertio modo poteſt dici bonum Naturæ donum Originalis Juſtitiæ, quod fuit in primo homine collatum toti Naturæ humanæ. Primum igitur bonum Naturæ, (nempe principia naturalia, & potentiæ) *nec tollitur, nec diminuitur per peccatum. Tertium verò bonum Naturæ totaliter eſt ablatum per peccatum primi Parentis. Sed medium bonum Naturæ, ſcilicet ipſa naturalis inclinatio ad virtutem diminuitur per peccatum*. Quàm itaque procul abſunt a Doctore Angelico, qui ſubjectionem illam Partis inferioris ad ſuperiorem poſt peccatum integram remanſuram fuiſſe dicunt, ſi fuiſſet Homini naturalis? Cùm e contra hujuſmodi naturalia bona Originali peccato læſa, ac violata fuiſſe doceat, nec de iis intelligendum velit, vulgatum illud effatum Dionyſio adſcriptum: *dona naturalia in Dæmonibus, & hominibus integra remanſerunt*. Sed quid ultra ludimus operam? Hoc ipſum, quod nobis obtrudunt, Argumentum obviam ſibi fecit, ac ſolvit Doctor Angelicus Articulo ſupra laudato: *ex Dionyſio*, inquiens in objectione prima, *bona naturalia in Dæmonibus manent integra poſt peccatum; ergo peccatum etiam bonum Naturæ humanæ non diminuit*. Audite verò quid reponat: *ad primum dicendum, quòd Dionyſius loquitur de bono primo Naturæ, quod eſt eſſe, vivere, & intelligere, ut patent ejus verba intuenti*. Hoc igitur duntaxat bonum Naturæ manſit integrum poſt peccatum, hoc unum, hoc ſolum; non illud, de quo nunc controvertitur ad genus moris attinens; ſubjectio ſcilicet Partis inferioris ad Rationem; quæ licet inter naturalia, ſeu rationali Naturæ debita bona reputanda ſit, ſuccedente nihilominus Adæ peccato violata eſt, læſa eſt, ſauciata eſt, Exemplo Evangelici Samaritani venientis ab Jeruſalem in Hierico, quem latrones non modò deſpoliaverunt, ſed plagis impoſitis ſemivivum reliquerunt. Sed de his plura dicemus loco ſuo.

Reſtat perdifficilis D. Thomæ locus, qui mihi, ut fatear quod res eſt, negotium aliquod faceſſivit. Extat *in 2. Sent. diſt. 31. quæſt. 1. art. 2. ad* 3, ubi hæc habet: *Poterat Deus a principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terræ formare, quem in conditione ſuæ Naturæ relinqueret, ut ſcilicet mortalis, & paſſibilis eſſet, & pugnam Concupiſcentiæ ad Rationem ſentiens, in quo nihil humanæ Naturæ derogaretur, quia hoc ex principiis Naturæ conſequitur*. Quo loco duo docet Sanctiſſimus Doctor, quæ ſtatutæ Aſſertioni apertè repugnare videntur:

pri-

primum, poſſibile Deo fuiſſe, ut Hominem conderet cum pugna Concupiſcentiæ contra Rationem: alterum, nihil tunc Naturæ humanæ derogatum iri, quia ea Concupiſcentiæ perduellio ex humanæ Naturæ principiis ſponte fluit.

Verùm, niſi Doctorem Angelicum ſibimetipſi repugnaſſe velint, qui id objiciunt, coguntur & ipſi commodum aliquod interpretamentum iis verbis aſſuere. Quo pacto enim conciliari ea poterunt cum ſtatuto toties ab illo principio iſto naturali, quod & ipſa Gentilium Philoſophia perſpectum habuit, *Concupiſcere in tantum eſt homini naturale, in quantum eſt ſecundùm Rationis ordinem; Concupiſcentia autem, quæ tranſcendit limites Rationis, ineſt homini contra Naturam?*

Quid ergo objecto Teſtimonio reponendum? Inquient fortaſſe aliqui, Doctorem Angelicum ita, dum junior eſſet, locutum fuiſſe; in Sententias enim, unde petitur locus objectus, dum junior erat, ſcripſiſſe; cæterùm oppoſitum in Summa docuiſſe, dum ſcriberet ſenior. At ii nodum diſrumpunt, non ſolvunt: in Theologicis verò Concertationibus non idem profectò eſt diſrumpere, ac diſſolvere: maximè cùm ex ipſis etiam Sententiarum Libris non levia petierimus Teſtimonia, quibus Concupiſcentiam effrænem humanæ Naturæ conditioni repugnare demonſtravimus. Quare dicendum, juxta Doctorem Angelicum, Hominem bifariam ſpectari poſſe: primò, ſecundùm conditionem duntaxat animalem; ac tunc quidem cæterorum Animalium ſorte inordinatam Concupiſcentiam uti animalis Naturæ portionem præſeferret, ut objecto in loco docet: ſecundò, ſpectari Homo poteſt integra, ut ita dicam, conſideratione juxta conditionem rationalis Naturæ, quam propriam ſortitur: & quidem ſecundùm iſtam Concupiſcentia perduellis labes eſt, quæ animalis duntaxat conditionis Natura foret, juxta illud Auguſtini celebratum Oraculum, *tanta namque excellentiæ eſt in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis natura ſit pecoris, Lib. de peccat. originali cap.* 40.

Cæterum ne quis ſibi putet, eam nos duplicem Hominis conſiderationem pro arbitrio comminiſci, ut perdifficile Teſtimonium Doctoris Angelici non tam exponamus, quàm declinemus, audite quid *Quæſt.* 4. *de malo art.* 2. *ad* 1. ad hoc Inſtitutum dixerit: *dicendum* (verba ſunt ejus) *quod aliquid poteſt eſſe naturale homini dupliciter: uno modo in quantum eſt animal, & ſic naturale eſt ei, quod concupiſcibilis feratur in delectabile ſecundùm ſenſum, communiter loquendo. Alio modo in quantum eſt homo, id eſt, animal rationale; & ſic naturale eſt ei, quod concupiſcibilis feratur in delectabile ſenſus ſecundùm ordinem Rationis.* En plane diſtinctionem a me datam; nec quidquam explicatius a Doctore Angelico

gelico

Digitized by Google

gelico deſiderare potuiſſem, quo datum a me interpretamentum ex ipſa ejus Doctrina petitum oſtenderem adverſus recentiores illos Thomiſtas, qui totum Sententiæ ſuæ robur ex objecto illo Teſtimonio repetunt. Vultis aliud ad menſuræ cumulum? Dabimus larga manu petitum *ex Lib.4. contra Gentes cap.52.*; ubi poſtquam dari peccatum Originale demonſtraſſet Doctor Angelicus, quòd effrænis hujuſce, quam experimur, Concupiſcentiæ radix eſſet, hanc ſibi ex Adverſantium parte objectionem obviam facit: *poſſet tamen aliquis dicere, hujuſmodi defectus tam corporales, quàm ſpirituales non eſſe pœnales, ſed naturales defectus ex neceſſitate materiæ conſequentes. Neceſſe eſt enim, corpus humanum, cùm ſit ex contrariis compoſitum, corruptibile eſſe, & ſenſibilem Appetitum in ea, quæ ſunt ſecundùm ſenſum delectabilia, moveri, quæ interdum ſunt contraria Rationi*. Quid porro ad illa reponit S. Doctor? Hoc ipſum plane, quod antea nos reponebamus Hominem bifariam ſpectando: *Sic igitur*, inquit, *hujuſmodi defectus, quamvis naturales homini videantur abſolutè conſiderando humanam Naturam ex parte ejus, quod eſt in ea inferius; tamen conſiderando Divinam providentiam, & dignitatem ſuperioris partis humanæ Naturæ, ſatis probabiliter probari poteſt, hujuſmodi defectus eſſe pœnales, & ſic colligi poteſt, humanum Genus peccato aliquo originaliter eſſe Infectum*. Quibus verbis duplicem illam humanæ Naturæ conſiderationem apertiſſimè ſtatuit, & Concupiſcentiæ perduellionem, quam animali Hominis conditioni congenitam fore docet, ſi ſola illa ſpectaretur, abſolutè tamen Homini uti Ratione prædito repugnantem agnoſcit.

Tempus eſt, ut conſiderato Naturæ puræ Statu, ad tertium Innocentiæ Statum greſſum faciamus, ommiſſo nimirum altero Naturæ integræ; circa quem nullam magni Momenti Controverſiam a Theologis agitatam hactenus novimus. Ea de re dicendi initium in ſequentibus auſpicabimur; & alta, difficillimaque Divinæ Gratiæ Myſteria, quæ tanto animorum æſtu, hoc præſertim Sæculo, tractata fuere, explicabimus, ac vindicabimus.

DISPU-

DISPUTATIO SECUNDA.

De Natura innocente, ſeu de Originali Juſtitia.

PRÆLECTIO PRIMA.

Primum Hominem in Gratia Sanctificante fuiſſe conditum; nec tamen hoc Fidei Dogma eſſe, propugnatur.

SATIS in antehabitis de primo, quem propoſuimus, Humanæ Naturæ poſſibili Statu diſputavimus contra Bajum, Janſenium, & aliquos primæ notæ Theologos, etiam noſtrates, quibus ea in parte, qua Concupiſcentiæ in Rationem rebellionem illo in Statu, ſi daretur, futuram propugnant, aſſentiri non poſſumus. In præſentia de Statu Naturæ integræ, cui alterum aſſignavimus locum, verba facere deberemus. Verùm cùm, uti loco ſuo præmonuimus, circa ipſum, ſi extitiſſet (quandoquidem nec ille extitit, licet poſſibilis fuerit) nihil occurrat, quod magni momenti Difficultates præſeferat, idcirco ad eas ſtatim Controverſias accedimus, quæ ad tertium Naturæ Statum, qui Innocentiæ, ſeu perfectæ Originalis Juſtitiæ communiter appellatur, attinent; quæque a magni nominis Theologis agitari ſolent. Primam itaque, potiſſimamque illam de Innocentiæ Statu Controverſiam agitandam aggredimur: num videlicet Adam in Statu innocentiæ, ſeu cum Gratia Sanctificante fuerit a Deo primò conditus? Hoc eſt; num Gratiam Sanctificantem in primo ſuæ Creationis inſtanti obtinuerit? Quandoquidem ſanctificante Gratia fuiſſe illum præditum antequam ab ea per peccatum excideret, nullus ambigit, aut pura Fide ambigere unquam potuit; qua credimus, Protoparentem Sanctitatem atque Juſtitiam ſibi, nobiſque peccando eripuiſſe. Quo pacto enim eripuiſſet, ſi antequam delinqueret non habuiſſet? De ipſo itaque creationis inſtanti Quæſtio movetur; quæriturque, an in eo Sanctificante Gratia primò donatus fuerit?

Qua in re Theologos extremas in partes ſciſſos video. Sunt qui id ut plane falſum omnino negent. Ita plerique Veteres, Hugo Victorinus, Magiſter Sententiarum, Alexander Alenſis, S. Bonaventura, Ægidius Romanus, aliique non pauci. Sunt e contra, qui id nedum tanquam verum, & certum admittunt; ſed &

 inter

Digitized by Google

inter Fidei Capita ſine cunctatione reponunt. Horum Chorum ducunt Michael Bajus & Cornelius Janſenius, ſi tamen iſtos inter veros Theologos numerare liceat; quorum Doctrina quoad plures Propoſitiones ab Apoſtolica Sede anathemate lato confixa fuit.

Nos Angelico Doctore Duce mediam inimus viam. Primum Hominem in Gratia Sanctificante fuiſſe conditum contendimus contra primos; id tamen Fidei Dogma eſſe negamus adverſus alteros. Ita plane Præceptor Angelicus 1. *part. quæſt.* 95. *art.* 1; ubi Veterum Theologorum recenſitâ ſententiâ, qui Adamum in Gratia Sanctificante creatum inficiantur, ſubdit e veſtigio: *Sed quod fuerit conditus in Gratia, ut alii dicunt, videtur requirere ipſa rectitudo primi Status, in quo Deus Hominem fecit*. In Gratia itaque ſecundùm D. Thomam conditus fuit primus Homo: verùm hoc de Fide non eſſe, illius verba ſatis innuunt; nempe *quòd hoc videatur rectitudo primi Status requirere*. Aliis etenim verbis uſus eſſet Angelicus, ſi id ad Fidem pertinere cenſuiſſet.

Et verò, ut de primo ſtatutæ Aſſertionis Capite dicam ex ordine, quàm verè conditum in Gratia primum Hominem ſcripſerit Doctor Angelicus, multa, ſin minùs evincant, at certè ſuadent longè maximè. Id imprimis innuit Scriptura Sacra *Eccleſiaſtes cap.* 7: *ſolummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum*. Quæ verò, amabo, rectitudo hæc, niſi quæ ex Divinæ Gratiæ iradice ſoboleſcit? Neque enim Scriptura rectitudinem aliam novit, quàm quæ ex Gratia derivatur: ſic *Pſal.* 7: *qui ſalvos facit rectos corde*: *Pſal.* 32. *exultate juſti in Domino; rectos decet collaudatio*: *Job cap.* 1: *Vir erat in Terra Hus nomine Job; & erat vir ille ſimplex, & rectus*: quibus certè locis rectitudinis nomine Sanctitas deſignatur. Rurſus *Geneſ. cap.* 1. Deus Hominem creaturus inducitur ita ſecum veluti conſulens: *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. Porro ſimilitudinem hanc, in qua Hominem conditum legimus eo loci, in Gratia Sanctificante, vel in Virtutibus ipſam neceſſariò concomitantibus, ſitam eſſe, ratione quarum ſimilis fuerit Conditori ſuo Protoparens noſter Adam, plerique ex Patribus exiſtimant: Irenæus *Lib.* 5. *adverſ. Hæreſ. cap.* 6, ut notat Fevardentius *in editione Renati Maſſuet*, qui etiam citat Origenem *Lib.* 3. *de principiis*: S. Baſilius Magnus *in Hexamerôn Homil. ultima*: S. Joan. Damaſc. *Lib.* 2. *de Fid. Orthod. cap.* 12: S. Bernardus *Serm.* 1. *de Annunc.*: tum etiam ii omnes, qui aperte docent, Adamum in ortu ſuo Gratiam a Deo accepiſſe, ut refert Honoratus Tournely *Quæſt.* 2. *de Gratia Chriſti art.* 1.

Ac-

Accedit & illud *Eccleſiaſtici cap.* 17 : *Deus creavit de terra hominem . . . . & ſecundùm ſe veſtivit illum virtute .* Hanc porro Virtutem, qua ſecundùm ſe veſtitum in ſua creatione Hominem ſcribit Sapiens, Charitatem nonnulli Patres interpretantur.

Adſtipulantur quoque Sacra Concilia; Arauſicanum II. *Can.* 19; ubi legitur : *Natura humana, etiamſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſe ipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret. Unde cùm ſine Dei Gratia ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine Dei Gratia poterit reparare quod perdidit?* Quo ex Canone perſpicuè videas, Naturam Humanam in integritate conditam eſſe, & ea quidem, quæ ex Dei Gratia ſoboleſcat.

Nec verò minus explicatè Concilium Tridentinum *Seſſ.* 5. *in Decreto de peccato Originali Can.* 1. : *Si quis non confitetur, primum Hominem Adam, cùm mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim Sanctitatem, & Juſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe .... anathema ſit.* En hominem in Sanctitate, & Juſtitia conſtitutum. Nemo enim tunc temporis inficiabatur, Adamum, antequam peccaret, fuiſſe Gratia Sanctificante, & Juſtitia donatum, ut Concilii Patres ad illum edendum Canonem inducerentur hujuſmodi errorem anathemate confixuri.

Jam Auguſtinum ſi conſulamus, totus in eo Dogmate ſtatuendo videtur eſſe; ut plane otioſi foret hominis in ejus colligendis Teſtimoniis immorari. Sic *Lib.* 14. *de Civit. Dei cap.* 11 : *fecit itaque*, inquit, *Deus .... hominem rectum, ac per hoc Voluntatis bonæ. Non enim rectus eſſet, bonam non habens voluntatem. Bona igitur voluntas opus eſt Dei; cum ea quippe ab illo factus eſt homo.* Et *cap.* 27. : *ejuſdem Libri* : *Primus*, inquit, *homo, qui rectus, hoc eſt, bonæ voluntatis creatus fuerat. In Enchiridio verò ad Laur. cap.* 104. *Quapropter etiam primum hominem Deus in ea ſalute, in qua conditus erat, cuſtodire voluiſſet*, & cæt. Ac demum *Lib.* 12. *de Civit. Dei cap.* 9. de Angelis, quorum eadem omnino eſt ratio, ac de Adamo, ita diſtinctè pronunciat : *ſimul in eis & condens Naturam, & largiens Gratiam.*

Ac nunquid id quæſo Conditoris Majeſtas, & Dignitas haud poſtulabant? Qui profectò cùm cætera omnia perfecta, ac, ut Scriptura loquitur, *valde bona* condidiſſet, ſuorum Operum in materiæ ordine præſtantiſſimum, nobiliſſimamque conditi Orbis partem ea, cujus capax erat, perfectione, ac bonitate donaturus erat : ne videlicet minùs de præſtantiſſimo omnium operum viſibilium, quàm

de reliquis omnibus ſollicitus videretur. Quidni quoque, cùm Hominem ad ſupernæ Beatitudinis Gloriam condidiſſet, eum quoque ex ipſa ſui conditione donis iis cumulaſſet, quæ obtinendæ Beatitudinis ſemina eſſe certò noverat?

Sed erit fortè, qui Baji, ac Janſenii nomine nobis obtrudat: ſi ſic eſt; ſi Adæ in Gratia Sanctificante creatio iis ſtat fundamentis, quæ paulò ante proferebamus, num quæſo veritas hæc inter Fidei Dogmata deputanda non erit? Quid enim amplius ad Fidei Caput conficiendum deſideret aliquis, quàm quod Scripturæ Sacræ Teſtimoniis, & Sacrorum Conciliorum Definitionibus confirmatur? Sunt enim hæ Fidei noſtræ Regulæ duæ, quibus Fidei Capita comprobantur.

Nugæ profectò, nugæ; eæque vaniſſimæ. Ut quid inter Fidei Capita computetur, ſatis profectò non eſt, ſi qualicumque Scripturæ, Conciliorumve Teſtimonio comprobetur: aliàs nulla foret Concluſio Theologica, quæ tanquam Fidei Dogma excipi non poſſet, imò deberet; cùm eorum vel nulla ſit, quam eruditus Theologus aliqua Scripturarum, Conciliorumve Authoritate non muniat. Quid ergo? Ut aliquid inter Fidei Divinæ Capita numeretur, id plane neceſſum eſt, ut quæ in ejus probationem afferuntur, Teſtimonia Scripturarum, vel Conciliorum Aſſerta, aperta illa, perſpicua, & nitida ſint; nec in alium ſenſum verti commodè poſſint: neceſſum eſt, ut, quæ proferuntur, Synodorum Authoritates rem plane definiant, atque decernant: aliàs tot illa Scripturarum, ac Synodorum congeſta Teſtimonia veritatem Theologicam probant quidem, ſed Fidei Dogma neutiquam adſtruunt.

Porro, ut ad Inſtitutum accedam, quæ a me propoſita ſunt Scripturæ Teſtimonia, non uſque adeo eluceſcunt, ut, ſi adſit Ingenium, in alterum prorſus ſenſum diverti non poſſint. Videamus, rogo vos. *Fecit Deus hominem rectum*, inquiebam ex *Eccleſiaſte*. Bene id quidem: Adamum in Gratia Sanctificante, unde vera rectitudo ſoboleſcit, conditum probabiliter innuit laudatum Oraculum: at non omnino demonſtrat. Quid enim, ſi hanc rectitudinem quis intelligat moralem tantùm, ac naturalem, non ſupernaturalem, atque ex Gratia Sanctificante derivatam? *Deus creavit de terra hominem*, addebam ex eodem Scripturæ Libro...... *& ſecundùm ſe veſtivit illum virtute*. Bene id quoque: Adamum Gratia Sanctificante præditum innuit locus ille; nam & Virtutem illam Charitatem, Gratiæ Sanctificanti indivulſam, plerique Patres intelligunt: multum probabilitatis huic Sententiæ id conciliat: at non evincit omnino. Quid enim, ſi quis Virtutem illam moralem tantùm intelligi velit? Quid etiam, ſi Virtutem, qua Homi-

minem in ſui creatione veſtitum ait Sapiens, pro corporis robore, vel etiam Mentis prudentia quiſpiam accipiat? Non is fortè a vero Scripturæ ſenſu aberraret; nam in Græco textu legitur εὐεργία quod certè Sanctificantem Gratiam minimè ſonat. Addebam & illud *Geneſ. cap.* 1. *: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*; eamque ſimilitudinem ex plurium Patrum Sententia in Gratia Sanctificante poſitam dicebamus. Rectè profectò : at probabilitatis fines non excedit probatio hæc; cum nuſquam Scriptura Sacra prodiderit, qua in re ſtet ea conditi Hominis cum ſuo Conditore ſimilitudo; nec deſint Eccleſiaſtici Tractatores, qui eam alio in Capite ſitam exiſtiment, quàm in Sanctitate, ſeu Originali Juſtitia. Quidam enim Adamum Deo ſimilem conditum ajunt, quòd Intellectu, & Voluntate, perinde ac Deus ipſe, imperfectiori licet modo, præditus eſſet. Alii etiam, quod Caput, & Dominus Animantium, quibus ſumma præerat poteſtate, inſtitutus fuerit; imperiique jura cum Conditore, proportione ſervata, partiretur. En quo pacto ea Scripturarum Teſtimonia poſſint explicari, ac in ſenſum alium diverti, ut non de Gratia Sanctificante intelligi debeant : atque ita nequeunt ex iis invictæ probationes deſumi.

Quæ porro ex Conciliis proferebam, poſitam quidem Aſſertionem adſtruunt, atque confirmant; non tamen, uti Fidei Dogma, definiunt. Quod ut faciliùs intelligatur, obſervare operæ pretium erit cum Melchiore Cano *Lib.* 5. *cap.* 5. *ad quæſt.* 4., quòd, *quæ* (ejus verba ſunt) *in Conciliorum, vel Pontificum Decretis vel explicandi gratia inducuntur, vel ut objectioni reſpondeatur, vel etiam obiter, & in tranſcurſu præter Inſtitutum præcipuum, de quo erat potiſſimùm Controverſia; ea non pertinent ad Fidem; hoc eſt, non ſunt Catholicæ Fidei judicia*. Dum igitur inquit Concilium Arauſicanum a me antea appellatum : *Natura Humana, etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret; nullo modo ſe ipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret*; aliud ſupponit obiter, aliud definit. Supponit, Naturam Humanam in integritate conditam eſſe; definit verò, Naturam eandem, etiamſi primæva illa integritate hodie donaretur, nullo pacto in ea, niſi adjuvante Creatore ſuo, perſeveraturam. Quod definit, Fidei Dogma reputandum eſt : cæterùm quod ſupponit obiter, verum quidem æſtimandum eſt, non tamen illico evadit Fidei Caput. Simili ſenſu explicari poteſt *Canon.* 1. *Seſſ.* 5. *Concil. Tridentini* a nobis paulò ante memoratus, *ſi quis non confitetur, primum hominem Adam, cùm Mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim Sanctitatem, & Juſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe, ... anathema ſit*. Alterum enim ſupponit Tridentina Synodus

nodus, alterum definit. Supponit, Hominem in Sanctitate, & Juſtitia conditum eſſe; definit verò, eundem Hominem primum Divini Mandati tranſgreſſione Sanctitatem, atque Juſtitiam amiſiſſe. Hoc ultimum Fidei Dogma eſt : primum veritas eſt a Theologis aſſerenda; non tamen inter Fidei Capita reputanda : aut certè, licet uti Fidei Dogma ſupponi debeat, Adamum Sanctitatem & Juſtitiam habuiſſe ante peccatum (aliàs enim eam peccando non amiſiſſet) non tamen uti Fidei Dogma haberi debet, eam illi in ſui creatione fuiſſe infuſam. Quin etiam & illud diligentiſſimè obſervandum ; Tridentinam Synodum primum Hominem in Sanctitate & Juſtitia conditum non dixiſſe, ſed conſtitutum : quæ vox profectò æquivoca eſt; nec idem ſemper, quod conditum, ſignificat; quod ex plurimis Scripturæ locis facilè evinci poſſet.

Nec quicquam obeſt, quod ſubdebatur in Argumento; inutilem videlicet prorſus fore Concilii Definitionem, ſi de prima Adæ conditione haud eſſet intelligendum vocabulum illud *conſtitutus*, propterea quòd nemo hactenus fuerit, qui Gratiam Adamo conceſſam poſt ſuam ſaltem creationem antequam peccaret inficiatus ſit. Non, inquam, hoc obeſt : Siquidem non ſemel contingit, Eccleſiam ſpeciali Spiritus Sancti afflatu donatam, impulſuque motam nedum Errores obortos in anteceſſum, ſed etiam impoſterum fortè emerſuros prophetico veluti ſpiritu præoccupaſſe, ut Fidei Dogmata ponerentur in tuto, ſartaque tecta ſervarentur. Licet ergo nemo hactenus inventus ſit, qui Gratiam in Statu Innocentiæ Adamo datam negaverit, eſſe tamen potuit, vel fortè eſſe impoſterum potuiſſet.

Id ergo ex dictis reliquum eſt; factam Adami creationem in Gratia Sanctificante ex probabili, ac etiam probabiliori Sententia teneri; non ita tamen inter Fidei Capita computari.

Jam verò quid veterum Theologorum Argumenta diu morer, qui extremam in partem abeuntes Adamum e contrario in Gratia Sanctificante conditum negarunt? Sunt hæc profectò longè leviſſima; quibus diluendis acutiori Minerva non eſt opus. Opponunt ſcilicet imprimis D. Auguſtinum, qui *Lib. Quæſtionum novi ac veteris Teſtamenti quæſt.* 123. refellit eos, qui dicerent, *Adamum Spiritum Sanctum in ſui creatione recepiſſe*. Porro, inquiunt, ſi Spiritum Sanctum non recepit, dum primò creatus eſt Adam, nec Gratiam Sanctificantem profectò cum accepiſſe, credendum eſt; cùm hæc perpetuò ſit Spiritui Sancto indivulſa.

At advertendum illis, qui Auguſtinum in medium proferunt, fuiſſet quàm maximè, laudatum Librum Auguſtino falsò ſupponi;

qui

qui non modò Auguſtini fœtus non eſt, ſed nec etiam Viri Catholici: ita plane ſentiunt univerſi Criticæ Scientiæ periti, qui id invictis Argumentis oſtendunt, ut probant eruditi Benedictini in ſua Pariſienſi Editione, ubi inter apocripha S. Doctoris Opera Liber ille abſque hæſitatione collocatur. Quapropter allatam Authoritatem pro nihilo reputamus.

Addunt illi, primum Hominem ita Gratia Sanctificante donari debuiſſe, ut ea in re magnum ſibi beneficium fuiſſe a Deo collatum de facili poſſet agnoſcere. Oportuit igitur, eum nonniſi aliquantò poſt ſui creationem Gratiæ illius compotem fieri, ut faciliùs perciperet, habere ſe Donum illud non ex propria Natura, ſed ex gratuito Conditoris ſui Beneficio.

At conſecutio hæc falſa eſt. Per Fidem enim id agnoſcere Adamus poterat; Gratiam ſcilicet Sanctificantem Naturæ Humanæ minimè fuiſſe debitam; ſed ſola ſibi Divina Liberalitate conceſſam. Imò ſic potuit majorem Dei erga ſeſe Benevolentiam arguere, quòd ſtatim ſine mora tantum ſibi Beneficium prorſus indebitum fuerit aſſequutus.

Reponunt tamen: decuit profectò, ut Homo per proprium liberi arbitrii actum, atque conſenſum ad Gratiam ſuſcipiendam ſeſe diſponeret. Non ergo ipſo creationis momento, ſed alicujus temporis ſucceſſione Gratiam recepit, dum ad eam per proprium liberi ſui arbitrii actum ſeſe diſpoſuit. Argutiam iſtam exſufflat Doctor Angelicus 1. *Part. quæſt.* 95. *art.* 1. *ad* 5.; ubi notat, motum liberi arbitrii, quo ad Gratiam ſuſcipiendam ſeſe Homo diſponeret, in primo quoque ſuæ creationis inſtanti eſſe potuiſſe; cum ipſe quoque ſit inſtantaneus. Addiderim ego, minimè neceſſum fuiſſe, ut primus Homo ſeſe ad Gratiam Sanctificantem ſuſcipiendam diſponeret per actum ſui liberi arbitrii; quia nullum in prima illa Gratiæ infuſione meritum, neque remotæ quidem diſpoſitionis requirebatur. Ut enim creatio Adami in naturalibus exceſſit communem Naturæ ordinem; cùm nec natus ille fuerit, nec adoleverit, nec cæteros communes Naturæ modos ſervarit, ſed ſtatim perfectus Vir fuerit; ita & in ſupernaturalibus ſupergreſſa eſt conditiones cæterorum Hominum, quibus maximopere æquum eſt, ut ſeſe ad Gratiam per proprii arbitrii actus diſponant. Unde ſicuti in aliis pluribus, ita hoc quoque in Capite diverſimode de Adamo, ac de aliis hominibus pronunciandum eſt.

Stat ergo utrumque, quod primò aſſumſeram, præſentis Exercitationis Caput: Adamum nimirum in Gratia Sanctificante conditum fuiſſe; nec tamen id inter Fidei Capita reputari debere. Proxima futura Prælectione graviſſima movebitur Controverſia; quonam ſcilicet Divinæ Gratiæ Adjutorio primus Parens indiguerit,

rit, ut in ea, quam acceperat, Sanctificante Gratia, & Originali Juſtitia conſtanter perſeveraret. Lis nobis erit cum Bajo & Janſenio (quorum alterum non ſemel in hac, de qua agimus, Humanæ Naturæ Statuum materia hoſtem habere continget) pluribuſque Theologis, qui Auguſtini Mentem hacce in re ſeſe integrè aſſequutos arbitrantur, ac venditant. Quænam hoc in Capite vera, ſolida, germanaque fuerit Sanctiſſimi Doctoris Sententia, ipſo Divino opitulante Adjutorio, pluribus Prælectionibus oſtendemus.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO II.

Divinæ Gratiæ per ſe & ab intrinſeco efficacis neceſſitas in Statu Innocentiæ ad perſeverandum in accepta Juſtitia, ſecundùm D. Auguſtini Principia demonſtratur.

FELICITER admodum, & opportunè contigit, Viri Theologi, ut quo tempore Chriſto naſcente apparuit Gratia Salvatoris noſtri omnibus Hominibus erudiens nos, ut Apoſtolus loquitur, nos ipſi Tyrones noſtros de Divinæ Gratiæ Myſterio erudiendos aggrederemur. A Tractatione de Statibus Humanæ Naturæ ad Tractationem de Divina Gratia rectò pergimus. Primum Hominem in Statu Innocentiæ conditum vidimus, non conditionis neceſſitate, vel merito, ſed Beneficio Conditoris. Hunc felici eo Statu minimè perſeveraſſe notius eſt, quàm ut a nobis probari neceſſe fuerit. Verùm, cùm in accepta Juſtitia perſeveret nemo ſine alterius actualis Gratiæ Beneficio, gravis admodum, multiſque difficultatibus obſita Controverſia vertitur, quonam Divinæ Gratiæ indigeret Auxilio, ut in eo Innocentiæ Statu perſeveraret: num Auxilio ex ſeſe, & ab intrinſeco efficaci; aut e contra Auxilio verſatili tantùm; cujus videlicet efficacia, vel inefficacia ex Voluntatis conſenſu, vel diſſenſu peteretur. Non eſt hìc nobis cum Schola Moliniana Controverſia, ut nonnulli fortaſſis opinari poſſent. Cùm etenim Moliniani nullam quovis in Statu, etiam Naturæ lapſæ, Gratiam ex ſeſe, & ab intrinſeco efficacem agnoſcant, latiùs profectò patet, quæ adverſus eos de Gratia efficaci lis agitatur. Cum Janſenio Yprenſi Epiſcopo res nobis eſt; qui cùm Gratiam ex ſeſe, & ab intrinſeco efficacem fateatur, totiſque viribus adſtruat in Statu Naturæ lapſæ, & Molinianos ob eam negatam Gratiæ efficaciam traducat, uti Pelagianos; dum tamen ad Naturæ innocentis Statum ventum eſt, nullam hujus generis efficaciam agnoſcit; ſed eam tantùm, cujus efficacia ex Voluntatis conſenſu ſuſpenditur: uno verbo in Statu Naturæ lapſæ (ſi Errores, in quos impegit, ſeponatis) Thomiſta eſt; in Statu Naturæ innocentis Molinianus; mutato ſcilicet pro Humanæ Naturæ conditione Gratiæ Syſtemate. Unde hæc verò tam indigna mutatio? Unde hæc Metamorphoſis? Dicam breviter. Thomiſtæ Gratiæ ex ſeſe, & ab intrinſeco efficacis neceſſitatem ex triplici Capite repetunt: primò, ex liberi arbitrii indifferentia, ac verſatili-

Digitized by Google

tate activa, qua in partem alterutram hæret anceps, donec altiori Virtute in unam præ altera inclinetur; præſertim in Pietatis operibus, quæ ſupra Naturæ vires, & ingenitas facultates ſita ſunt: ſecundo, ex Creaturæ a Deo neceſſariò pendentis conditione, quæ nihil ex ſeſe boni, niſi Deo opitulante, poſſit: tertiò, ex ſauciatæ, ac vulneratæ Voluntatis infirmitate; quæ cùm in privatum bonum tota propenſa ſit, in Deum erigi, niſi adjuta, non poteſt. Janſenius verò Gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem ex hoc duntaxat ultimo Capite repetit; ex Naturæ videlicet vulneratæ, & Originali peccato corruptæ conditione; nullo autem pacto ex Voluntatis activa indifferentia, aut ex Creaturæ a Deo pendentis conditione. Quo fit, ut, cùm nulla in Statu Innocentiæ Voluntatis creatæ læſio eſſet, nullaque corruptio, nullam in eo efficacis Gratiæ neceſſitatem agnoſcat & in Angelis viatoribus, & in Homine primo: una enim illorum omnium ratio eſt. Sic dimidiatum Thomiſtam ſe præbet, dimidiatum Molinianum. Veriùs fortè dixerim, nec Thomiſtam, nec Molinianum, qui neutrius Scholæ Principiis hæret, dum utramque ex parte ſequi ſibi putat, Exemplo illius, qui cum Senatorem habitu Monachi induiſſet, utriuſque jacturam fecit; de quo idcirco per deriſum ferebatur, *& Senatorem perdidiſſe, & Monachum non feciſſe.*

Sed neque Janſenio ſingulare eſt illud Doctrinæ Syſtema. Eodem cum illo vitulo arant Theologi alii celeberrimi, S. Auguſtini Diſcipuli vulgò dicti: qui cùm in cæteris omnibus Scholam Thomiſticam venerentur, & colant; ab ea tamen illo in Capite deflectunt; in quo D. Thomam ab Auguſtino receſſiſſe comminiſcuntur.

In utroſque igitur arma convertamus. Ceterùm dum de hac, aliave quacumque Controverſia cum Janſenio, & aliis Auguſtini Diſcipulis nuncupatis lis nobis eſt, ad Auguſtini tribunal provocamur. Ii etenim alium ſuarum Cauſſarum Judicem neſciunt; Auguſtinum unum, cæteris poſthabitis Eccleſiæ Patribus, arbitrum ſeligunt, tanquam is unus Divinæ Gratiæ Myſteria norit, cæteri cœcutierint univerſi. Hunc nos Controverſiæ hujuſce Judicem lubenter accipimus; qui licèt alios Eccleſiæ Patres non, ut illi ſolent, contemnamus; ſed ſuo unumquemque pretio habeamus; Auguſtinum tamen præ cæteris colimus, atque Magiſtrum Eccleſiæ, Ducem, primumque poſt Apoſtolos Doctorem Gratiæ veneramur, & colimus.

Ad ejus ergo tribunal læti & alacres venimus certaturi; palamque oſtenſuri ſumus, Janſenium, quique illi ſtudio juncti ſunt, toto oſtio aberraſſe, dum eam Statuum differentiam commenti ſunt, ut diverſa efficacis Gratiæ Syſtemata procuderent. Gratiam

ex

ex ſeſe, & ab intrinſeco efficacem ſecundùm Auguſtini Principia ad Statum Innocentiæ, uti & corruptionis, pertinere, eâque re ipſa Protoparentes, & Angelos viatores indiguiſſe, ut in accepta Juſtitia permanerent, demonſtrabimus. Gratiam verò verſatilem, cujus efficacia ex Voluntatis nutu ſuſpenſa ſit, commentum eſſe, ab Innocentiæ Statu ſeu Angelorum, ſeu Hominum, non ſecus ac a corruptionis Statu repellendum. Eja nunc; & Janſenium ſuis ipſius retibus implicemus.

Primum, illudque potiſſimum Auguſtinianæ Doctrinæ Principium, unde Gratiæ ſe ipſa efficacis neceſſitatem in Statu Naturæ lapſæ colligit Cornelius Janſenius adverſus Molinianos non ſemel in ſuis de Gratia Operibus, iſtud eſt; quod nihil in ordine ſupernaturali a ſe ipſo habeat Homo, de quo in ſemetipſo gloriari poſſit; nihil a ſemetipſo habeat, ratione cujus poſſit ſeſe ab altero quocumque diſcernere; ut tradit Auguſtinus paſſim, præſertim verò *Lib. de Præd. Sanctorum cap.* 5. Ex hoc principio colligit Janſenius, & rectè colligit, egere nunc Hominem ſpeciali quadam, & efficaci Divinæ Gratiæ Virtute. Si etenim una eademque verſatilis Gratia duobus Hominibus datur, cujus ope rectè agendi potentiam unuſquiſque recipiat; horum verò unus rectè agat, alter non item; quia videlicet ille ſuæ Voluntatis aſſenſu verſatilem Gratiam reddidit efficacem, iſte ſuo diſſenſu caſſam, atque inutilem fecit; is certè ab alio ſe diſcernit ex ſuo, non ex Gratia, quæ in utroque eadem reperiri ſupponitur: *Nihil autem huic ſenſui tam contrarium eſt* (inquit Auguſt. *Lib. de Præd. Sanct.* laudato *cap.* 5.) *quàm de ſuis meritis ſic quemquam gloriari, tanquam ipſe ſibi ea fecerit, non Gratia Dei: ſed Gratia, quæ bonos diſcernit a malis, non quæ communis eſt bonis, & malis*. Si ſe diſcernit ex ſuo, poterit etiam gloriari de ſuo. En arietem, quo una cum Thomiſtis Molinianiſmum pulſat Janſenius loco multiplici.

Sed quidni quoque eodem ariete Janſenium pulſem, dum Gratiam illam verſatilem ex Voluntatis nutu ſuſpenſam in Statu Innocentiæ tandem agnoſcit, Gratiamque ſe ipſa efficacem explodit? Iiſdem enim prorſus incommodis, iiſdem eum retibus implicare facilè eſt, quibus Molinianos ipſe implicavit. Si etenim una, eademque Angelis ſtantibus, & cadentibus verſatilis Gratia data eſt, quam illi Voluntatis aſſenſu fecerint efficacem, ut ſtarent; alii diſſenſu inefficacem fecerint, ut exciderent; illi profectò ſua ſe Voluntate diſcreverunt, ac in ſe ipſis idcirco gloriari meritò poſſunt. Neque verò id ratio tantùm ſuadet, ſed ex eo Principio ſponte fluit. Hoc ipſum pervidit Auguſtinus ipſe, Angeloſque non a ſe ipſis diſcretos eſſe ab invicem, ſed a Deo, conſtanter aſſeruit:

ruit: jam ſi a Deo; igitur ope alicujus Gratiæ ſingularis, quæ ita eſſet in bonis, ut non eſſet in malis: Gratia enim, ut antea dicebam, quæ eſt communis bonis, & malis, non ſecernit bonos a malis. Auguſtini hæc verba ſunt *Lib.* 11. *de Civit. Dei cap.* 19.: *Inter ſanctos Angelos, & immundos fuiſſe diſcretum, ubi dictum eſt:* Et diviſit Deus inter lucem, & tenebras .... *Solus quippe ille ita diſcernere potuit*. Et *Lib.* 12. *cap.* 9.: *Ergo meliores* (Angeli) *a ſe ipſis, quàm ab illo facti ſunt? Abſit*. quo ultimo Dicto Janſenio jugulum novo veluti telo petit. Melior enim eſt, qui in Juſtitia perſeverat, quàm qui ſimpliciter juſtus eſt. Si ergo haberent Angeli a Deo, quod juſti eſſent; ſui verò arbitrii verſatilitate, (quæ Gratiam indifferentem faceret efficacem) haberent, ut re ipſa perſeverarent; ſe ipſos meliores certè facerent, quàm illos primò fecerit Deus. Unde & colligit Auguſtinus ibidem: *aut ſi non potuerunt ſe ipſos facere meliores, quàm eos ille fecerat .... profectò & bonam Voluntatem, qua meliores eſſent, niſi operante adjutorio Creatoris, habere non poſſent*. Quo vel uno totum illud Janſenii Syſtema funditus ruit.

Alterum Auguſtinianæ Doctrinæ Principium, quo Molinianos exagitat Janſenius, ut Gratiam ſe ipſa efficacem in Statu Naturæ lapſæ demonſtret, iſtud eſt: ſtare ſcilicet penes Deum omnipotentiſſimam Poteſtatem, quæ nullius Creaturæ adverſa Voluntate vinci, ac ſuperari poteſt; cui volenti ſalvum facere nullum humanum reſiſtit arbitrium. Sexcentis plus minùs locis apud Auguſtinum occurrunt phraſes illæ: *Lib. de Gratia Chriſti cap.* 24.: *legant ergo, & intelligant, intueantur atque fateantur, non lege atque doctrina inſonante forinſecus, ſed interna, & occulta, mirabili, ac ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum non ſolum veras revelationes, ſed bonas etiam voluntates*. *Lib.* 4. *ad Bonifacium cap.* 9.: *oramus ergo non ſolùm pro nolentibus, verùm etiam pro repugnantibus, & oppugnantibus. Quid ergo petimus, niſi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes? Lib. de Gratia, & lib. arb. cap.* 16.: *Certum eſt, nos facere, cùm facimus; ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati*: & *cap.* 21.: *agit omnipotens Deus in cordibus Hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipſe voluerit. Lib. de Prædeſt. SS. cap.* 8.: *hæc itaque Gratia, quæ occultè humanis cordibus Divina largitate tribuitur, a nullo duro corde reſpuitur: Ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferratur. Lib. de correp. & Gratia cap.* 14.: *cui* (Deo) *volenti ſalvum facere nullum Hominum reſiſtit arbitrium*. Quibus omnibus Gratiam illam verſatilem explodit Janſenius, quæ

ex

ex Voluntatis aſſenſu ſuſpenditur. Ac rectè quidem: ſi etenim Deus iis duntaxat Gratiis verſatilibus pulſaret Hominum Voluntates, ruerent plane quæcumque de ſua illa Gratia potentiſſima prædicat Auguſtinus. At quidni etiam hæc omnia in Janſenium regeramus, dum, quam in Statu Naturæ lapſæ Gratiæ efficaciam agnoſcit, a Statu Innocentiæ eliminare nititur? An enim Deus eo in Statu minùs omnipotens, minùs ſupremo pollebat imperio, ut Angelorum, & innocentum Hominum Voluntates quò vellet, quando vellet, & ubi vellet inflecteret? Ita quidem, ut a nullo duro corde ejus Gratia reſpueretur; ut nullum illi creatum arbitrium obſiſteret; ut motum denique Voluntatis eorum operaretur. Nihil profectò valet hic, quam Janſenius comminiſcitur, diſcretio Statuum. Primum Hominem, Angelos ipſos creaturas eſſe ſatis eſt, ut illud in eos imperium Deus obtineat. Novit id oculatiſſimus Auguſtinus, & ad noſtrum Inſtitutum accommodavit *in Enchirid. ad Laurentium cap. 96.: Neque enim*, (inquit) *ob aliud veraciter vocatur omnipotens, niſi quoniam quidquid vult poteſt, nec Voluntate cujuſpiam Creaturæ Voluntatis Omnipotentis impeditur effectus*: & *cap.* 102. *ejuſdem Libri*: *quantælibet ſint Voluntates vel Angelorum, vel Hominum, vel bonorum, vel malorum, vel illud quod Deus, vel aliud volentes, quàm Deus, Omnipotentis Voluntas ſemper invicta eſt*. Fruſtra ergo Janſenius eam Divinæ Gratiæ efficaciam in Statu Naturæ innocentis inficiatur, ſi ſemel eam in Statu Naturæ lapſæ admittendam exiſtimavit.

Tertium Auguſtinianæ Doctrinæ Principium, unde Gratiæ ſe ipſa efficacis Syſtema Janſenius eruit contra Molinianæ Scholæ Paradoxa, ex iis S. Doctoris locis deſumitur, ubi ad inſcrutabilia Dei Judicia refert, cur unus præ alio vocetur; cur unus præ alio trahatur. Ubique paſſim occurrunt illa S. Doctoris Oracula. Hinc pervulgatum illud ex *Tract. 26. in Joan. quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare*. *Ex Lib. de dono Perſeverantiæ cap. 9. Ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iſte ita vocetur, ut vocantem ſequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur; inſcrutabilia ſunt judicia Dei*: *& cap.* 12.: *Sed quare illos potius, quàm illos? Iterum, atque iterum dicimus, nec nos piget: O Homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Inſcrutabilia ſunt judicia ejus*. Ac rectè quidem ex Divinorum Judiciorum abyſſo Gratiam illam verſatilem Molinianam exterminavit Janſenius cum Thomiſtis. In Molinæ quippe Syſtemate nihil Myſterii ea in parte ſubodorari licet: omnia pervia, plana, explicataque ſunt. Imò eò devenit Ludovicus Molina, ut Auguſtino petulantiùs inſultarit, quaſi qui omnia turbarit hujuſce Quæſtionis altitudine, atque profunditate; cùm ipſe novo ſuo invento omnia in aperto, in

in plano poſuerit. Et certè, ſi Molinianæ Gratiæ Vindices audiamus, Deus verſatilem Gratiam omnibus confert; illi conceſſam Gratiam ſuo aſſenſu efficacem faciunt, & ſalvantur; iſti diſſenſu ſuo caſſam reddunt, & pereunt. Nihil hìc profectò Myſterii; unde liceat exclamare cum Apoſtolo (non jam cum ſolo Auguſtino, quem contemnit Molina) *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Nulla hìc altitudo: res plana eſt: nihil hìc inſcrutabile, nihil incomprehenſibile, quod non ipſi etiam Ruſtici ſtatim ſapiant. Quare certiſſimum eſt, ex ea Quæſtionis ab Auguſtino (imò & ab ipſo Gentium Doctore Paulo) poſitæ altitudine Janſenium cum Thomiſtis Gratiam verſatilem feliciter oppugnaſſe.

Verùm cur non idem ad Statum Innocentiæ primi Hominis, & Angelorum referamus contra Janſenium? Enim verò Auguſtinus non abſimiliter inſcrutabilem Quæſtionem dixit, cur ex duobus Angelis unus exciderit, alter æternam felicitatem attigerit *Lib.* 11. *de Geneſi ad lit. cap.* 10. *Poſſet etiam Deus* (inquit) *malorum voluntatem in bonum convertere; quoniam Omnipotens eſt. Poſſet planè. Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluerit, penes ipſum eſt.* Certè ſic Janſenius incidit in foveam, quam fecit: in foveam, inquam, quam Molinæ fodit; dum ſuam illam verſatilem Gratiam, quam lapſis hominibus negat, uti abſonam, Angelis viatoribus, & primis Parentibus elargitur. Ponamus enim, duobus Angelis Gratiam illam verſatilem a Deo fuiſſe datam, quorum unus idcirco perſeverarit, quia verſatilem Gratiam aſſenſu ſuo reddidit efficacem; alter e contra ideo exciderit, quòd illam reniſu ſuo caſſam, & inutilem fecerit; nulla quoad Angelos illos eſſet hujus Myſterii alta profunditas: res tota plana eſſet. Janſenius ergo ſua illa Statuum diſtinctione, ſua illa variorum Gratiæ Syſtematum poſitione omnia promiſcuè confudit; ſeque ipſum proprio gladio jugulavit.

Quartum Auguſtinianæ Doctrinæ Principium, quo verſatilem Gratiam a Statu Naturæ lapſæ Janſenius eliminavit, ex iis Sanctiſſimi Doctoris locis deſumtum eſt, ubi Deum aſſerit nobis ſuâ Gratiâ conferre non ſolùm poſſe, quod volumus, ſed etiam velle, quod poſſumus; non ſolùm bonam facultatem, ſed bonam etiam voluntatem; Deum efficere non modò, ut poſſimus; verùm etiam, ut velimus, ut agamus, ut ſtemus. Auguſtinum exſcribere neceſſe eſſet, ſi cuncta hæc minutatim recenſere vellem. Omnium inſtar ſit, quod habet *Lib. de Gratia, & libero arbitrio cap.* 17.: *Quis iſtam, etſi parvam, dare cœperat Charitatem, niſi ille, qui præparat Voluntatem, & cooperando perficit, quod ope-*

operando incœpit? Quoniam ipſe, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apoſtolus: certus ſum, quoniam qui operari cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu: Ut ergo velimus, ſine nobis operatur; cùm autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur: tamen ſine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. Meritò certè ex hoc Auguſtini Principio Gratiam verſatilem Janſenius exagitavit: hæc etenim non actionis, ſed poſſibilitatis eſt Gratia; qua non Deus efficit, ut operetur Homo, ſed ut poſſit operari, ſi velit; ſuoque aſſenſu ancipitem Gratiam determinet, & inflectat.

Sed cur non id ipſum ad primos Parentes, & Angelos viatores pari jure transferat Janſenius, ut & ab illo Statu verſatilem Gratiam eliminet? Etenim Auguſtinum jactum illud ſuæ Doctrinæ fundamentum ad Adamum quoque, & Angelos extendit; quibus Deum bonam Voluntatem actualem indidiſſe docet, qua re ipſa operarentur, & agerent. Et *Lib.12. de Civit. Dei cap.9.*: *ſi non potuerunt* (Angeli) *ſe ipſos facere meliores, quàm eos ille fecerit .... profectò & bonam Voluntatem, qua meliores eſſent, niſi operante adjutorio Creatoris, habere non poſſent.* Suo itaque Adjutorio bonam in illis Voluntatem operatus eſt Deus, qua meliores, hoc eſt, perſeverantes effecti ſunt.

Hæc prima acie dicta voluimus, Viri Theologi, generatim tantùm, & facta inter duos Status comparatione; ut oſtenderemus, Janſenium minùs ſecum conſenſiſſe, lævaque manu diſperſiſſe, quod collegerat dexterâ; dum eam in Statu Innocentiæ verſatilem, & ancipitem Gratiam poſuit, quam magno ſtudio a Statu Naturæ lapſæ eliminaverat adverſus Molinianæ Scholæ novitates, & male conſarcinata Commenta. In ſequentibus ſtatutam a nobis aſſertionem diſtinctiùs aggrediemur omni variorum Statuum ſepoſita conſideratione; Janſeniumque novis telis impetemus, volente Deo, cujus Gratiam vindicamus.

PRÆ-

PRÆLECTIO III.

Gratiæ efficacis in Statu Innocentiæ neceſſitas luculentiùs evincitur.

JANSENIUM Gratiam verſatilem, liberique arbitrii conſenſui ſubditam in Statu Innocentiæ propugnantem mutuæ ſecum repugnantiæ convicimus; collatiſque Auguſtinianæ Doctrinæ Principiis, quibus ille Gratiam ſe ipſa efficacem in Statu Naturæ lapſæ contra Molinianos cum Thomiſtica Schola defendit, luculenter, ut opinor, demonſtravimus, debuiſſe illum hujuſce Gratiæ genus ad Naturæ innocentis Statum pari ratione protendere; ne quod una manu eruditè collegit, alterâ diſpergeret. Jam ad ea pergimus Auguſtini loca perpendenda, ubi de Statu Naturæ innocentis Hominum, & Angelorum ſermonem inſtituens Gratiam illam verſatilem, quæ in omnibus æquè eſſet, & pro varia liberi arbitrii affectione efficax, aut inefficax fieret, penitus exſufflavit. Ut hinc intelligat Janſenius, quàm temere *Lib. 8. de Gratia Salvatoris cap. 2.* ſcripſerit, *Gratiam efficacem ad omnes Humanæ Naturæ Status dilatatam ab Auguſtini ſenſibus eſſe remotiſſimam; & vi potius Humanæ Philoſophiæ, quàm Auguſtinianæ Theologiæ expreſſam, & inventam eſſe.*

Huic revincendæ dicacitati vel unus ſufficeret Auguſtini locus *Lib. 12. de Civit. Dei cap. 9.*; ubi Quæſtionem ex inſtituto movet: Cur ex Angelis in Gratia ſanctificante conditis ceciderint alii, alii ſteterint? Unde hæc illorum tam diverſa fortuna? Certè ſi Janſenium ea in re conſuleremus, illico reponeret, utriſque æquè verſatilem Gratiam actualem datam eſſe; ſed iſtos eam liberi arbitrii aſſenſu efficacem feciſſe, illos diſſenſu inefficacem: atque illos idcirco ſtetiſſe, iſtos cecidiſſe. At longè aliter Quæſtionem ſolvit Auguſtinus; confugitque ad majus Divinæ Gratiæ Adjutorium ſtantibus Angelis datum, quàm cadentibus: *Iſti autem*, inquit, *qui, cùm boni creati eſſent, tamen mali ſunt mala propria voluntate, quam bona Natura non fecit, niſi cùm a bono ſponte defecit, ut mali cauſſa non ſit bonum, ſed defectus a bono, aut minorem acceperunt amoris Divini Gratiam, quàm illi, qui in eadem perſtiterunt; aut ſi utrique boni æqualiter creati ſunt, iſtis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem, unde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent,*

rent, pervenerunt. Quem locum uſque adeo ad Gratiæ ſe ipſa efficacis neceſſitatem in Angelis aſſerendam decretorium agnovit Leonardus Coquæus Auguſtiniani Inſtituti Profeſſor, Librorumque de Civitate Dei Commentator celeberrimus, ut de D. Auguſtini mente dubitari non poſſe fateatur.

Dubitat tamen Janſenius; imò oppoſitum uti certiſſimum habet: utque locum hunc diſertiſſimum cavilletur, reſpondet, Angelos ſtantes majus quidem a Deo Adjutorium percepiſſe, Auguſtino judice; ſed majoris Adjutorii nomine non Gratiam efficacem intellexiſſe, ſed certam de ſuæ Beatitudinis perennitate notitiam. At dormitaſſe Janſenium oportet, dum hæc illi Reſponſio venit in mentem, Auguſtini textui palam, apertèque repugnans. Ait enim Sanctiſſimus Doctor, Angelos ſtantes amplius adjutos ad Beatitudinem perveniſſe: de Adjutorio itaque loquitur, quo pervenitur ad Beatitudinem: at tantum abeſt, ut certa de Beatitudinis perennitate notitia Adjutorium ſit, quo pervenitur ad Beatitudinem; quin potius nonniſi jam adepta Beatitudine haberi poteſt; Beatitudiniſque jam poſſeſſæ corollarium eſt. Prius enim eſt, quempiam eſſe beatum, quàm certò ſcire, ſe de ſua Beatitudine nunquam eſſe caſurum.

Eadem obſervatione præcluditur ſuffugium alterum a Viro eruditiſſimo, quem etiam impensè colo, non ita pridem excogitatum, edito nuper Opuſculo de mente D. Auguſtini; majus ſcilicet Auxilium, quo Angelos ſtantes præ aliis inſtructos aſſerit Auguſtinus, nihil eſſe aliud, quàm *Lumen Gloriæ*, quo in præmium perſeverantiæ perfuſi ſunt. Minimè verò. De eo etenim, uti dixi, Adjutorio loquitur Auguſtinus, quo pervenitur ad Beatitudinem; at Lumen Gloriæ Adjutorium non eſt, quo ad Beatitudinem pervenitur; ſed cum ipſa Beatitudine poſſidetur; eſtque ipſius Beatitudinis pars longè maxima. At hoc, quod non habetur, niſi in termino, medium non eſt, quo pervenitur ad terminum: Lumen autem Gloriæ non habetur, niſi in termino, ſeu in Gloria: quomodo ergo medium eſſet, ſeu Adjutorium, quo pervenitur ad Gloriam? Addam etiam, ex toto Auguſtini contextu perſpectum eſſe, loqui illum de Angelis bonis, & malis, quales erant in via; & inveſtigare, quid illi præ iſtis habuerint, ut *in bona Voluntate perſiſterent*. Quare dum ultimò pronunciat, fuiſſe illos *magis adjutos*, Adjutorium intelligit datum illis in via, non Lumen Gloriæ, quod nonniſi in Patria obtinetur: multò minùs certam illam de Beatitudinis perennitate notitiam intelligit, a Janſenio venditatam, quæ nec viæ, nec Patriæ Adjutorium dici poteſt.

Quare iis relictis diverticulis, Alii ſubtiliùs quidpiam excogitaſſe

taſſe ſibi putant, ut probent, Auguſtinum majus quidem Adjutorium in Angelis ſtantibus, quàm cadentibus agnoviſſe; at non idcirco efficax, ſed majus duntaxat intra lineam Adjutorii indifferentis, atque verſatilis. At nec illi quidem Difficultatem elidunt, quanquam Auxilia indifferentia, ac verſatilia aliis alia majora dici poſſint. Auguſtinus enim non modò Angelos ſtantes magis adjutos fuiſſe pronunciat; verùm etiam majus illud Adjutorium tanquam certam cauſſam aſſignat, cur ii præ aliis ***in bona Voluntate perſtiterint.*** At pone mihi qualecumque libuerit Adjutorium indifferens, atque verſatile; ex quo tamen indifferens ſupponitur, atque verſatile, certa boni operis cauſſa eſse non poteſt; cùm ab agente indifferenti, ut indifferens eſt, actum prodire impoſſibile ſit. Stat ergo inconcuſſum illud D. Auguſtini Teſtimonium.

Accedunt ſecunda in ordine Sancti Doctoris locupletiſſima Teſtimonia, quibus primi Hominis perſeverantiam non liberi arbitrii facultati, quæ verſatilem, & ancipitem Gratiam fixerit, ac determinarit, adſcribit; ſed Adjutorio Creatoris: Sic *Lib. de novo Cant, cap. 8.* : *quid enim valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipſo Adam demonſtratum eſt. Ad malum ſufficit ſibi; ad bonum non, niſi adjuvetur a Deo.* Quo ex loco duo colligo, quibus Janſenii Syſtema funditus evertitur: primum; defuiſſe Adamo aliquod Adjutorium, quo neceſſariò erat adjuvandus, ut perſeveraret in bono: ***quid valeat***, (inquit Auguſtinus) ***liberum arbitrium non adjutum, in Adam demonſtratum eſt.*** At non illi profectò defuit Gratia illa verſatilis; Gratia illa, quam Scholaſticis ſufficientem appellare lubet, ***Auxilium ſine quo:*** erat ergo Adæ, ut perſeveraret in bono, neceſſarium Adjutorium aliud. Quid porro illud, niſi efficax? In genere quippe Adjutorii actualis præter efficax, & ſufficiens nullum aliud eſt hactenus excogitatum. Alterum quod ex illo Auguſtini Teſtimonio colligo, iſtud eſt; Adamum, tametſi in Juſtitia Originali conditum, ad malum ſibi ſatis fuiſſe, ad bonum minimè, niſi Dei Adjutorio juvaretur. Erat igitur adjuvandus Adamus novo quodam Auxilio, ultra illud, quod ipſi continuò præſto erat. Si verò egebat, profectò efficaci egebat: ultra enim Auxilium ſufficiens, ac verſatile, nonniſi efficax poni poteſt. Atque hoc ipſum eſt, quod diſtinctiùs, & apertiùs expreſſit SS. Doctor ***in Enchiridio ad Laurentium cap. 106:*** *Homo in Paradiſo ad ſe occidendum relinquendo Juſtitiam idoneus erat per voluntatem, ut autem ab eo teneretur via Juſtitiæ, parum erat velle, niſi ille,* ***qui eum fecerat, adjuvaret;*** utique novo Auxilio ultra illud, quo jam inſtructus Adamus ſupponebatur. Unde cùm *Lib. 14. de Civit. Dei cap. 27.* docuiſſet, Adamum victum fuiſſe a Diabolo, quia de Dei Adjutorio confidere noluit, ſtatim

ſtatim addidit *: quamvis & ipſum fidere de Adjutorio Dei non quidem poſſet ſine Adjutorio Dei* : ut intelligamus, uſum ipſum Gratiæ in Homine primo fuiſſe ex Gratia; nullamque idcirco in Innocentiæ Statu Gratiæ indifferentiam, ac verſatilitatem extitiſſe, quæ ingenita liberi arbitrii facultate determinanda eſſet : ſic etenim bonus uſus Gratiæ non a Gratia eſſet, ſed a libero arbitrio Gratiæ verſatilitatem, atque indifferentiam determinante, uti Janſenius ipſe fatetur.

Facit & ad hoc Inſtitutum præclara ejuſdem D. Auguſtini Sententia *Epiſt. 186. ad Paulinum cap.* 11. quam etiam Concilii II. Arauſicani Patres *in Canonem* 19. transfuderunt : *Natura Humana* (inquit) *etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret, nullo modo ſe ipſam Creatore ſuo non adjuvante ſervaret. Cùm igitur ſine Dei Gratia ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine Dei Gratia poteſt reparare, quam perdidit?* Certè probat eo loci D. Auguſtinus adverſus Semipelagianos Argumento veluti a minori ad majus, Hominem ſine Dei Gratia reparare modò non poſſe, quod perdidit, quia ſine Dei Gratia cuſtodire non potuit, quod in Statu Innocentiæ olim acceperat : ejuſdem ergo Gratiæ neceſſitatem utroque in Statu agnoſcit quantùm ad efficaciam, aliàs Argumentum ex ea Statuum comparatione petitum frivolum eſſet. Janſenius porro Gratiam ſe ipſa efficacem ad reparandam nunc Innocentiam amiſſam uſque adeo neceſſariam agnoſcit, ut Molinianos, qui id perfractè negant, uti Semipelagianos apertè traducat. Eamdem ergo Adamo neceſſariam fateri debet, ſi vult Auguſtinianus haberi, ut Innocentiam, in qua conditus fuerat, cuſtodiret.

Et verò, ſi Auguſtinus nonniſi verſatilem Gratiam in Statu Innocentiæ agnoviſset, tantum abeſt, ut hoc illius Argumento preſſi fuiſsent Semipelagiani, ut reparationis Gratiam efficacem in nobis agnoſcerent, quin potius illud idem Argumentum in Auguſtinum retorſiſſent in hunc ferme modum : Eadem, te ipſo judice, deſideratur Gratia, ut Homo poſſit modò reparare, quod perdidit, quæ in Adamo deſiderabatur, ut poſſet ſervare, quod acceperat : at ut poſſet ille ſervare, quod acceperat, nonniſi Gratia verſatilis, liberoque arbitrio ſubdita deſiderabatur : igitur & hæc ſola deſideratur modò, ut poſſit Homo reparare, quod perdidit. Quo vel uno totam Auguſtini Doctrinam ab imo ſuffodiſſent. At ſtat, æternùmque ſtabit Auguſtini in Semipelagianos Argumentum; alteri videlicet, quod defendo, Principio nixum; Gratiæ nimirum efficacis in Statu Innocentiæ neceſſitati.

Novit id profectò D. Fulgentius S. Auguſtini Diſcipulus, ejuſque Doctrinæ admirator, & hæres *Lib. 2. ad Thraſimundum*

Regem cap. 3. . Quæſtionem enim inſtituens, quænam Gratia bono Angelo neceſſaria eſſet, ne caderet, eamdem illi neceſſariam fuiſſe reſpondet, qualis eſt Homini lapſo neceſſaria, ut ſurgat: *Non alia* (inquit) Gratia *ſtantem Angelum a ruina potuit cuſtodire, niſi illa, quæ lapſum Hominem poſt ruinam potuit reparare. Una eſt in utroque Gratia operata, in hoc, ut ſurgeret; in illo, ne caderet; in illo ne vulneraretur; in iſto, ut ſanaretur. Ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non ſinit. Illius eſca, iſtius medicina.* Efficacem itaque Gratiam utroque in Statu novit eximius Auguſtini Diſcipulus; eo tantùm inter utrumque Statum diſcrimine poſito; quòd Angelo, & Homini ſano Gratia cibus eſſet, ſauciato medicina. Nec immeritò: demus enim hìc duos Homines; ægrum unum, ſanum alterum: ambobus verò neceſſitas incumbat in locum præruptum aſcendendi: Utrique ſcala opus erit, ut aſcendat; nempe ob ingenitam corporis gravitatem, quòd ſurſum ferri per ſeſe non poteſt. Ægro tamen ultra ſcalæ ſubſidium medicinâ erit opus, ut prius ſanetur, quàm pedes ſcalæ admoveat. Non abſimili plane ſorte Gratia efficaci quovis in Statu eget Homo, vel ob id unum, quod Pietatis, ac Sanctitatis opus Naturæ (qualiſcumque illa ſit) facultates excedat; tametſi novo inſuper titulo Gratia egeat Homo læſus, ut ſauciatæ Voluntatis infirmitas reparetur.

Expreſſit id eruditè Doctor Angelicus, (quem Auguſtinum contractum appellat Cornelius Janſenius) 1. 2. *quæſt.* 109. *art.* 2.: *ſic igitur* (inquit) *virtute gratuita ſuperaddita virtuti Naturæ indiget homo in ſtatu Naturæ integræ quantum ad unum; ideſt ad operandum, & volendum bonum ſupernaturale: ſed in ſtatu naturæ corruptæ, quantum ad duo ſcilicet, ut ſanetur, & ulterius, ut bonum ſupernaturalis virtutis operetur, quod eſt meritorium. Ulterius autem in utroque ſtatu indiget Homo auxilio Divino, ut ab ipſo moveatur ad bene agendum.* Quæ ſi Janſenius paulò attentiùs obſervaſſet, non omnia promiſcuè confudiſſet; nec efficacis Gratiæ neceſſitatem ex ſola Humanæ Naturæ corruptione repetendam exiſtimaſſet.

Quantum ea parte ceſpitarit Janſenius, demonſtrare hìc noſtrarum omnino partium exiſtimamus; tametſi ex iis, quæ hactenus a nobis poſita ſunt, Auguſtinianæ Doctrinæ Fundamentis colligi ſatis poſſit, quantum is eo in Capite infeliciter calculum ponat.

Enimverò, tametſi D. Auguſtinus in confutandis Pelagianis totus intentus ad Humanæ Naturæ corruptionem confugiat ſæpe numero, ut victricis Gratiæ neceſſitatem oſtendat; ejus tamen neceſſitatem ex alio etiam Capite repeti poſſe, ſatis ſuperque ſignificavit iis in locis, ubi efficaciſſimam, omnipotentiſſimamque in flectendis

ctendis Hominum Voluntatibus Dei Virtutem agnovit in ipſis etiam naturalis ordinis operationibus; ut ſupremum Dei in Creaturas quaſcumque Dominium tueretur. Quocirca decretorium plane eſt, quod habet Sanctiſſimus Doctor *Lib. de Gratia, & lib. arb. cap.*20. : *Scriptura Divina, ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit, non ſolùm bonas Hominum Voluntates, quas ipſe facit ex malis, & a ſe factas bonas in actus bonos, & in æternam dirigit vitam; verùm etiam illas, quæ conſervant ſæculi creaturam, ita eſſe in Dei Poteſtate, ut eas quò voluerit, quando voluerit, faciat inclinari.* Pariter *cap.*21. *ejuſdem Libri* : *agit Omnipotens in cordibus Hominum etiam motum Voluntatis eorum : ut per eos agat quod per eos agere ipſe voluerit, qui omnino injuſtè aliquid velle non novit.* Explicatiùs verò *Lib.* 1. *Retract. cap.* 9. : *quia omnia bona, & magna, & media, & minima ex Deo ſunt; ſequitur, ut ex Deo ſit etiam bonus uſus liberæ Voluntatis.* Quo vel uno & Molinæ, & Janſenio jugulum petit; qui & motum ipſum, & bonum uſum liberæ Voluntatis a Deo non eſſe fabulantur : ille quidem quocumque in Statu, iſte in Statu ſaltem Innocentiæ primi Hominis, & Angelorum.

Neque verò id affirmare, ſatis viſum eſt Auguſtino : hoc ipſum quoque luculentiſſimis Scripturarum Exemplis demonſtravit; quæ cùm naturalis ordinis omnino ſint, nemo inde non intelliget, Auguſtinum Divinæ Motionis efficaciam ad naturalem etiam ordinem protendiſſe; adeoque potiori longè titulo ad actus ſupernaturales Hominis innocentis, & Angelorum. Primum ex Electione Saulis in Regem petitum eſt, de qua multa habet *Lib. de Correptione & Gratia cap.* 14. : in qua quidem manifeſtum fuiſſe ait ſupremum Dei in Hominum Voluntates Imperium : *Non eſt itaque dubitandum* (inquit) *Voluntati Dei, qui in Cælo, & in Terra omnia quæcumque voluit fecit, & qui etiam illa, quæ futura ſunt fecit, Humanas Voluntates non poſſe reſiſtere, quominus faciat ipſe, quod vult : quandoquidem etiam de ipſis Hominum Voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit* : Et poſt pauca, de facta Saulis in Regem electione ſermonem habens, *hoc non fecit*, inquit, *niſi per ipſorum Hominum Voluntates, ſine dubio habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentiſſimam Poteſtatem.*

Alterum ex Davidis pariter in Regem Electione deſumptum eſt : de qua S. Doctor paulò infra quæſtionem inſtituit : *adduxit* (inquit) *iſtos, ut eum Regem conſtituerent. Et quomodo adduxit? Numquid corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eoſque Voluntatibus eorum, quas ipſe in illis operatus eſt, traxit .... Cùm voluerit Reges in terra Deus conſtituere,*

tuere, magis habet in poteſtate Voluntates Hominum, quàm ipſi ſuas. Jam ſi Deus magis in Poteſtate ſua Voluntates Hominum habet, quàm ipſi ſuas, in actibus etiam merè civilibus, certè motiones ſuas ex ipſorum Voluntate minimè ſuſpendit; nec illos verſatilibus motionibus agit, quas ipſi ſponte ſua, quam in partem maluerint, flectant, atque determinent. Quantò magis ergò in actibus ſupernaturalibus Naturæ etiam innocentis?

Sed nec ſatis obſervavit Janſenius, quæ ſecum ferat incommoda ſua illa variorum Statuum diſtinctio, ut efficacis Gratiæ neceſſitatem ab Innocentiæ Statu eliminaret. Enimvero, ſi efficaciæ Divinæ Gratiæ neceſſitas ex Naturæ duntaxat corruptione petenda venit; nulla in Chriſto, nulla in Virgine Deipara Gratia efficax agnoſcenda erit, cùm Chriſtus nullam Naturæ corruptionem ſenſerit; Originale peccatum plane nullum; nullum Maria peccati fomitem experta ſit, ex quo in utero Matris ligatus illi fuit, & in Conceptione Verbi Divini penitus extinctus. Sola igitur in illis verſatilis Gratia dabitur; ſola, inquam, ut loquitur Janſenius, Gratia Conditoris, non Gratia Salvatoris. Illorum opera bona lumine Scientiæ Mediæ explorabuntur a Deo, non in Decreto efficaci prædeſtinabuntur: ſunt enim hæc neceſſaria hujus Hypotheſis conſectaria. Quæ tamen Janſenio uſque adeo abſurda videntur, ut Molinam ob excitatam præſertim e cineribus Scientiam Mediam Hæreticis Semipelagianis connumerare non vereatur.

Plura ex Angelico Doctore proferre fas fuerit, niſi id otioſi penitus eſſet Hominis; quandoquidem adverſum ſibi in eò Capite Doctorem Angelicum Janſenius uſque adeo profitetur, ut ex eo potiſſimum Auguſtinianæ, & Thomiſticæ Doctrinæ diſcrimen petat. Quare & nobis Inſtitutum unicum fuit, cumulatiſſimè, & efficaciſſimè demonſtrare, quàm præpoſterum Auguſtini ſenſum exceperit, ut ſuum illud Syſtema procuderet, qui ſeſe adeo verſatum in Auguſtini Doctrina gloriabatur.

Tempus eſt, ut Janſenium Theologicis rationibus exagitemus. At, ut eſt illud magnæ molis opus, in alteram Exercitationem Academicam mittimus perficiendum.

PRÆ-

PRÆLECTIO IV.

Efficacis Gratiæ neceſſitas in Statu Innocentiæ rationibus Theologicis comprobatur.

JANSENIUM D. Auguſtini, quem unum ſibi Patronum aſſumpſerat, Authoritate jam ſatis, ut opinor, exagitatum, Theologica etiam ratione pulſandum impræſentiarum aggredimur. Theologica, inquam, ratione, non Philoſophica. Abſit enim, ut eorum vitio laboremus, qui cùm Theologiam ex Officii, ac Muneris debito tradendam ſibi ſumſerint, ſpinis, ac vepretis philoſophicis perpetuò hærent: quidquid probandum habent, ex Philoſophiæ Inſtitutionibus repetunt; quidquid decernunt, ad Philoſophiæ calculos revocant; quidquid argumentantur, ad Philoſophiæ quiſquilias per fas nefaſque traducunt: ut vix illos dimidiatos Theologos appellaveris. Ergo ne Theologia noſtra intra Philoſophiæ cancellos perpetuò continebitur, ut ultra nunquam excurrat? Ita ne iniquis humanæ Rationis ſpatiis concludetur, ut ſuis ipſa juribus non fruatur? Abſit. Neque tamen Philoſophiam aſpernamur, aut flocci facimus; ſed ſuum volumus Philoſophiæ modum, tempus, limites, ultra quos excurrere minùs deceat. Philoſophiam in Eccleſia, uti Agar ancillam in domo Abrahæ, Theologiam, uti Saram dominam ſuſpicimus. Agaris amplexibus aliquandiu delectatus eſt Abraham; donec ſcilicet Sara pareret: at ubi Sara peperit fructum ſuum, Agarem ejecit e Domo, dicente Scriptura, ut ait Apoſtolus *ad Galath. cap.* 4.: *Ejice Ancillam, & filium ejus. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ*. Philoſophiæ ergo, ut Ancillæ Agaris, amplexibus fruantur Literarum Studioſi, bene eſt: ſed juſto tempore; donec videlicet Sara, hoc eſt Theologia, ſinum explicet, pariatque fructum. At ubi hæc ſuos partus effudit, ſepoſitis Philoſophiæ Argumentis, altiora proferre neceſſe eſt, ſi volumus eſſe Theologi, ut debemus.

Miſſis ergo Philoſophiæ Momentis, quibus createę cujuslibet Voluntatis determinationem nonniſi ex pręvia, & efficaci Motione oriri poſſe demonſtrant Thomiſtę Noſtrates in Libro de cauſſis, quibus aſſentio ego quàm lubentiſſimè, ad ea Momenta me revoco, quę Theologici Inſtituti propria ſunt; ut demonſtrem, Adamum in Statu Innocentię, & Angelos in Statu Vię Gratia ſe ipſa efficaci eguiſſe, ut in accepta Juſtitia perſeverarent; Gratiamque ver-

verſatilem libero arbitrio ſubditam, quę pro recipientis aſſenſu, atque diſſenſu efficax, aut inefficax fiat, a Statu etiam Innocentię eliminandam omnino eſſe.

Primum ex Orationis neceſſitate repeto. Demus enim Janſenii Hypotheſim; vacat omnis in Adamo orandi neceſſitas. Erat ſiquidem primus Homo, ſi Janſenio quidem credimus, Gratiâ illâ verſatili plane inſtructus, quacum perſeveraturus erat, modò illam liberi arbitrii aſſenſu redderet efficacem: nihil ultra a Deo, ut perſeveraret, expectandum illi erat; totumque jam ex liberi arbitrii ſui ingenita conſecutione pendebat. Ut quid ergo Deum oraſſet, ut ab illo perſeverantię Gratiam impetraret? *Nam quid ſtultius, quàm orare ut facias, quod in poteſtate habeas?* ajebat aliàs Auguſtinus *Lib. de Natura, & Gratia cap.* 18.

Non abſimili Argumento Pelagianos exagitavit Auguſtinus, ut oſtenderet, converſionem ad Fidem ex Dei Gratia pendere *Lib. de Prædeſtinatione Sanct. cap.* 19. inquiens: *Quid eſt, quod hinc Deo gratias agit?* (Apoſtolus) *Nempe vanum eſt, atque inane; ſi cui gratias agit, hoc ipſe non fecit. Sed quia hoc vanum, & inane non eſt, profectò Deus, cui de hoc opere gratias agit, ipſe fecit.* Et *Epiſt.* 217. *ad Vitalem cap.* 2.: *inaniter igitur, & perfunctoriè potiùs, quàm veraciter pro eis .... Deo fundimus preces, ſi ad ejus non pertinet Gratiam convertere ad Fidem ſuam ipſi Fidei contrarias Hominum voluntates .... Prorſus non oramus Deum, ſed orare nos fingimus, ſi nos ipſos, non illum, credimus facere quod oramus. Prorſus non gratias Deo agimus, ſed nos agere fingimus, ſi unde illi gratias agimus, ipſum facere non putamus.*

Quid ergo? An fortè reponet Janſenius, Adamum Oratione non eguiſſe, ut Diaboli tentatoris vitaret inſidias, utque in accepta Juſtitia perſeveraret? Id ſi dicat, ipſum etiam Naturę ſenſum exuit. Orandi quippe Lex naturalis omninò eſt, ad omnem idcirco Statum attinens, ut Dei ſupremum in nos Imperium agnoſcamus, quod uſque adeo certum eſt, ut Gelaſius I. Summus Pontifex *in Libello adverſus Hæreſim Pelagianam* ex eo pręſertim ortum Adę peccatum dicat, quod exiſtimarit, ſe poſt acceptam a Deo primę felicitatis Gratiam nihil ultra Dei ope eguiſſe, ſed ſibi jam poſſe ſufficere; idcirco nec ad Deum Oratione confugiſſe, ut Gratiam ſibi neceſſariam efflagitaret: quo nihil, ut arbitror, luculentius proferri poteſt ad Janſenianam Hypoteſim jugulandam: *hinc illa primæ conditionis integritas, dum ita de ſe fidit, tanquam ipſo, qui condiderat, non egeret, nec de perceptis agit gratias .... nec de conſervandis, quæ ſumpſerat, poſcit auxilium, ... facilè ſine præſidio Creatoris patuit Deceptoris inſidiis.* Si tamen Janſenio credimus, nullâ aliâ Gratiâ egebat Adam; nullo novo ad conſervanda,

da, quæ ſumſerat, egebat Auxilio; nullum demum ei defuit præſidium Creatoris, ne pateret inſidiis Deceptoris; cùm Gratiâ illâ verſatili, quam ſolam ei neceſſariam comminiſcitur, nunquam fuerit deſtitutus. Adeo eſt ille Gelaſii Summi Pontificis Definitioni contrarius.

Alterum, quod huic admodum affine eſt, ex gratiarum Actione repeto fundamentum. Ponamus enim, quod Janſenii Syſtema ſtatuit, Angelos ſeu ſtantes, ſeu cadentes eadem verſatili Gratiâ fuiſſe donatos; ſed illos eam liberi arbitrii aſſenſu efficacem feciſſe, ut ſtarent; iſtos inefficacem, ut caderent; majores Deo gratias referre Angelus Sanctus non deberet, Deo fruens, quàm Angelus malus æternis ignibus damnatus: de perceptis enim gratias agimus: at nil plus bonus, quàm malus Angelus percepiſſet in Hypotheſi Janſeniana; cùm acceptæ Gratiæ verſatili, utrique perinde communi, ſuum ille conſenſum nullius novæ Gratiæ ope, ſed ex ipſa Naturæ motione addidiſſet. Eò recidunt aurea Auguſtini verba *Epiſt. 217. ad Vitalem cap. 2. non gratias Deo agimus, ſed nos agere fingimus, ſi unde illi gratias agimus, ipſum facere non putamus.*

Quid ad hæc Auguſtini Pſeudodiſcipuli? Num fortè reponent, Angelos bonos non quidem de nova ſpecialique Gratia, quæ in illis nulla fuit, ſed de hac ipſa ſua liberi arbitrii facultate & ſanitate, quæ Gratiam verſatilem reddere poſſet efficacem, grates Deo agere debuiſſe? Bene eſt: at cum ea liberi arbitrii facultas cadentibus æquè, ac ſtantibus Angelis communis eſſet, ſtat idem Argumenti robur; majores nimirum Deo grates rependere non debuiſſe ſtantes Angelos, quàm cadentes, in Hypotheſi Janſeniana. Sed & illud minimè hìc omittendum; idem ſcilicet quondam olim Pelagianorum effugium fuiſſe, dum ab Auguſtino premerentur, quòd omnia Dei Gratiæ ſurriperent, ut libero arbitrio largirentur. Reponebant ſiquidem feſtivi homines, liberum arbitrium quoddam eſſe Gratiæ genus. Nec animadvertebant imprudentes, quod nec ſatis in hacce Controverſia Janſenius animadvertit; liberum arbitrium Authoris Naturæ beneficium eſſe, non Gratiæ; eaque idcirco Authori Gratiæ ſurripi, quæ in ingenitas liberi arbitrii vires refunduntur.

Quid ergo? Reponet ne fortè Janſenius, ſtantes Angelos tametſi in Auxiliis actualibus verſatilibus Angelis cadentibus pares, majores tamen Deo gratias reddere debuiſſe, quòd habitualem Gratiam ſanctificantem majorem a Deo recepiſſent? At id tam falſum eſt, quàm quod maximè. Cùm enim ex omnibus Angelorum Ordinibus ceciderint aliqui; iique ſanctificantem Gratiam habitualem ab initio ita ſint conſecuti ſecundùm quantitatem donorum

naturalium, ut perfectioribus Angelis in Natura major ſanctificationis Gratia data ſit; perſpectum eſt, cadentium Angelorum aliquos majorem ſanctificationis Gratiam, quàm pleroſque ex ſtantibus, recepiſſe.

Tertium ex virtute Humilitatis deſumptum eſt. Eſt enim illud Principium inconcuſſum, quod non modò tradit Apoſtolus, ſed ex ipſis intimis Religionis ſenſibus notum eſt; nihil a ſe ipſa Creaturam habere poſſe, præſertim in ordine ſupernaturali, de quo in ſe ipſa, non in Domino glorietur. Jam inquio; ponamus hìc duos Angelos, quales nobis Janſeniana Hypotheſis fingit, Gratia verſatili æquè inſtructos; quorum alter Gratiam liberi arbitrii conſenſu fecerit efficacem, ut ſtaret; alter diſſenſu inefficacem, ut caderet: habebit ille unde in ſe ipſo glorietur præ altero; in ſe ipſo, inquam; cum a ſe ipſo (ab innata ſcilicet liberi arbitrii facultate) habuerit, quòd Gratiam redderet efficacem, ut ſtaret.

Reſpondet Janſenius, iſtum ſua in Hypotheſi ita ſe ipſo gloriari non poſſe præ alio, quia non diſcernitur ab altero ſine Gratia. At hæc mera æquivocatio eſt. Quanquam enim, qui Gratiam indifferentem ſuo conſenſu, & abſque ope novi Auxili reddidit efficacem, non diſtinguatur ab alio ſine Gratia, non tamen diſtinguitur ab alio per Gratiam. Gratia enim verſatilis, quæ eſt communis bono & malo, non diſtinguit bonum a malo; diſtinguit naturalis Libertatis aſſenſus, qui ita in bono eſt, ut non ſupponatur in malo. Vultis, rem aperiamus Exemplo? Dabo facilè. Demus duos milites, quos enſe æqualiter munierit Imperator: unus ingenita dexteritate enſe optimè uſus de hoſte triumphet; alter ignaviâ torpens, nec enſe ſatis uti valens ab hoſte vincatur: an non, amabo, qui vicit, gloriari præ altero poterit, a quo ſeſe tanta cum gloria diſcrevit? Bene profectò: attamen hic non ſine gladio ſe diſcernit. Quorſum ergo gloriari præ alio poteſt? Quia videlicet qui non ſe diſcernit ſine gladio, gladio tamen, ut ita dixerim, otioſo non ſe diſcernit, ſed ſe diſcernit ſuperaddita dexteritate, qua gladium movit: qui enim generoſo, & ignavo communis gladius fuit, generoſum ab ignavo minimè diſcernit, ſed dexteritas ipſa, qua gladius exercitus eſt. Id ipſum de Gratia verſatili dicas, & Janſenii figmentum experieris.

Quartum ſic efformo: Impietatis genus eſt velle quaſi cum Deo componere: meriti partem dare illi, partem ſibi ſumere; imò minorem Deo adſcribere, ſibi majorem. Id enim nec Ratio patitur, nec Religio. Jam ſi valet Hypotheſis Janſeniana, componit Angelus, innocenſque Homo cum Deo; perſeverandi ſcilicet poſſibilitatem Deo acceptam refert, a quo videlicet Gratiam verſatilem,

ut perſeverare poſſit, obtinuit; actualem verò perſeverantiam ſibi vindicat, qui addito conſenſu Gratiam indifferentem, ut re ipſa perſeveraret, determinavit, ac efficacem reddidit ingenita ſibi Naturæ virtute, non ſuperaddita ex Gratia facultate. Imò cum longè melius ſit re ipſa perſeverare, quàm poſſe duntaxat perſeverare, meliorem profectò partem ſibi ſumit, qui actualem perſeverantiam ſibi, ſuiſque viribus tribuit; ſolamque perſeverandi poſſibilitatem Divinæ Gratiæ adſcribit.

Quidquid ad hæc Janſenius repoſuerit, hoc ipſum Moliniani Janſenio reponent, dum illos iſtiuſmodi Argumento exagitat in Statu Naturæ lapſæ ad Gratiam Molinianam profligandam. Si quam enim ille viam arripit, ut laqueum effugiat, hanc & illi pari jure arripient, ut evadant. Quid etenim? An fortè, ut actualem perſeverantiam in ſua duorum Angelorum Hypotheſi Deo adſcribat, Janſenius reſpondebit, Deum Angelo perſeveranti liberum arbitrium tribuiſſe, ut Gratiam verſatilem efficacem reddere poſſet? Sed & id in Hypotheſi duorum Hominum in Statu Naturæ lapſæ Moliniani reponent; nam & illis liberum arbitrium a Deo conceſſum eſt. An Gratiam habitualem ſtanti Angelo conceſſam dicet? At & illam Homini lapſo in Juſtitia conſtituto datam etiam Moliniani reſpondebunt. An Angelo datum inquiet Auxilium ſufficiens? Hoc idem & Homini poſt lapſum datum eſſe Molina concedit. An tandem datam illi Gratiam indifferentem iis in circumſtantiis, in quibus poſitum præviderat conſenſurum Gratiæ, atque idcirco perſeveraturum? Verùm ut hoc ipſum de lapſis Hominibus affirmaret, Scientiam mediam excogitavit Molina. Sic ut perſpicuum omnino ſit, nihil a Janſenio obtrudi poſſe, ut hujuſce Difficultatis laqueum effugiat, quod & in ipſum retorquere Moliniani non poſſint, dum ab illo exagitantur in eorum Gratiæ verſatilis Hypotheſi in Statu Naturæ lapſæ.

Ultimum repeto ex efficacia Divinorum Decretorum Prædeſtinationis, & Scientiæ Dei, juxta Janſenii Principia; quæ is cum Schola Thomiſtica, ſecluſis erroribus, communia habet. Divinæ Voluntatis Decreta, ſi Janſenio credimus, ſe ipſis efficacia ſunt: Prædeſtinatio omnium meritorum notitiam antevertit: Scientia Dei Cauſſa rerum eſt; futuraque ideo ſunt, quia novit Deus, non e contra ideo novit, quia futura ſunt: nihil in his Principiis ſtatuendis Janſenius a Thomiſtica Schola diſſidet. Jam ſi, quod de Angelorum, & primorum Parentum Gratia in Statu Innocentiæ fabulatur, verum eſt, ruunt funditus Fundamenta hæc. Ruit imprimis Divinorum Decretorum efficacia. Quomodo enim ſe ipſis efficacia erunt Decreta Dei, ſi Gratia, qua ſua executioni Decreta mandat, efficax ipſa non eſt? Ruit gratuita Prædeſtinatio in

 Ange-

Angelis. Quomodo enim Angelos ante omnia prævisa merita Deus eliget, ſi ſubinde non habet Deus conferendorum meritorum abſoſolutam poteſtatem, ſed ab illorum duntaxat aſſenſu pendentem? Ruit cauſſalitas Scientiæ Dei. Non enim ideo futurus erit boni Angeli conſenſus, quia ſcitur a Deo; ſed e contra ideo ſcitur, quia futurus erit; cùm conſenſum Deus ipſe non operetur in Angelo Gratiâ illâ indifferenti, ſed illum potius expectet. Jam ſi hæc omnia ruunt in Hypotheſi Janſeniana, Scientiam Mediam in Deo admittere neceſſe erit, cujus lumine Angelorum bonorum futurum conſenſum exploraverit: Scientiam verò Mediam nil minùs Janſenius execratur, quàm purum putumque Semipelagianiſmum; ac veluti Virgilianum illud

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum.

Næ itaque imprudentes Janſeniani, qui, quod una manu contra Molinianos ædificant, altera ſubruunt? Sunt qui id vehementiùs ſtupeant: Ego minùs. Eſt enim hæc novorum Syſtematum fabricatoribus Sors, ut inconſequenter ad poſita alibi Principia ratiocinentur; id ita providente Deo, ut mentiatur iniquitas ſibi. Neque verò id ſolùm in iſto fabricando Dogmate manifeſtum fecit Cornelius Janſenius; ſed & in ipſo judicio, quod de Divi Thomæ Sententia tulit. Is enim D. Thomæ Syſtema, quo Gratiam efficacem ad omnes humanæ Naturæ Status extendit, ab Auguſtini ſenſibus remotiſſimum dicit *Lib.* 8. *de Gratia Salvatoris cap.* 2.; & vi potius humanæ Philoſophiæ, quàm Auguſtinianæ Theologiæ expreſſum: cùm tamen *in Libro Proemiali cap.* 22. ſui velut oblitus iſtud de D. Thoma judicium tulerit, ære (ſi Janſenii non eſſet) utique incidi dignum: *Quidquid veræ Theologiæ in Scholaſtica S. Thomæ continetur, uſque ad ipſorum Articulorum fundamenta, ex Auguſtino ita mutuatum eſt; ut quemadmodum novum Teſtamentum nihil aliud eſt, quàm vetus revelatum, & Auguſtini Doctrina de Gratia Dei nihil præter Fidei Principia in ſuas deducta Concluſiones; ita S. Thomæ Summa, ubi Theologiam tradit, pro magna parte nihil ſit aliud, niſi Auguſtinus contractus, certaque proportione naturalibus Principiis alligatus*. Ita plane de D. Thoma Janſenius, qui niſi ſui tandem oblitus eſſet, nunquam D. Thomam longè ab Auguſtino in iſta graviſſima Controverſia ſenſiſſe pronunciaſſet.

Jam quid ipſe ex Auguſtino proferat, ut id obtrudat, ſequenti Exercitatione expendemus.

PRÆ-

PRÆLECTIO V.

Janſenii Momentum adverſus Gratiæ per ſe & ab intrinſeco efficacis neceſſitatem in Statu Innocentiæ ab Auguſtino deſumptum pro virili proponitur, ſolutione in ſubſequentem Prælectionem remiſſa.

TAMETSI Gratiæ ſe ipſa efficacis neceſſitatem in Homine primo, & Angelis ex intimis Auguſtinianæ Doctrinæ Principiis probaverimus; ut apud æquos Æſtimatores ſuboriri dubitatio nulla poſſit; ſcrupulus nihilominus ſupereſt, iſque graviſſimus, quem eximere operæ pretium eſt, ne qua fortè nubecula veritatem obnubilet. In hoc uno totam adverſæ Sententiæ vim poſuit Cornelius Janſenius: hoc uno ſcuto tectum ſe ſatis exiſtimavit adverſus quæcumque Scholæ Thomiſticæ tela: hoc igitur uno ſubmoto, tota Janſenianæ Doctrinæ moles excidet. Attentos duntaxat vos opto, ut graviſſimæ, ac pene inſuperabilis Difficultatis vim intelligatis, quæ magna etiam Ingenia torſit, & a Scholæ Thomiſticæ placitis non paucos avulſit.

Auguſtini Mens, inquit Janſenius, ſi quo ex loco exſculpenda venit, ex eo maximè, quo Quæſtionem iſtam totam, quanta eſt, non obiter, ac perfunctoriè, ſed data opera, & ex Inſtituto verſavit, atque reſolvit. Id porro ſemel duntaxat egit ſanctiſſimus Doctor; *Libro* ſcilicet *de Correptione & Gratia cap.* 10. 11. & 12. Cùm etenim toto illo Libro Monachorum Adrumentinorum obmurmurationes adverſus traditam a ſemetipſo Doctrinam diluendas aggreſſus eſſet, res eò demum perducta eſt, ut de Gratia primi Hominis, & Angelorum Quæſtio fieret; qua potiſſimùm ratione a Gratia Hominis lapſi ſecerneretur. Facti ſpeciem, totamque Auguſtinianæ Diſputationis ſeriem paucis exponam, ut Sanctiſſimi Doctoris mentem feliciùs intelligatis. Statim atque internovere Adrumentini Monaſterii Monachi, quoddam Gratiæ genus ab Auguſtino adverſus Pelagianos prædicari, quæ ad omnes Pietatis actus neceſſaria eſſet; nec tamen ullis meritis obtineretur, ſed a Deo pro ſuæ Voluntatis arbitrio quibus vellet, & quando vellet, conferretur; venit illis ſtatim in mentem pervulgata obmurmurantium objectio: ſi ſic eſt, inquiebant, nemo itaque corripiendus eſt, ſi bonum fortè non agat; aut ſi non perſeveret in bono; cùm nec agere bonum, nec perſeverare poſſit in bono ſine Gratia; quam tamen

tamen nec dare ipſe ſibi, nec promereri a Deo poteſt; ſed Deus tantùm ſupplicandus erit, ut Gratiam ipſe largiri dignetur; quam donec habuerit Homo, implendo bono prorſus eſt impar, penituſque impotens.

Eam ut obmurmurationem diſſiparet inclytus Divinæ Gratiæ Vindex, Librum edidit *de Correptione & Gratia*; quo nimirum multis oſtendit Argumentis, duo hæc optimè cohærere: Hominem Divina Gratia egere, ut bene agat; & nihilominus corripiendum eſſe, ſi ea Gratia deſtitutus bene non agat. Tum ſubinde *Cap.* 5. Correptionis utilitatem multis Momentis evincit: ac tandem hanc ipſam exſufflat obmurmurantium Monachorum querimoniam ex Apoſtolo deſumtam 1. *ad Corinth. Cap.* 4.: *quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Cur ergo corripimur, arguimur, reprehendimur, accuſamur? Quid facimus, qui non accepimus?* Ita Monachi argutabantur.

Quibus e veſtigio reſpondet ille *Cap.* 6.; ideo corripiendos eſſe, quia culpâ ſuâ Gratiam demeruerunt: cauſſamque refundit in Originale peccatum, quibus omnes obnoxii ſumus, ſi id non accipimus, quod ad Correptionem evitandam neceſſarium eſſet, nempe Gratiam Fidei. Tum ſubinde, Monachis de Fidelibus inquirentibus, cur eis perſeverantiam non tribuat, quibus jam nullum ineſt Originale peccatum, quid reponit Auguſtinus? Audiamus: *me ignorare reſpondeo. Non enim arroganter, ſed agnoſcens modulum meum audio dicentem Apoſtolum*: O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? *Et*: O altitudo Divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei; quàm inſcrutabilia ſunt judicia ejus & inveſtigabiles viæ ejus! Hæc Auguſtinus Monachis importunis.

Addebat, res compertiſſimas negari a viro prudente non poſſe, tametſi earum quandoque ratio explorata non ſit, imò potius ignota. Et revera quis fluxum, ac refluxum Maris in Oceano diffiteri vellet ob id unum, quòd ejus in hanc uſque diem ratio explorata non fuerit? Quis ventos idcirco vocet in dubium, quòd impervia ſit illorum origo? Quis demum ruſticus Eclipſim negare accedat, dum eam propriis oculis intuetur; quia unde oriatur ignorat? Quantò minùs ergo in ordine Gratiæ negari Myſteria poſſunt Divinis in Literis luculenter expreſſa, quia Myſteriorum rationes mente capere, ac Divinæ Voluntatis tremenda Conſilia rimari nullatenus poſſumus? *Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis Conſiliarius ejus fuit?* inquit Apoſtolus.

Hæc perbellè quidem auribus excipiebant queruli Homines: at necdum propterea faſces ſubmittebant. Auguſtinum volentem nolentem congeſtis Sophiſmatibus coegerunt, ut aliquam tandem ra-

tionem afferret, quorſum ſuam Deus Juſto retraheret Gratiam, ſine qua perſeverare reipſa in bono non poteſt; & tamen idem Deus ei, quòd non perſeveret, vitio verteret? Reponit importunis Cavillatoribus Auguſtinus, Gratiam Juſtis temporaneis ſubtrahi, quia non ſunt a Maſſa perditionis æternâ Dei Prædeſtinatione diſcreti: hoc eſt; Gratiam ſubtrahi ob demerita primi Parentis.

Tempus erat, ut cederent veritati lymphati Circulatores. At nihil minùs: quin potius eo Auguſtini Reſponſo concitati illum ſuis ipſis retibus implicandum exiſtimarunt, obiecto ipſiuſmet primi Parentis Exemplo, cui Gratia ad perſeverandum neceſſaria negata fuit in primævæ Innocentiæ Statu, tametſi ob aliquam prævviæ corruptionis Maſſam, alteriuſque primi Parentis demerita ei denegata Gratia dici non poſſit. Hoc ultimum in Auguſtinum telum contortum ipſiuſmet verbis exponam; hujus enim occaſione coactus eſt ſanctiſſimus Doctor Quæſtionem, quæ noſtri jam Inſtituti eſt, ex officio pertractare: *Hic exoritur alia Quæſtio* (verba ſunt ejus) *non ſanè contemnenda, ſed in adjutorio Domini, in cujus manu ſunt & nos, & ſermones noſtri, aggredienda, atque ſolvenda. Quæritur enim a nobis, quantum attinet ad hoc Donum Dei, quod eſt perſeverare uſque in finem, quid de ipſo primo Homine ſentiamus, qui certè ſine ullo vitio factus eſt rectus?* Tum poſtea, nonnullis interjectis, objectam ſibi Difficultatem ita proponit: *Sed illud magis quærendum, operoſiuſque tractandum eſt, quomodo reſpondeamus eis, qui dicunt: ſi in illa rectitudine, in qua ſine vitio factus eſt* (Adam) *habuit perſeverantiam, procul dubio perſeveravit in ea: & ſi perſeveravit, utique non peccavit, nec illam ſuam rectitudinem, Deumque deſeruit. Eum autem peccaſſe, & deſertorem boni fuiſſe, veritas clamat. Non ergo habuit in illo bono perſeverantiam: & ſi non habuit non utique accepit. Quomodo enim & accepiſſet perſeverantiam, & non perſeveraſſet? Porro ſi propterea nòn habuit, quia non accepit; quid ipſe non perſeverando peccavit, qui perſeverantiam non accepit? Neque enim dici poteſt, ideo non accepiſſe, quia non eſt diſcretus a Maſſa perditionis Gratiæ largitate. Nondum quippe erat illa in Genere Humano perditionis Maſſa antequam peccaſſet, ex quo tracta eſt origo vitiata.*

En adverſæ Partis Argumentum. Quid ad hoc porro reponit SS. Doctor? An ſtatutam a nobis in præcedentibus Tractationibus Gratiæ per ſe efficacis Hypotheſim arripit, ut eam Adamo ad perſeverandum neceſſariam fateatur? Imò potius Hypotheſim Janſenianam videtur arripere, ut nodum ſibi propoſitum ſolvat, qua ſola ſolvi poſſe videtur. Alterius quippe generis Gratiam Adamo neceſſariam fuiſſe reſpondet, ac nunc neceſſaria ſit Juſtis: il-

illum Gratiâ duntaxat verſatili eguiſſe decernit; Gratiâ, inquam, cujus efficacia, vel inefficacia ex Voluntatis aſſenſu, vel diſſenſu penderet: eoque pacto totam obmurmuratorum Difficultatem feliciter eluit. Si enim Gratia duntaxat ſufficiente, ut Schola loquitur, atque verſatili egebat Adamus, ut in accepta Juſtitia perſeveraret; & in ejus duntaxat libero arbitrio commiſſa erat plena perſeverandi poteſtas abſque ullius potentioris Gratiæ ope; planum omnino eſt, illum non perſeverando peccaſſe; nec de ſubtracto ſibi Auxilio Adamum conqueri potuiſſe; cùm nullum ipſi in hac Hypotheſi ſubtractum eſſet Auxilium; ſed ipſe ſolus Auxilio verſatili uti noluiſſet. Auguſtini Reſponſum audiamus, an non ita re ipſa objectum ſibi nodum diſsolvat.

Duplex imprimìs diſtinguit Adjutorium: Adjutorium, *ſine quo* non fit bonum opus, quod *ſufficiens* Schola vocat; & Adjutorium, *quo* re ipſa fit opus; hoc eſt *efficax*: Uti alimentum eſt Adjutorium, *ſine quo* non vivitur; non tamen *quo* re ipſa infallibiter vivitur, ſi quis neglecto alimento mori voluerit: Beatitudo e contra Adjutorium eſt, non ſolùm ſine quo quis beatus eſſe non poteſt; ſed quo quis re ipſa beatus eſt. Tum ea ſuppoſita duplicis Adjutorii diſtinctione, ita Quæſtioni ſatisfacere incipit: *Primo itaque Homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt Adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret, ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per Gratiam Dei prædeſtinatis non tale Adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur; non ſolùm, ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint; verùm etiam, ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint.* En primum Auguſtini Reſponſum; quo plane liquet, Gratiam efficacem ad perſeverandum Adamo re ipſa non fuiſſe collatam.

Verùm cùm ea de re dubitatio nulla eſſe poſſet, nec id in Quæſtionem ab Adrumentinis Monachis verteretur; ſed potius, an ad perſeverandum efficaci Gratia eguiſſet; an illi e contra ſufficiens Gratia, quo donatus erat, abundè ſatis eſſet (modò illam liberi arbitrii conſenſu redderet efficacem) *Cap.* 11. hæc habet: *nec ipſum ergo Deus eſſe voluit ſine ſua Gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio. Quoniam liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem parum eſt, niſi adjuvetur ab Omnipotenti Bono. Quod Adjutorium ſi Homo ille per liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus: ſed deſeruit, & deſertus eſt. Tale quippe erat Adjutorium, quod deſereret, cùm vellet* (notate verba, quæ Janſenii Syſtema confirmare videntur) *& in quo perma-*

maneret, ſi vellet; non quo fieret, ut vellet. Hæc prima eſt Gratia, quæ data eſt primo Adam: ſed hac potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim, qua fit, ut habeat Homo Juſtitiam, ſi velit: ſecunda ergo plus poteſt, qua etiam fit, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat. En, ut videtis, Gratiam verſatilem Adamo datam, cujus exitus ex ipſius penderet arbitrio, ut is ſine novæ Gratiæ ope in Juſtitia perſeveraret, ſi vellet; aut ab illa excideret, ſi ſtare re ipſa nollet: quo ex Capite a Sanctis hujuſce præſentis Status ſecernebatur, quibus non ea duntaxat Gratia datur, qua poſſint perſeverare, ſi velint; ſed quæ re ipſa datur, ut velint.

Hoc ipſum evidentiùs Auguſtinus exponit; & bonorum Angelorum Exemplo confirmat; quos cum ſola Gratia verſatili, quæ reprobis etiam Angelis data fuerat, perſeveraſſe contendit, ſolo libero arbitrio Gratiæ verſatilitatem, & indifferentiam determinante: *Dederat*, inquit, *Adjutorium* (Adamo) *ſine quo in ea non poſſet permanere, ſi vellet; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. Poſſet ergo permanere, ſi vellet: quia non deerat Adjutorium, per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere, quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet: ſicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & hujus permanſionis debitam mercedem recipere meruerunt.*

Quid plura? Rationem ſubjungit Sanctiſſimus Doctor, cur Deus tam diverſi generis Gratias Hominibus, & Angelis innocentibus deſtinarit a Status Naturæ lapſæ Gratiis tantopere diſcrepantes; illas ſcilicet verſatiles, & libero arbitrio ſubditas, ut pro nutu efficaces evaderent; iſtas liberi arbitrii dominas, atque victrices. *Sic* (Deum) *ordinaſſe* (inquit *cap.* 10.) *Angelorum, & Hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ Gratiæ beneficium, juſtitiæque judicium.* Adeo verum eſt, Angelorum, & primi Hominis Gratiam libero arbitrio fuiſſe ſubditam, quòd quantum nativis viribus poſſet eo in Statu, oſtendere voluit Naturæ Conditor Deus. Unde & ſubdit: *Angeli quidam, quorum Princeps eſt qui dicitur Diabolus, per liberum arbitrium a Domino Deo refugæ facti ſunt. Refugientes tamen ejus bonitatem, qua beati fuerunt, non potuerunt ejus effugere judicium, per quod miſerrimi effecti ſunt. Cæteri autem per ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt, eamque de ſuo caſu nunquam futuro certiſſimam ſcire meruerunt.*

Iis omnibus, ut videtis, propoſitam ſibi a Monachis Adrumen-

tinis Difficultatem eliquavit Auguſtinus, ut nulla jam nubecula ſupereſſet. Quærentibus enim illis, qua ratione peccati reus eſſet Adam, quod in accepta Juſtitia non perſeverarit, cùm Gratiâ ad perſeverandum neceſſariâ fuiſſet a Deo deſtitutus abſque ulla ſui culpa, nullo præcedente Originis Vitio, nulla vitiatæ Maſſæ corruptione præeunte; reſpondet, idcirco peccaſſe, quia nulla ad perſeverandum neceſſaria Gratia privabatur; quippe qui nullo niſi verſatili illo, quo donatus erat, Auxilio indigebat; ſatiſque illi erat, ſi illud ſuo aſſenſu redderet efficax. Quod cùm non egerit, tota in illum culpa regeritur; nulla in Deum querela regeri poteſt, qui totum illi contulerat, quod ad plenam, cumulatamque perſeverantiam ſatis erat.

Et verò, ſi Auguſtinus Thomiſtarum Syſtema tenuiſſet; Gratiam ſcilicet ſe ipſa efficacem Adamo fuiſſe neceſſariam, non video, quis ſuæ illius ad Adrumentinos Monachos Reſponſionis ſenſus eſſet; quænam ab illo fuiſſet objectæ Difficultati data Reſponſio. Plus dico, non video, quid ad eam eluendam reponere potuiſſet; quid Thomiſtæ reponere poſſint, quod inquietos animos ſatiet, & a ſcrupulis liberet, ſi ſuis de Gratia ſe ipſa efficaci Adamo, & Angelis neceſſaria Principiis ſtare velint.

Hucuſque, Viri Theologi, Janſenii contra Thomiſtas Cauſſam egimus; nodum intricavimus Gordiano ſine controverſia difficiliorem. Hunc in Prælectione ſequenti ſolvendum aggrediemur Divino adſpirante Numine, cujus Gratiam vindicamus.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO VI.

Satis ſit Argumento Janſenii ſuperiùs expoſito contra efficacis Gratiæ neceſſitatem in Statu Innocentiæ.

GRAVISSIMÆ Controverſiæ de Gratia primi Hominis, & Angelorum adverſus Janſenium inſtitutæ coronidem impoſituri hoc unum deſideramus in præſens, ut quæ fuſiùs in anteacta Exercitatione proferebamus, eadem illa brevi ſaltem compendio in memoriam revocetis. Janſenii (ſi bene meminiſtis) prolixum Argumentum ſuis phaleris, ac pigmentis ornatum propoſuimus; quo Gratiam ſe ipſa efficacem primo Homini Innocenti ad perſeverandum inutilem molitur oſtendere; eo maximè titulo, quòd ea de re a Monachis Adrumentinis interrogatus aliàs Auguſtinus primum Hominem innocentem ab Homine lapſo ea maximè ratione toto Libro *de Corrept. & Gratia* diſtinxerit, quia is Auxilio *ſine quo*; hoc eſt, *ſufficiente*, ut Schola loquitur, duntaxat inſtructus integram perſeverandi facultatem in libero arbitrio repoſitam habebat; cùm e contra Homo Originali vulnere ſauciatus efficaci ad perſeverandum Auxilio egeat; quo Deus in illo operetur & velle; nec modò perſeverandi potentiam, ſed & ipſam perſeverantiam largiatur.

Eò plane recidit tota contra nos Janſenii Diſputatio; cui ille uſque adeo fidit, ut eam duplicis Auxilii *quo* fit opus, *& ſine quo* non fit, diſtinctionem; eam lapſum inter, & ſanum Hominem differentiam ab Auguſtino eo loci traditam, unicam Auguſtinianæ Doctrinæ Clavim appellet; qua prætermiſſa, neceſſe eſt toto oſtio aberret quiſquis ad ejus Doctrinam perdiſcendam accedit. Quocirca duo impræſentiarum aggredimur demonſtranda. Primùm: diſcrimen hoc lapſum inter, & ſanum Hominem ab Auguſtino conſtitutum a Janſenio perperam jactitari, velut Auguſtinianæ Doctrinæ Clavim, qua in ejus Scripta aditus ſit aperiendus, ac veluti Fundamentum, cui tota Divinæ Gratiæ Vindiciis Doctrina incumbat: alterum; nihil eo ſtatuto diſcrimine, totaque cum Adrumentinis Monachis Diſputatione docuiſſe D. Auguſtinum, quod cum Angelica D. Thomæ Sententia conciliari non poſſit. De primo breviter dicam.

Et verò, ipſo quoque Janſenio Judice certiſſimum eſt, D. Auguſtinum Librum *de Correptione & Gratia*, ubi eam duplicis Adjuto-

jutorii diſtinctionem, eamque lapſum inter, & ſanum Hominem differentiam duntaxat conſtituit, ſub Vitæ ſuæ finem elucubraſſe. At (ut S. Proſper loquitur *Lib. contra Collatorem Cap.* 1.) viginti, & amplius annis in anteceſſum contra inimicos Gratiæ Dei Catholica acies Auguſtini ductu pugnarat, & vicerat. Quæ ergo tot annis victoria eſſe potuiſſet, ſi nondum arma iſta, quibus duntaxat victoria comparari poterat, S. Auguſtinus exeruiſſet? Quibus armis bellum adeo ferum, ac diuturnum confectum eſſe potuit, ſi ſua nondum arma hujus certaminis primarius Dux Auguſtinus in aciem protuliſſet? Vanus igitur tot annis fuiſſet Eccleſiæ de proſtrata Hæreſi Pelagiana triumphus, ſi eo in Capite ſita eſſet Auguſtinianæ Doctrinæ Baſis, quod in ſolo Libro *de Correptione*, *&* *Gratia* ſub vitæ finem exaratum fuiſſe, compertum eſt.

Sed & illos quoque Monachos Adrumentinos turpiter deluſiſſet D. Auguſtinus, ſi Janſenii obſervatio veritate niteretur. Is etenim ſtatim, intellectis Monaſterii Adrumentini de Divina Gratia diſſenſionibus, Librum *de Gratia & libero arbitrio* a ſe jampridem editum miſit; utque illum aſſiduè legerent, vehementer eſt adhortatus: *ſi ergo*, inquit, *eum fructuoſiſſimum habere vultis, non vos pigeat relegendo habere notiſſimum, ut diligentiſſimè ſciatis, quibus, & qualibus Quæſtionibus ſolvendis, atque ſanandis, non ibi humana, ſed Divina occurrat Authoritas*. Et *Epiſt.* 47. *ad Valentinum & Monachos Adrumentinos*: *ſcripſi ad vos etiam Librum de Gratia, & libero arbitrio; quem ſi adjuvante Domino diligenter legeritis, & vivaciter intellexeritis, nullas exiſtimo inter vos de hac re diſſenſiones ulterius jam futuras*. An verò clauſum, obſeratumque Librum mittebat ipſis Sanctiſſimus Doctor, nondum miſſa Doctrinæ ſuæ Clavi? Falsòque commendabat Opus, in quo dilucidiſſimè non ſolùm Humana, ſed & Divina Authoritas occurreret ſolvendis de Divina Gratia Quæſtionibus opportuna? Nondum enim Librum *de Correptione & Gratia* S. Doctor ediderat; neque eam duplicis Adjutorii *quo*, & *ſine quo* celebrem diviſionem pro variis humanæ Naturæ Statibus docuerat; qua incognita, ſi Janſenio quidem credimus, neceſſe erat, tanquam cæcos in meridie palpare eos, quos dilucidiſſimè inſtructos exiſtimabat nihilominus Auguſtinus. Fruſtra ergo, ut ſuum illud venditaret Argumentum Janſenius, celebrem illam duplicis Adjutorii diviſionem in Libro duntaxat *de Correptione*, *&* *Gratia* ab Auguſtino conſtitutam, uti totius Auguſtinianæ Doctrinæ Clavim, ac Baſim haberi voluit.

Sed ad id, quod rei Caput eſt, veniamus; ac ſive ſit illa Auguſtinianæ Doctrinæ Clavis & Baſis, ſive non ſit; illud eviden-

tiin-

tiſſimè demonſtremus, SS. Doctorem eo duplicis Auxilii diſcrimine poſito, totaque illa ſuſcepta contra Monachos Adrumentinos Diſputatione nihil plane docuiſſe, quo Gratiam ſe ipſa efficacem a Statu Innocentiæ, tanquam inutilem, exploſerit.

Auguſtinus in prolixa illa Concertatione cum Monachis Adrumentinis habita de Gratia ad perſeverandum neceſſaria Homini innocenti non inſtituit comparationem inter Hominem innocentem, & Hominem lapſum, ſed potius antitheſim ponit; ſeu, ut expeditius dicam, non illos inter ſe confert a Qualitatibus, Dotibuſque, quibus inter ſe ſe conveniunt; ſed potius a Qualitatibus, Dotibuſque, quibus a ſe invicem diſſident, diſcrepantque. Quare dum decernit, definitque, quodnam Homini ſano, integro, innocenti neceſſarium eſſet Auxilium, illud tantùm intelligit, quod eſſet illi neceſſarium, quatenus diſcrepabat ab Homine lapſo; ſeu illud Auxilium intelligit, quod erat illi neceſſarium titulo Sanitatis, titulo Integritatis, titulo Innocentiæ; ſeu quod exigebat, quod poſtulabat Integritas, Sanitas, Innocentia: nequaquam tamen expendit illud, quod erat illi neceſſarium, quatenus aliunde in aliis Qualitatibus, Dotibuſque conveniebat cum Homine lapſo; titulo ſcilicet Creaturæ, Cauſſæ ſecundæ a Deo in omni operatione ſua, maximè ſupernaturali, dependentis. Hoc ſemel poſito conſtitutoque Principio facile eſt, omnia in rectum ſenſum inflectere, quæ a SS. Doctore tota illa Diſputatione ſunt dicta; omneſque illius loquendi formulas ad Thomiſticam Sententiam revocare. Quatuor enimvero ab illo ſunt dicta: Primum Factum potius attinet, quàm Jus: tria reliqua Jus ſpectant potius, quàm Factum ipſum. Ad Factum attinet, quod ait, Adamo datum fuiſſe duntaxat Auxilium, *ſine quo* non fit Opus, non Auxilium *quo* fit: Auxilium, *ſine quo* bonum velle non poſſet, non *quo* fieret ut vellet: ſeu Adamo datum fuiſſe Auxilium poſſibilitatis, quod *ſufficiens* recentior Schola nuncupat; quo nimirum poterat abſolutè loquendo perſeverare; non Auxilium *efficax*, quo reipſa perſeveraret. Ac eo quidem in Capite nihil a nobis diſſidet Auguſtinus. Nemo enim eſt ex Thomiſtarum Schola, qui idipſum non ultro fateatur.

Alterum addit Auguſtinus, quod ad Jus incipit attinere; quodque videtur aliquantulum Thomiſtis incommodare: nempe Adjutorium illud *ſine quo*, ſeu Auxilium ſufficiens Adamo datum talis fuiſſe naturæ, ut *in eo*, & *cum eo permaneret*, *ſi vellet*. Unde colligi videtur, Auxilium illud fuiſſe ex natura ſua verſatile, & ex mera Voluntatis conſenſione pendens, ut evaderet efficax, & actualem perſeverantiam ſortiretur.

At non eſt ita per fidem veſtram. Dum etenim ait SS. Doctor,

ctor, tale fuiſſe Adjutorium Adamo datum, ut *cum eo, & in eo permaneret, ſi vellet*; tò *ſi vellet* denotat cauſſam & rationem duntaxat immediatam, & proximam permanſionis, ut ita loquar, ſeu perſeverantiæ; non verò cauſſam & rationem primariam, & radicalem (ut Scholæ verbis utar) quæ aliunde, quàm a Voluntate humana petenda erat, nempe ab efficaciori Divinæ Gratiæ Adjutorio. Sic etiam dum in ejuſdem confirmationem Angelorum bonorum Exemplum adducit Auguſtinus in hunc modum: *Sicuti fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi*; cauſſam duntaxat aſſignat immediatam & proximam ſtationis, ſeu perſeverantiæ bonorum Angelorum, non itidem primariam, & radicalem, quæ certè non liberum arbitrium fuit, ſed majus Adjutorium, ut loquitur alibi Auguſtinus ipſe. Unde verò habeam hujuſmodi Auguſtinianæ Sententiæ interpretamentum, audite. Ipſemet Auguſtinus *Lib.* 12. *de Civ. Dei cap.* 6. ita diſſerit: *Si enim aliqui duo æqualiter affecti animo, & corpore videant unius corporis pulchritudinem, qua viſa unus eorum ad illicitè perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica ſtabilis perſeveret, quid putamus eſſe cauſſæ, ut in illo fiat, in iſto non fiat voluntas mala? . . . Si eadem tentatione ambo tententur; & unus ei cedat, atque conſentiat; alter idem, qui fuerat, perſeveret; quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe a caſtitate deficere?* Hic ſanè SS. Doctor de duobus loquitur in Statu Naturæ lapſæ conſtitutis Hominibus; in quo quidem Statu, Janſenio judice, efficacis, & non ſolùm verſatilis Gratiæ neceſſitatem ad perſeverandum in Voluntate pudica, tentatione gravi pulſante, agnovit perpetuò Auguſtinus: & tamen perſeverantiæ cauſſam perſeverantis Hominis Voluntati adſcribit, nulla prorſus mentione habita Divini illius, ac efficacis Auxilii, quo perſeverantia ipſa donatur. Cur porro? Quia nimirum cauſſam duntaxat immediatam & proximam innuere voluit, non primariam ac radicalem; quæ a Voluntate humana minimè pendet, cùm purum Divinæ Liberalitatis ſit Donum. Quidni ergo idipſum pari ratione ad objecta nobis a Janſenio Auguſtini Teſtimonia reponamus? Videlicet non integram ibidem rationem expoſuiſſe Auguſtinum dum dixit: *permaneret, ſi vellet*: vel: *per liberum arbitrium ſteterunt*: Sed diminutam duntaxat, ac in parte tantùm, abſque excluſione potentioris illius Adjutorii, quod ipſummet velle efficaciſſima ſua Virtute in creata Voluntate fortiter ac ſuaviter operatu?

Tertium, quod ad Jus attinet, quodque fortaſſis negotium faceſſere videtur majus, ſubjicit, ſæpiuſque inculcat SS. Doctor: nimi

mirum, Hominem primum non eguiſſe *potentiori Adjutorio:* non indiguiſſe *Auxilio, quo Deus in eo operaretur, ut vellet.*

At nequidem iſtud incommodat, ſi quo titulo non eguerit, perpendatur. Non indiguit ſcilicet quo titulo primus Homo diſtinguitur ab Homine lapſo; quod unum eo loci expendit Auguſtinus: non indiguit, inquam, titulo Sanitatis, titulo Rectitudinis, titulo Innocentiæ primigeniæ. An autem alio titulo potentiori Gratia indigeret, efficaci nimirum Auxilio, quod in illo operaretur perſeverantiam in bono; hoc eſt, titulo Creaturæ, & Cauſſæ ſecundæ a Deo in omni ſua operatione, maximè ſupernaturali, pendentis, nequaquam expendit eo loci Auguſtinus, quòd id Inſtituti ſui ratio minimè poſtularet, ut poſtmodum evincam.

Quartum demum, in quo delicias facit Janſenius, ſubjicit SS. Doctor: Sic *Deum ordinaſſe Angelorum, & Hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium; deinde quid poſſet ſuæ Gratiæ beneficium, juſtitiæque judicium:* unde colligit Janſenius, Deum, Auguſtino judice, eatenus oſtendiſſe in Statu Innocentiæ, quid poſſet liberum arbitrium, quatenus Gratiam verſatilem Homini innocenti tribuerit, quam ex liberi arbitrii viribus reddere poſſet efficacem.

At non eſt ita profectò. Nec enim Deus Gratiam duntaxat ſufficientem, ſeu Auxilium *ſine quo* primo Homini conferens oſtendere voluit, quid tunc poſſet liberum ejus arbitrium tam ad bonum, quàm ad malum; quaſi verò tunc poſset Gratiam illam ſufficientem reddere efficacem ad bonum opus peragendum; ſed oſtendere tantummodo voluit, quid liberum arbitrium ſolo Auxilio ſufficienti donatum, ſuiſque viribus relictum, quid, inquam, poſſet ad malum; non ita tamen quid poſſet ad bonum; ad quod certè nihil poteſt poteſtate, ut Schola loquitur, conſequente, ſeu cum actu conjuncta, quamdiu ſolo illo ſufficienti Auxilio inſtructum manet. Hanc porro eſse S. Doctoris Sententiam, non illam, quam ipſi Janſenius affingit, ſatis compertum eſt ex *Lib. de novo Cantico cap. 8.: Ad malum*, inquit Auguſtinus, *ſufficit ſibi, ad bonum non, niſi adjuvetur a Deo:* & *Cap.* 11. *de Correp. & Grat. Liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem parum eſt, niſi adjuvetur ab Omnipotenti Bono.* En avulſum ſcrupulum illum ex Auguſtini cum Monachis Adrumentinis Diſputatione, veriùs dixerim, Clavum ſat bene retuſum.

At inquit Janſenius: Si ſic eſt, uti diximus; nihilque aliud ſibi voluit Auguſtinus nervoſis illis loquendi formulis, atque ſententiis, quàm quod hactenus expoſuimus, objectam itaque a Monachis Difficultatem minimè ſolvit SS. Doctor, ſed callidè potius diffi-

diſſimulavit. Quærentibus enim illis, cur modò Hominibus juſtis vitio vertatur, graviterque illi corripiantur, quòd in accepta Juſtitia non perſeverent, tametſi eis deneget Deus inæſtimabile illud Donum, quo ſolo fieri poteſt, ut re ipſa in ea Juſtitia perſeverent; repoſuerat illico Auguſtinus, negatum eis eſſe Donum illud ob demeritum Originalis peccati; atque ita in vitio illos eſſe, ſi non perſeverent, quia & hæc ipſa Doni neceſſarii denegatio ex ipſorum Naturæ Vitio ortum habet. Inſtantibus autem illis, importuniùſque quærentibus: *quorſum ergo Adamo vitio vertitur, quòd non perſeveraverit; cùm fingi non poſſit, negatam illi eſſe Gratiam ad perſeverandum neceſſariam propter demeritum Originalis peccati?* Reſpondet Auguſtinus, Gratiam efficacem non fuiſſe illi ad perſeverandum neceſſariam. Si ergo id ſibi vult tantùm, non fuiſſe illi hujuſmodi Gratiam neceſſariam titulo Sanitatis, titulo Integritatis, titulo primigeniæ Innocentiæ; ita tamen, ut eſſet illi neceſſaria alio titulo, nimirum Cauſſæ ſecundæ a Deo in omni operatione ſua pendentis; eadem ſemper remanet Difficultas, cur illi hujuſmodi Gratia tantopere neceſſaria fuerit denegata; curve peccaverit eo ſibi neceſſario Auxilio deſtitutus?

Reſponſio in promptu eſt; Auguſtinum ſcilicet objectæ Monachorum Difficultati cumulatè ſatisfeciſſe, non quidem qua late patet ipſa per ſe ſe; ſed quantum ad eximendos Monachorum ſcrupulos ea in occaſione neceſſe fuerat. Eam enim Difficultatem ex Adami perſeverantia petitam implicaverant Monachi, ut oſtenderent, Juſtum non eſſe modò corripiendum, quod non perſeveret in bono, ſi Gratia efficax, (qua ſupponitur deſtitutus hoc ipſo quod non perſeverat) illi omnino eſt ad perſeverandum neceſſaria. Hunc illis ſcrupulum cumulatiſſimè eximit Auguſtinus, objectamque Difficultatem caſſam, ac futilem eſſe demonſtrat ex hoc ſolo, quòd Statum Adami longè a Statu noſtro differre convincit; Gratiamque illi ad perſeverandum neceſſariam alterius eſſe conditionis, & ſortis a noſtra; nec infirmitatis, & corruptionis titulo fuiſſe in illo deſideratam, quemadmodum deſideratur in nobis; nec eadem ratione potuiſſe illi denegari. Sic enim ſufficienter oſtenditur, lapſum Adami in Exemplum modò trahi minimè poſſe: illumque perperam a Monachis obtrudi, ut inutilem in præſentia Juſtorum a Juſtitia excidentium correptionem effutirent. Cæterùm, an aliunde Gratia efficax Statui Innocentiæ propria, & Adamo ad perſeverandum neceſſaria, occultis de cauſſis huic Statui propriis denegata illi fuerit, Auguſtinus hac occaſione non expendit, quia obmurmurantium Monachorum ſcrupulis eximendis neceſſe illi minimè videbatur; qui certè in eodem cum Adamo Statu conſtituti non erant: ſed hoc aliis in Libris expendit, prout ſuo conducit Inſti-

Inſtituto; Gratiamque efficacem Adamo, Angeliſque cadentibus ad perſeverandum neceſſariam negatam oſtendit, tum quia eſt Beneficium indebitum; tum quia Divinæ Providentiæ Leges poſtulant, ut Deus quandoque Creaturam ſuæ defectibilitati relinquat; tum etiam, ut & Adam ex proprio lapſu, & boni Angeli ex lapſu Malorum diſcere potuerint propriæ Naturæ imbecillitatem; quo inde faciliùs, ac pleniùs Humilitatis Virtutem colere poſſent; tum demum, ut ipſa negatione Gratiæ, quæ quibuſdam Angelis ſubtracta fuerat, & primo Parenti, majorem ſuam erga alios dilectionem oſtenderet, eoſque ad gratiarum Actionem fortiùs induceret: quam etiam rationem inſinuat Apoſtolus *ad Rom. cap. 9. ſuſtinuit in multa patientia vaſa Iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias Gloriæ ſuæ in vaſa Miſericordiæ, quæ præparavit in Gloriam.*

Hactenus de Statu Innocentiæ ſatis dictum: de Statu Naturæ lapſæ dicendum amodo: ac primò de peccato Originali, cujus vitio lapſi ſumus. Erit hoc ſubſequentium Exercitationum ampliſſimum Argumentum.

DISPUTATIO TERTIA.

De Statu Naturæ lapſæ, ſeu de peccato Originali.

PRÆLECTIO PRIMA.

Peccati Originalis Dogma ex Veteri, & Novo Teſtamento comprobatur.

DE Statu Naturæ lapſæ Tractationem mihi nunc habituro offert ſe ſtatim in limine Catholica Veritas ſtabilienda, quam veluti totius hujuſce Tractationis baſim præfigere neceſſe eſt. Fidei Caput intelligo de Originali peccato, quo vel uno lapſam Naturam experimur, atque dignoſcimus quotquot Catholico Inſtituto, ac Nomine decorati ſumus. Eccleſiæ quippe Profeſſio eſt, Adami peccatum Poſteris omnibus traduce ſemine proprium evaſiſſe, non externa duntaxat imputatione, ſed vera, atque interna contracta macula, qua & Originali Juſtitia, & Gratia ſanctificante deſtituti naſcimur iræ Filii, Deo exoſi, æternæ mortis damnationi deputati.

Hoc dum præſenti Theologica Exercitatione adverſus Eccleſiæ Catholicæ Hoſtes probandum aggredior, univerſis plane bellum indico: Gentilibus, quorum judicio minùs arridet, ex uno Protoparente in univerſum Hominum Genus peccatum aliquod derivari: Hebræis, qui nihil iſtiuſmodi ex veteri Teſtamento, cujus unius Suffragio nituntur, extundi poſſe ſibi putant: Hæreticis Pelagianis, quos in noviſſimis Socinianis redivivos lugemus, qui Homines eodem in Statu naſci fabulantur, quo fuit Adam ante peccatum: addam etiam, nonnullis e Catholicorum numero minùs cautis Theologis, qui cùm ſarta tectaque Fide peccatum Originale diffiteri non poſſint, illud tamen Eccleſiæ Patribus Auguſtini ætate ſuperioribus minùs notum ariolantur. Quare, ut ordine quodam in Univerſos arma convertam, Dogma Catholicum de peccato Originali veteris Teſtamenti Suffragiis aſſerendum primò mihi ſumo adverſus Hebræos; & novi Teſtamenti Oraculis contra Pelagianos in Socinianis redivivos; tum verò Patrum Auguſtini Sæculo ſuperiorum Calculis contra Socinianos, nonnulloſque Theologos minùs prudentes, ac minùs æquos; rationibus tandem, quantum Argumenti ſublimitas patitur, contra Gentiles, imò & contra omnes;

omnes; qui certè, niſi Homines eſſe deſierint, Rationi nuncium mittere nullatenus poſſunt.

Ab utriuſque Teſtamenti Oraculis ducam exordium; Hebræoſque ſimul, ac Pelagianos præſenti Exercitatione æquo pede pulſabo; illos quidem veteri, iſtos novo Teſtamento. Prodit primò Jobi in Sterquilinio jacentis Oraculum, quo ſic Deum Optimum compellabat *Cap.* 14. *Libri*, qui ejus nomine inſcriptus eſt: *quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu, qui ſolus es?* En ſordis, & immunditiæ genus ex immundo ſemine contractum. Quodnam porro illud, niſi quod Originalis peccati nomine nuncupamus? Immunditiam enim Jobus intelligit, quam ſolus ille abſtergere poteſt, qui ſolus eſt mundus: contractam igitur in Anima fæditatem intelligit; cùm corporis ſordes abſtergere & homines poſſint. Erit, quod Hebræi fortaſſe reponant: ita ſanè in noſtra Vulgata legi; ſecus tamen in aliis Verſionibus, quas Hebraici Textus tenaciores venditabunt. Ita ſit, per me licet; nec jam Verſionem Vulgatam Eccleſiæ Catholicæ uſu conſecratam conſulamus, ſed illam ipſam, quam pluris omnibus Hebræi faciunt, a Septuaginta Judæis Interpretibus elaboratam trecentis plus minùs ante Chriſtum annis; nunquam tamen laqueum effugient. Ita quippe apud Septuaginta Interpretes legimus eo loci: *Quis enim purus a ſorde, etſi unus dies ſit vita ejus ſuper terram?* Quæ porro immunditia fingi poteſt, a qua nec Infans unius diei immunis ſit, niſi quæ ab ipſa Conceptione omnibus hominibus hæret, & in omnes traduce vitiato ſemine propagatur? Quo nomine nil, niſi Originale peccatum, intelligit Eccleſia Catholica.

Accedit in ejuſdem perfidiæ Judaicæ confutationem Davidici *Pſalmi* 50. notum Oraculum: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me Mater mea.* Neque enim de Concipientis, ſeu Parentis iniquitate, atque peccato Davidem locutum fingere quiſquam poteſt; quaſi Parentum Vitium eo Verſiculo culpare voluerit, non contractum ab ſemetipſo peccatum humiliter confiteri; cùm ex Sancto Conjugio, non ex Adulterio, aut Fornicatione progenitus fuerit Propheta Sanctiſſimus. Quin & totus Pſalmi contextus ſatis indicat, Davidem non aliena, ſed ſua hìc peccata deflere; nec modò ſuam hìc iniquitatem confiteri, ſed illam, quæ peccatorum omnium Actualium prima radix, ac velut incentivùm reputatur; quod Originali peccato proprium eſt. Cùm etenim dixiſſet Sanctiſſimus Pœnitens, *tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm judicaris*; peccati, ac mali a ſe perpetrati primam cauſſam, ac radicem aſſignat: *ecce enim in iniquitatibus conce-*

 ptus

ptus ſum : & in peccatis concepit me mater mea. Neque verò reponere Hebræi poſſunt, Davidem plurali numero fuiſſe locutum *in iniquitatibus, in peccatis*; cùm contra Originale peccatum unicum a Chriſtianis dicatur eſſe : quandoquidem in Hebræo, cui illi tenaciùs hærent, ſingularis numerus ſcriptus eſt. Quanquam nec ſine Myſterio plurali numero deſignari potuerit; ſeu quòd Originale peccatum cæterorum omnium ſit origo; ſeu quòd in Adami peccato, quod nobis transfuſione fit proprium, multiplex iniquitas concurrerit; Superbia, Inobedientia, Intemperantia; quod & ipſi Judæi unâ nobiſcum profitentur.

Verùm longè faciliùs Novi Teſtamenti Suffragio confutantur Pelagiani, & quotquot illorum Errorem ſuperiori Sæculo renovarunt in Germania Sociniani. Uti enim in Chriſti Redemptoris Gratia commendanda totum eſt novum Teſtamentum; ita magna ex parte in explicanda labe in nos ex Adami peccato derivata occupatur; ut, exaggerato morbo, Medici neceſſitatem agnoſceremus. Achillis inſtar Auguſtino fuit olim in Pelagianis exagitandis Apoſtoli *ad Rom.* ſcribentis *Caput* 5.; quod Solis veluti radiis exaratum videtur ad omnes hæreticæ Mentis nebulas diſſipandas : ita quippe Adami, & Chriſti Antitheſes notat : *propterea ſicut per unum Hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum Mors, & ita in omnes Homines Mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt* : & paucis interjectis : *igitur ſicut per unius delictum in omnes Homines in condemnationem; ſic & per unius Juſtitiam in omnes Homines in Juſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius Hominis peccatores conſtituti ſunt multi : ita & per unius obeditionem Juſti conſtituentur multi*. Quibus ſanè verbis peccatum in nos ex Adamo derivatum, omnes ex hoc uno in condemnationem traditos, omnes demum peccatores ex uno conſtitutos eſſe, perſpicuè declarat Apoſtolus.

Jam quid Pelagianos eo telo petitos Auguſtino reſpondiſſe exiſtimatis? Hoc unum; nempe peccatum in hunc Mundum intraſſe, omneſque in uno Homine primo peccatores fuiſſe conſtitutos imitatione, non propagatione; quatenus videlicet Adam peccandi viam nobis omnibus aperuit, eùmque nos peccando imitamur; non verò quòd peccatum quodpiam, ex illo naſcendo, traxerimus. Verùm inſulſum illud Pelagianorum interpretamentum multa revincunt. Primò quippe Apoſtolus Adami, & Chriſti inſtituit Antitheſim; ſicque per unum Hominem aſſerit invectum peccatum, ſicut per Chriſtum collata Juſtitia eſt. Perſpicua verba ſunt : *ſicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi : ita & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi*:

ti : Juſtitiam autem a Chriſto imitatione ſola acceptam quis dixerit? Cùm & veteres Sancti, qui Chriſtum præceſſerunt, ideoque non potuerunt eum imitari, Juſtitiam ſuam illi acceptam refferant; & Parvuli, qui Chriſtum ſicut cognoſcere, ita & imitari non poſſunt, per ipſum juſtificentur. Non itaque per primum Hominem peccatum in cæteros aditum habuit imitatione ſola : ſed ſicut Chriſtus occulta inſpiratione Gratiæ ſuæ juſtos efficit; ita & Adam occulta Naturæ depravatione, corruptela, labe Poſteros ſuos omnes conſtituit peccatores.

Secundò; ſi de peccato per imitationem tantùm in hunc Mundum effuſo locutus eſſet Apoſtolus, per Diabolum potius peccatum intraſſe aſſeruiſſet, qui primus peccavit; quàm per unum Hominem Adam : aut certè primam peccati originem in Hevam refudiſſet; cùm hæc ex humano Genere prima deliquerit. In Adam verò conſultò refudit Apoſtolus, a quo, utpote totius Naturæ Capite, tota Propago corrupta eſt.

Sed & Apoſtoli verbis vim facit apertam Pelagianum illud Effugium : quo pacto enim per Adami inobedientiam *peccatores conſtituti ſumus*, ut ait Apoſtolus, ſi peccandi duntaxat Exemplum nobis exhibuit? Quo pacto judicium ex hoc uno in condemnationem noſtram factum eſſet? Gravius certè quidpiam iis verbis indigitatur, quàm ſolum peccandi Exemplum nobis exhibitum. Quid quòd & mortem eo modo in Mundum intraſſe ex Adamo, docet Apoſtolus, quo peccatum? Quis verò nos imitatione duntaxat Adami mori ſibi finxerit; an non potius mortem Sententiâ latâ conſecutam ex admiſſo peccato profiteatur, dicente Apoſtolo : *Stipendia enim peccati, mors*; *ad Rom. cap.* 6. & iterum : *in Adam omnes moriuntur* 1. *Cor. cap.* 15.; ita plane ea Pelagianorum Effugia præcluſit S. Auguſtinus *Lib.* 1. *de Peccat. merit. & remiſ. cap.* 9., *&* 10. : *& Lib.* 4. *contra duas Epiſt. Pelagian. cap.* 4.

Hoc idem Catholicæ Fidei Dogma confirmat, quod habet idem Apoſtolus *Epiſt.* 2. *ad Corinth. cap.* 5. : *ſi unus*, inquit, *pro omnibus mortuus eſt*; *ergo omnes mortui ſunt : & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus : ut, & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit*. De morte peccati locutum Apoſtolum, nemo negaverit : de ea quippe morte loquitur, pro qua tollenda, atque ſolvenda mortuus eſt Chriſtus. Porro illos omnes mortuos dicit, pro quibus Chriſtus mortuus eſt. Aut ergo Chriſtum pro Parvulis mortuum negare oportet, aut illos peccato mortuos confiteri neceſſe eſt. Quo verò peccato mortuos illos aſſeremus, niſi quod origine trahitur? Cum nullum adhuc eis inſit Voluntatis arbitrium, quo perſonalia peccata admittere valeant.

Nil minùs Pelagianis incommodum erat, quod legimus *ad Epheſ.*

pheſ. cap. 2. : *Eramus naturâ filii iræ ſicut & cæteri* : hoc eſt a primo Naturæ noſtræ exortu, ſive ex nativitate, antequam quidquam propriis actibus gereremus, Iræ Dei, atque Vindictæ eramus obnoxii. Iræ porro, atque Vindictæ Dei obnoxius nemo eſt, niſi ob peccatum : peccato igitur obnoxios Homines naſci neceſſe eſt ſecundùm Apoſtolum. Atque hunc quidem eſſe Scripturæ ſenſum, ſatis intelliget quiſquis ſcribentis Scopum, & Inſtitutum paulisper attenderit. Judæorum quippe gloriationem retundit hoc loco Divinus Apoſtolus, qui de carnali generatione ex Abraham ſolebant admodum ſuperbire, ac ſeſe præſertim ſupra Gentiles efferre, quòd hi ex Parentibus idololatris prognati eſſent. Quam jactantiam, ac petulantiam, utpote immoderatè exercitam, confutaturus ait, Judæos Naturâ iræ filios eſſe, ſicut & cæteros, nempe Gentiles : hoc eſt; illos, tametſi ex Abrahamo prognatos, iræ, atque idcirco peccato naſcendo obnoxios eſſe perinde, ac illos, quos ob nativitatem ex Parentibus idololatris tractam, tanquam peccatores, & immundos aſpernabantur. Quæ ratio Apoſtoli nulla foret, ſi Judæos æquè ac Gentiles peccatum ex communi Origine vitiata contrahere nequaquam exiſtimaſſet.

Coronidem imponet Chriſti Domini nota Sententia *Joan.* 3. : *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Quorſum enim ſacro Baptiſmate renaſci tenerentur Parvuli, ſi mortui peccato non eſſent? Quo verò peccato mortui; niſi quod vitiata Origine traxerint, quibus nondum ineſt Voluntatis arbitrium, ut propria delicta admittant? Quorſum etiam a Regno Cælorum ſegreges reputantur, ſi nullo obice detinentur; nullo peccato, quod eis Regni Cæleſtis oſtium occludat, removentur?

Sunt qui non abſimile Argumentum ex Circumciſionis Sacramento peti poſſe arbitrantur, quo non Pelagianos modò, ſed & Judæos exagitent, & ad peccatum Originale confitendum adigant. Ego verò, ut fatear ipſe quod ſentio, minùs efficax adverſus utroſque Argumentum ex Circumciſione peti contendo. Quanquam enim Originale peccatum Circumciſione deletum olim ultro concedam (quandoquidem id nonnulli Patres agnoſcunt) nullum tamen in Sacris Literis extat Oraculum, quo id ineluctabiliter, ut par eſt, demonſtretur. Quodnam enim illud? Gradum refero, ſi vel unum proferatur. Certè, ſi Scripturas conſulamus, Circumciſionem inſtitutam inveniemus tum in ſignum fœderis cum Abrahamo, ejuſque Poſteris a Deo initum, tum ut ſacrum aliquod Signaculum ſignificaret, quo Judaicus Populus a Gentili ſecerneretur; nuſpiam autem, ut peccatum aliquod Originale deleretur. Imò id falſum eſſe, innuere videntur Argumenta non levia, quibus reponère difficilius eſſet. Primò enim, longè poſt inſtitutam ab Abrahamo Circumciſionem,

nem univerſus Populus Iſraelis quadraginta annorum ſpatio manſit incircumciſus; toto videlicet tempore, quo poſt exitum ex Ægypto in Deſertis erravit; idque cauſſæ fuit, cur Deus novam Circumciſionis Legem edixerit. Planus eſt hac in parte Scripturæ Textus *Joſue* 5. : *Populus autem, qui natus eſt in Deſerto per quadraginta annos itineris latiſſimæ ſolitudinis, incircumciſus fuit: donec conſumerentur, qui non audierant vocem Domini*. Quanquam autem congruentes aliquæ rationes ab Interpretibus proferantur, ob quas toto illo annorum tractu Hebræi Circumciſionem omiſerint; nulla tamen, opinor, ſatis efficax eſſe potuiſſet, ut Sacramentum omitterent, quo peccatum Originale deleretur; ac ſine quo nullus eis in Regnum Cælorum aditus patuiſſet.

Accedit Controverſia celebris habita tertio Chriſtiani nominis Sæculo. Contendebat ſcilicet Fidus Epiſcopus Africanus, Pueros octavo duntaxat die baptizandos eſſe, uti aliàs octavo die circumcidebantur. Concilium ea de re coegit S. Cyprianus Africæ Primas, quid facto eſſet opus. Re ad examen vocata, in eam Sententiam Concilium abiit, Infantes a partu recentiſſimos ſtatim baptizari oportere, nec octavum diem expectandum, ut aliàs ad Circumciſionem conferendam expectabatur. Hujuſce ſui Decreti rationem Patres protulere; quia Baptiſmo ipſis eſt opus ad remiſſionem peccati, quod ex Adamo traxerunt. Id compertum eſt *ex Epiſtola* 59. S. Cypriani ad Fidum. Jam, inquio ego, ſi Circumciſio, quæ certè ad octavum uſque diem protrahebatur, ad delendum Originale peccatum inſtituta fuiſſet, quis non videat, eam Patrum Africanorum rationem nullius ponderis futuram?

Quare miſſo Argumento ex Circumciſione petito, ex quo Originale peccatum probari nequaquam poteſt, iis ad Hebræos, & Pelagianos exagitandos Argumentis ſtandum exiſtimamus, quæ nos prima fronte protulimus. In Sequentibus hoc idem Fidei Dogma antiqua Patrum Traditione, variiſque rationum Momentis confirmabimus.

PRÆ-

PRÆLECTIO II.

Peccati Originalis Fides Patrum Veterum Traditione, aliiſque rationum Momentis evincitur.

POST Divinum verbum Sacris Literis exaratum altera Fidei noſtræ Regula eſt hoc idem Dei verbum ad nos uſque continua Majorum ſerie derivatum. Hoc nos Traditionem appellamus; quam nunc ad muniendam Originalis peccati Fidem aggredimur expendendam, ut Socinianos, noſtri jam temporis Pelagianos, eventilemus: qui, qua valent, fabulandi licentiâ imprudenter effutiunt, Auguſtinum primùm in Eccleſiam ſuum illud Originale peccatum invexiſſe, quod ante ipſum nemo Veterum ſomniarat: utque nonnullos minùs cautos Theologos refellamus, qui hoc idem Originale peccatum non ita priſcis Eccleſiæ Patribus innotuiſſe audacter effutiunt. Quocirca probandum aggredimur impræſentiarum, Originale peccatum Patribus Auguſtino prioribus innotuiſſe; illudque ab eis, uti Dogma Catholicum ab Apoſtolo traditum, agnitum eſſe: ut hinc Univerſi palam cognoſcant, quantum Sociniani ea in parte fallantur, & fallant. Neque verò Auguſtinus ipſe hoc Argumenti genus omiſerat, contra Pelagianos arma conferens: imò hoc illos ſæpe telo petierat; & Originalis peccati Fidem Patrum ætate ſua ſuperiorum Suffragio communierat; ſic ut ex unius Auguſtini lectione internoſcere Sociniani potuiſſent, nihil ab illo in Eccleſia novatum eſſe.

Patrum in eo aſſerendo Fidei Dogmate chorum ducit S. Juſtinus Martyr, qui Apoſtolos prædicantes audierat, *in Dialogo cum Triphone Judæo*; ubi de Chriſti Baptiſmo in Jordane loquens rationem aſſignat, cur Chriſtus ad amnem baptizandus acceſſiſſet: *Ad amnem*, inquit, *eum non ideo veniſſe, pro comperto habemus, quòd vel Baptiſmi lavatione, vel Spiritus in ſpecie Columbæ adventu opus ei fuerit .... Sed humani Generis cauſsâ, quod per Adam in mortem, & fraudem, ſeductionemque Serpentis conciderat; ut interim propriam pro ſe malignè agentis cujuſque culpam taceam*. Ex quibus perſpicuum eſt, credidiſſe Juſtinum Martyrem, Homines non modò a propriis peccatis purgari per Chriſtum, ſed & ab alio quodam, in quod per Adam conciderunt; cujus pœna mors eſt; cui obnoxii ſunt Univerſi. At illud ipſum eſt, quod nos peccatum Originale vocitamus.

S. Juſti-

S. Juſtino Martyri dat manus S. Irenæus Martyr & ipſe, ac ejuſdem pene ætatis *Lib.* 4. *adverſus Hæreſes cap.* 5.: *non aliter*, inquit, *ſalvari Homines ab antiqua Serpentis plaga, niſi credant in eum, qui ſecundùm ſimilitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatur a terra, & omnia trahit ad ſe, & vivificat mortuos*. En utique plagam ex Adami peccato contractam agnoſcit; a qua Chriſti Redemptione ſanantur ſauciati Poſteri. Hæc verò quænam, niſi Originale peccatum? Illa enim, moriendi neceſſitas eſſe non poteſt; cùm ab ea moriendi neceſſitate Homines Chriſti Gratiâ minimè redimantur. Eo Teſtimonio Pelagianos urget S. Auguſtinus *Lib.* 1. *contra Jul. cap.* 3. Luculentiùs verò idem ille SS. Martyr *Lib.* 3. *cap.* 20. : *quod perdideramus*, inquit, *in Adam, ideſt, ſecundùm imaginem, & ſimilitudinem eſſe Dei; hoc in Chriſto Jeſu reciperemus*. Et paulò infra : *quemadmodum enim per inobedientiam unius Hominis, qui primus de terra rudi plaſmatus eſt, peccatores facti ſunt multi, & amiſerunt vitam : ita oportuit & per obedientiam unius Hominis, qui primus de Virgine natus eſt, juſtificari multos, & percipere ſalutem*. Quo nihil luculentius deſiderari poteſt, ut Originale peccatum ab Irenæo cognitum demonſtremus; imò & aſſertum.

Jam quid S. Cyprianum Martyrem appellem? Is ſanè Dogma iſtud Catholicum Solis veluti radiis expreſſit *Epiſt.* 59. *ad Fidum Epiſcopum* data ſuo, & Africani Concilii nomine; ubi Infantes a partu recentiſſimos ſtatim baptizandos eſſe docet, nec octavum diem expectandum, quod Fidus optabat, ut in ſuperioribus diximus; quia Baptiſmo ad remiſſionem peccati, quod ex Adamo traxerunt, ipſis eſt opus. Legenda ex integro Epiſtola illa, cujus Suffragium Auguſtinus contra Pelagianos egregiè extulit *Lib.* 1. *contra Julianum cap.* 3. : *Infans* (inquit Africanus Martyr) *qui recèns natus nihil peccavit, niſi quòd ſecundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit. Qui ad remiſſionem peccatorum accipiendam hoc ipſo faciliùs accedit, quod illi remittuntur non propria, ſed aliena peccata*. Quæ verba adeo clara ſunt, ut nulla noſtra commentatione ſit opus.

Succedit S. Olympius Hiſpanus Epiſcopus relatus a D. Auguſtino loco ſupra laudato, qui magnâ Eruditionis, & Sanctitatis famâ floruit cadente Sæculo III. Is in Sermone Eccleſiaſtico, cujus Authoritate Pelagianos ſæpius exagitavit S. Auguſtinus, hæc habet, quæ Originalis peccati Fidem luculentiùs adſtruunt : *Si Fides unquam in Terris incorrupta manſiſſet, ac veſtigia defixa tenuiſſet, quæ ſignata deſeruit, nunquam Protoplaſti mortifera tranſgreſſione vitium ſparſiſſet in germine, ut peccatum cum Homine naſceretur*. En vitium Adami tranſgreſſione ſparſum in Poſteros, & peccatum

cum homine natum: qua loquendi ratione expreſſum Originale peccatum nemo non ſentit.

Hiſpano ſuffragatur Gallus; S. Olympio, inquam, S. Hilarius Pictavorum Epiſcopus, Eccleſiæ Catholicæ adverſus ævi ſui Hæreticos Defenſor acerrimus; qui eamdem Fidei veritatem multis confirmavit *in Expoſitione in Pſalmum* 118., ad illa verba *vivet anima mea, & laudabit te:* ſic enim habet *: vivere ſe in hac vita non reputat* (David) *quippe qui dixerit; ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. Scit, ſub peccati origine, & ſub peccati lege eſſe ſe natum*. Et alio in loco, ut refert Auguſtinus eodem *cap.* 3., inquit: *Sed quia ex peccato omnis caro eſt, a peccato ſcilicet Adam Parentis deducta, in ſimilitudinem peccati carnis eſt miſſus*; videlicet Chriſtus. Quo luculentius nihil deſiderari poteſt.

Mitto S. Reticium Auguſtodunenſium Epiſcopum *eo in capite* ab eodem Auguſtino laudatum, qui Concilio Romano ſub Melchiade Papa celebrato interfuit; S. Baſilium Magnum, cujus verba dat Auguſtinus *eodem Libro cap.* 5., excerpta ex illius *Sermone de Jejunio* loco duplici; & *in Expoſitione in Pſalm.* 32. S. Gregorium Nazianzenum *Orat.* 38., quæ eſt *in Nativitate Chriſti*, ex qua loca quatuor ſibi ſumit ad probandum contra Julianum Auguſtinus: alioſque plures Eccleſiæ Græcæ Patres miſſos lubens facio, ut in una S. Joannis Chryſoſtomi Sententia penitus inveſtiganda commodiùs immorer. Cùm enim illum ſuas in partes trahere Pelagiani moliti ſint, ejuſque adverſus Auguſtinum Suffragium oſtentarint, in ejus mentem diligentiùs inquirendum eſt.

Prodit imprimis, quod legitur in ejus *Epiſtola* 3. *ad Olympiam*: *Nam*, inquit, *cùm Adamus grave illud peccatum admiſiſſet, atque commune Hominum omnium Genus condemnaſſet*. En jam omne Genus Hominum in Adamo damnatum, cùm primum Adam peccavit. Rurſus idem SS. Doctor *Hom. ad Neophytos: venit ſemel Chriſtus* (inquit) *invenit noſtrum chyrographum paternum, quod ſcripſit Adam. Ille initium induxit debiti; nos fœnus auximus poſterioribus peccatis*. Sic enim vertit verba de verbis S. Auguſtinus *Lib.* 1. *contra Julianum cap.* 6. Quodnam porro Chirographum illud paternum, quod a Chriſto ſolvi neceſſe fuit; cujus & nos debitum poſterioribus peccatis auximus, niſi Originale peccatum? Tandem *Homil.* 10. *in Epiſt. ad Rom.*: *Quo pacto*, inquit, *uno non obediente Adam, univerſus Orbis condemnatus eſt*. Quæ omnia plane demonſtrant, Pelagianos S. Joannis Chryſoſtomi Authoritate perperam abuſos eſſe, ut Dogma Catholicum de Originalis peccati propagatione inſectarentur; perperamque illorum hodie Sectatores Socinianos contra Eccleſiæ Catholicæ Fidem, veteremque Traditio-

tionem celebrem Apoſtoli locum, quo dixit; *per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit*, (*ad Rom. cap.* 5.) ad meram imitationem detorſiſſe.

His omnibus robur addit obſervatio longè graviſſima, quæ Viros etiam quibuſvis præjudiciis occupatos erudire, atque ab errore removere poſſit. Certum eſt, D. Auguſtinum Originale peccatum, uti Fidei Dogma adverſus Pelagianos vindicaſſe; ac non illum ſolum pro ea aſſerenda veritate ineunte Sæculo V. decertaſſe; ſed & omnes Eccleſiæ Patres, qui aut obiter, aut ex Inſtituto rem cum Pelagianis habuerunt; Ambroſius, cujus novem Authoritates ex variis ejus Libris deſumtas profert Auguſtinus *Lib.* 1. *contra Julian. cap.* 3., ibidem videndas; S. Hieronymus *in cap.* 3. *Jonæ*; Hilarius citatus a D. Auguſtino *Lib.* 4. *contra duas Epiſt. Pelagianorum* (quem etiam Sanctum appellat) *cap.* 4. Quiſquis autem fuerit Hilarius iſte, de quo contentio magna eſt inter Eruditos, ut admonent Benedictini Monachi Galli in Appendice *Tom.* 2. *Operum S. Ambroſii ad Commentaria in* 13. *Epiſt. Pauli*; certum eſt, eum antiquiorem fuiſſe Auguſtino, qui illius contra Pelagianos Teſtimonio utitur, & quem Sancti titulo decorare non ambigit. Certum eſt præterea, tantum abfuiſſe, ut Sacra, quæ tunc habita ſunt, Eccleſiæ Concilia, & Romani Pontifices, qui tum Eccleſiam moderabantur, Auguſtinum arguerint, quòd quidpiam in Fide novaſſet; quin potius Dogma illud, uti Catholicæ Fidei Caput, frequentibus Sanctionibus confirmarunt. Patet id ex *Reſcriptis* Innocentii I. *ad Carthaginenſes, & Milevitanæ Synodi Patres de Pelagii & Cæleſtii Erroribus*; & ex Zoſimi Romani Pontificis *Epiſtola contra Pelagianos*, quorum utrumque laudat D. Auguſt. *Lib.* 1. *contra Julian. cap.* 4.: Ex Concil. plenario totius Africæ ſub Zoſimo Papa celebrato *Canon.* 77. (apud Labbæum Tom. 3. pag. 522.) Ex Cæleſtino I. *in Epiſt.* 1. *ad Gallicanos Epiſcopos* (eodem Tom. pag. 473.) Ex Gelaſ. I. *Epiſt.* 7. *ad Epiſc. per Picenum* (Tom. 5. *pag.* 301.) Ac demum ex Synodi Arauſicanæ II. *Capitulis* 1. & 2. (Tom. 5. pag. 809. Jam inquio, qua forte fieri potuiſſet, ut in Fidei Capite aliquid Auguſtinus innovaſſet, aliquodve peccati genus toti Traditioni ignotum commentus eſſet; nec ullus tamen ætate illa inductam novitatem fuiſſet ſubodoratus; nullus Pontificum, Patrumve coævorum reclamaſſet: imò potius Univerſi in hoc idem adſtruendum & Scriptis, & Canonibus, & publicis Sanctionibus conſpiraſſent? Ita ne cæcutientes omnes, ac caligantes obtorto veluti naſo duxiſſet Auguſtinus, ut univerſis, quas vellet, fabulas propinaret? Ita ne omnes pecudum more pertracti, non quò eundum eſſet abiiſſent, ſed quò unus illos duceret Auguſtinus? Quis id credat vel mediocriter ſapiens? Ea præcipuè ætate temporum,

Digitized by Google

qua tot Hæreſes undique pullulantes, Eccleſiæ Doctores atque Rectores vigilantes adeo poſtulabant, ut vel minima vocula, quæ novitatem aliquam redolere videretur, in cauſſa eſſet, cur ſtatim Concilia congregarentur, ſtrictiſſimumque de illa coram Patribus examen fieret; atque, ſi fortè minùs cum antiquis Eccleſiæ Dogmatibus cohæreret, univerſali conſenſu reſpueretur; caveretur que, ne impoſterum (ſub anathematis etiam pœna) a quopiam uſurparetur. Fatendum ergo bona fide, nihil ea in parte a Sanctiſſimo Gratiæ Divinæ Vindice novatum eſſe, uti noſtris hiſce temporibus garriunt impudentius Sociniani.

Neque verò minus Catholicæ Veritati adſtruendæ ſuffragatur Theologica ratio; qualis nimirum in probandis Fidei Dogmatibus afferri poteſt; quæ nempe certis Scripturæ documentis innititur. Prima petitur ex forma, & ſacris Baptiſmi Ritibus jam ab antiquo, & ante ortam Hæreſim Pelagianam uſurpari ſolitis.. Quid enim ſignificat verbum hoc, *Ego te baptizo*, niſi *Ego te abluo?* Id quippe græco vocabulo exprimi, nemo neſcit. Quorſum porro hæc ablutio, ſi nulla Animæ Pueri labes ineſt, nulla macula? Neque enim futurum aliquem puto uſque adeo hebetem, qui ad eluendas Corporis ſordes inſtitutum Baptiſmum opinetur.. Quæ autem Puerorum Animabus ineſſe labes, ac macula poteſt, niſi quæ Origine tracta eſt? Fuit etiam hæc priorum Auguſtino Sæculorum Fides, Baptiſmum in remiſſionem peccatorum inſtitutum eſſe. Ita Nicæni Concilii Patres ſacro Symbolo profeſſi ſunt: *Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum*. Cùm ergo Pueri jam a primis Eccleſiæ Sæculis baptizari ſoliti eſſent, neceſſe profectò eſt, ut peccatum aliquod iis ineſſe vetus Eccleſia crederet, ad cujus remiſſionem tingerentur.

Hoc ipſum ſuadent Baptiſmatis Cæremoniæ. Jam etenim a ſecundo Chriſtiani nominis Sæculo Pueri baptizandi, antequam aqua tingantur, Exorciſmis, ac ſacris Exſufflationibus eventilantur; Satanæ per Patrinos, veluti per Interpretes abrenunciant. Ut quid autem ſacri illi Ritus, niſi Parvulis Diabolus dominaretur? Ut quid verò eis Diabolus dominatur, ſi nullo peccato tenentur obſtricti? Ea ratione contra Pelagianos pugnat ſæpius Auguſtinus; iiſque Eccleſiæ Exorciſmis, & Exſufflationibus Puero baptizando factitari ſolitis Pelagianorum amentiam exſufflat; maximè verò *Lib. de Peccato Orig. cap.* 40. *& Lib. 6. contra Jul. cap.* 5.

Rationem alteram petebat SS. Doctor ex ea Servatoris Sententia: *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*; *Joan.* 3. Optimus enim, atque juſtiſ-

juſtiſſimus Deus Homines ad imaginem ſuam conditos, & propter Beatitudinem, quæ Regnum Cælorum eſt, efformatos ab ea non excluderet immeritos, & inſontes. Eſſent autem inſontes Parvuli, cum e vita, Baptiſmo non ſuſcepto, rapiuntur, ſi nullum eis ineſſet peccatum Originis: ſiquidem nullis delictis propria Voluntate admiſſis tenentur nondum adulti. Eo telo Pelagianos petit *Lib.* 3. *contra Julianum cap.* 3.; a quo ut ſe tuerentur vaferrimi Homines, quid putatis repoſuiſſe? Nullam Parvulis pœnam eſſe, inquiebant, a Regno Cælorum excludi; ne videlicet fateri cogerentur, aliquo illos peccato inſici, cujus merito eâ pœnâ plecterentur: quos idcirco ita retudit SS. Doctor: *non enim veſtra, ſed illius eſt vera Sententia, qui dixit: niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum Dei. Verùm vos excellentiſſimi amatores illius vitæ, quæ futura eſt æterna cum Chriſto, nullam pœnam putatis eſſe Imaginis Dei, in æternum exulare a Regno Dei: cùm, ſi parvam pœnam eſſe diceretis, non eſſet hæc vox beati amatoris illius Regni, ſed miſeri contemtoris.* Quocirca advertere vos volo obiter, quàm ab Auguſtino deflectant, quamque ad Pelagianos accedant Theologi nonnulli recentiores; qui Parvulos ſine Baptiſmate decedentes, & a Regno Cælorum exules, nullâ ob hujuſmodi exſilium affici pœna, nullo dolore angi, nulla triſtitia torqueri propugnant. En plane Hypotheſim Pelagianam, quam ex Inſtituto exagitat Auguſtinus. Pelagiani enim carentiam Divinæ Viſionis in Pueris illis utique admittebant; ſed aliam, nimirum ſenſus, pœnam omnem negabant; imò de privatione illa triſtari eos, aut dolere inficiabantur. Verùm & illos loco ſuo, Deo dante, adoriemur.

Tertiam rationem ex miſeriis Corporis repetebat Divinæ Gratiæ Vindex, ut Originale peccatum naſcentibus ineſſe demonſtraret. Illud enim grave jugum, quod eſt ſuper filios Adam a die exitus de ventre Matris eorum, injuſtum prorſus eſſet, ſi nullius peccati Rei Parvuli forent: præſertim cùm Adam inexterminabilis factus eſſet; *mortemque*, cui tot illæ miſeriæ præludunt, *non fecerit Deus, ſed factis illam, & dictis homines accerſierint*; ut loquitur Salomon *Sapient. cap.* 1. Imò ex quo ſemel ſuam Deus oppigneraverat fidem; qua ſpoponderat, nunquam Hominem moriturum, niſi peccaret; injuſtus, & violati pignoris reus eſſet, ſi Pueros innocentes tot miſeriis, ac morte tandem afficeret. Quam rationem potiſſimùm urget Divinæ Gratiæ Defenſor Auguſtinus *Lib.* 6. *contra Julian. cap.* 5.

Addi

Addi etiam & quarta poſſet (non minùs , opinor , efficax) ex Concupiſcentia perduelli petita , quam Homo a Nativitate patitur ; quæ cum mala ſit , & ad peccatum inclinet , non niſi ex peccato , quod nobiſcum naſcendo feramus, oriri poteſt. Quam rationem longè ſæpius in Pelagianos vibravit Auguſtinus . Verùm cùm illam in antehabitis Tractationibus fusè proſecuti ſimus , actum jam iterum reagere non eſt opus.

Librandum amodo , quid Hæretici ad Errorem ſuum muniendum proferre ſoleant ; atque id erit proximæ Exercitationis Argumentum .

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO III.

Pelagianorum, atque Socinianorum Momenta ex Scriptura, & ratione petita contra præcedentem Aſſertionem refutantur.

SATIS in aſſerendo Originalis peccati Dogmate adverſus Pelagianos in Socinianis hodie redivivos ſtudii, ac laboris impendimus: jam ad Erroris præſidia demolienda animum, vocemque convertamus. Ea quippe eſt Eccleſiæ Catholicæ in ſuos etiam Hoſtes ſingularis humanitas, ut inauditos illos damnare nolit; ſed, ſi quæ fortè Argumenta jactant, ea ad trutinam revocari omninò velit; ne judicio minùs, quàm imperio, Fidem aſſerere, atque tueri videatur.

Primum, illudque potiſſimum ex veteri Teſtamento præſidium petunt Pelagiani recentiores, ac veteres; ex illo videlicet *Ezechielis* Oraculo *Cap.* 18.; ubi ita loquitur Deus: *Ecce omnes animæ meæ ſunt: ut anima patris, ita & anima filii mea eſt. Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur ..... filius non portabit iniquitatem patris.* Portat autem, inquiunt Pelagiani, iniquitatem Patris Filius in Hypotheſi Originalis peccati; atque ita portat, ut ob id æterna etiam morte puniatur, niſi renaſcatur in Chriſto.

Verùm a Pelagianis ſcire velim: ſi ita crudè ea Ezechielis verba ſumantur, quo pacto quæſo cum aliis Domini verbis conciliari poterunt *Exod.* 20.: *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes, viſitans iniquitatem Patrum in Filios, in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me?* Quo pacto enim non portat Filius iniquitatem Patris, ſi peccata Patrum ad quartam uſque generationem caſtigantur? Et certè, quis Scripturarum loca recenſere poſſit, ubi Parentum peccata plectuntur in Filiis? Peccavit Cham filius Noe pudenda Patris revelando, & in ejus Filium Chanaam vindicta prolata eſt. Peccavit Salomon impotenti libidine, quam etiam Idololatriâ cumulavit; ejuſque idcirco Filius Roboam Regni ſciſſione, & diminutione punitus eſt. Peccavit Achab Rex Iſrael, Idolorum ſceleſtiſſimus cultor; nec niſi in ejus Poſteros vindicta dilata fuit. Fateantur itaque, velint nolint, Pelagiani, aliquo ſaltem ſenſu portare Filios aliquando iniquitatem Patrum, niſi Scripturas ſibimet ipſis repugnare velint.

Quiſ-

Quiſnam ergo, inquient, Ezechielis Oraculi ſenſus erit : *Filius non portabit iniquitatem Patris?* Duplicem indigitat Auguſtinus. Primum; Filium quidem non portare iniquitatem Patris, quæ nullatenus Filii eſt; ſed portare iniquitatem Patris, quæ Filii vel imitatione, vel nativitate facta ſit. *Parentum* enim *peccata* (ac præſertim Adami) *modo quodam dicuntur alienâ, & rurſus modo quodam reperiuntur & noſtra : aliena quippe proprietate ſunt actionis; noſtra ſunt autem contagione propaginis. Quod ſi falſum eſſet, profectò grave jugum ſuper filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, nullo modo juſtum eſſet.* Ita Auguſtinus *Lib. 6. contra Julianum cap.* 10.

Alterum Ezechielis Oraculi ſenſum exhibet SS. Doctor : Filium nempe non portare, ſeu potius non portaturum iniquitatem Patris, dum regenerationis Baptiſmatis Gratia carnalis generationis vitium in Filio expunxerit. Iis enim Ezechielis verbis Promiſſionem novi Teſtamenti, ac præſertim Sacri Baptiſmatis, propheticè contineri monet SS. Doctor. Nunc quippe Gratia baptiſmalis agit, ut paternum Chirographum deleatur in nobis, & unuſquiſque pro ſe duntaxat rationem reddat, nec alterius iniquitatem portet. Nihil ergo Ezechielis Oraculum Originalis peccati Fidem elevat; imò verò ſupponit. Idcirco enim iniquitatem Patris in novo Teſtamento nemo jam portat ; quia *in hoc Teſtamento novo per Sanguinem Teſtatoris deleto paterno Chirographo incipit Homo paternis debitis non eſſe obnoxius renaſcendo, quibus naſcendo fuerat obligatus, ipſo Mediatore dicente : ne vobis Patrem dicatis in Terra.* Ita Gratiæ Vindex *Lib. 6. cont. Julian. cap.* 25.

Sed quid jam, ſi quæ ex prophana Philoſophia ad impetendam peccati Originalis Fidem Pelagiani repetebant, ad limam vocemus? Quàm longè a Catholica Fide aberrabimus, ſi Originalis Peccati Dogma Humana Ratione metiri, & ad Philoſophicarum Inſtitutionum calculos revocare velimus? Neque enim in ſuis Categoriis Ariſtoteles ; ſed in ſuis Epiſtolis Paulus ait : *per unum Hominem peccatum in hunc Mundum intravit.* Non in ſuis Dialogis Plato; ſed in Pſalmis Propheta Regius exclamat : *ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum; & in peccatis concepit me mater mea.* Non hîc ergo Philoſophica ratione pugnandum ; ſed Divina Authoritate procedendum, ſi ſumus verè Theologi, ut eſſe debemus. Quia tamen Sapientibus, & Inſipientibus debitores ſumus, noſtræque Fidei rationem omni poſcenti reddere tenemur, ut Apoſtolus in ſuis Epiſtolis monet, Pelagianis hac etiam in parte ſatisfaciemus; nihilque eo Fidei noſtræ Capite contineri demonſtrabimus, quod ſanæ Rationi non omnino conſentiat.

Age-

Agedum; quid a Ratione contra proferant perpendamus. Nullum, inquiunt Pelagiani, ſine Voluntate peccatum eſſe poteſt, cujuſvis illud generis ſupponatur eſſe, etiam generatione contractum. Cum enim ſua Peccatorem omnem pœna maneat, nemoque puniri poſſit immeritus, neceſſe profectò eſt, ut pœnam ſuæ Voluntatis perverſitate meruerit. Porro Originale peccatum nulla contrahi Voluntate perſpicuum eſt. Neque verò reponere poſſumus, peccatum aliena Protoparentis Voluntate volitum a nobis quoque volitum reputari, quia noſtrum omnium Voluntates in hoc uno Capite noſtro continebantur. Sunt enim hæc inſulſa plane diverticula, inquiunt Pelagiani; ſunt verba, voces, & quidem ſenſu vacuæ, quæ Mentem ſanam, ac ſolidam minùs ſatient. Si enim aliena Protoparentis Voluntate volitum fingitur Originale Peccatum, cur non alienum duntaxat peccatum eſt, ſed inſuper unicuique naſcendo fit proprium? Quis noſtrum ſuas vices Adamo, uti communi Procuratori, commiſerat; ut in hoc uno omnium noſtrum Voluntates repoſitæ cenſerentur? Quis noſtrûm peccatum ejus ratum habuit, aut in ejus partem aliquo modo venit; ut illius tandem Rei diceremur quotquot ex illo propagamur? Fuerit Adamus totius Humanæ Naturæ Caput; bene eſt: at non idcirco Voluntas ejus noſtra fuit; ut quidquid is boni, malive vellet, id a nobis volitum dici poſſet. Cur non etiam, ſi ſic eſſet, noſtræque in illo Voluntates ita contentæ fuiſſent, ut illo peccante peccaremus; cur, inquiunt, non etiam illo pœnitente, & admiſſum peccatum diluente, & nos quoque cum illo pœnituiſſe, idemque peccatum diluiſſe dici poſſet; ut non jam peccatores, ſed pœnitentes ex Adamo naſceremur? En Pelagianæ Ratiocinationis ſummam, qua peccatum Originale, uti Rationi plane repugnans, oſtendere moliuntur.

Quibus nihilominus cum Auguſtino reponere juvat; ad peccati rationem generatim, & universè ſatis eſſe, ſi ſit voluntarium aut phyſicè, aut moraliter; tametſi ſpeciatim ad peccatum Actuale ſit omnino neceſſe, ut ſit phyſicè voluntarium. Porro peccatum Originale, etſi nobis voluntarium non ſit phyſicè, quia nullus in eo phyſicus Voluntatis noſtræ propriæ actus intervenit; eſt tamen voluntarium moraliter, quia Voluntate Adami, qui morale Caput noſtrum erat, volitum fuit: ad eum ſanè modum, quo Pacta Conventa a Tutore in Cauſſa Pueri tutelari curæ ſubjecti inita, atque ſancita voluntaria Puero dicuntur eſſe, ſin minùs phyſicè, at ſaltem moraliter; adeo ut Puerum obligent in jure, ac prorſus adſtringant; quia volita ſunt a Tutore, qui Caput morale Pueri dicitur eſſe.

Id porro abunde ſufficit, ut ſua unumquemque noſtrum pro O-

riginali peccato juſtiſſima pœna maneat; tametſi nemo noſtrûm ſuas vices Adamo commiſerit, aut peccatum ejus nemo noſtrûm ratum habuerit. Quorſum id? quia Deus ipſe, in cujus poteſtate ſunt omnia, *quique magis habet in poteſtate ſua Voluntates hominum, quàm ipſi ſuas*, ut loquitur Auguſtinus, noſtras Adamo commiſerat vices; initoque Pacto noſtrûm omnium nomine ratum habitum iri decreverat, quidquid ille boni, malive facturus eſſet. Neque enim ad ita paciſcendum neceſſe erat, ut noſtium Deus conſenſum requireret; cum is totius velut Humani Generis Tutor nomine noſtro paciſci potuerit ſuprema, qua valet in omnes Homines, Poteſtate; ut in nos Originalis Juſtitia transfunderetur, ſi Adam perſeveraret in bono; aut peccati ejuſdem Rei teneremur, ſi declinaret ad malum. Demus ergo, injuſtum eſſe, ut peccante Protoparente peccaſſe quoque cenſeantur univerſi Poſteri, ſi jus Naturale, vel Humanum abſolutè ſecundùm ſeſe duntaxat conſideretur; ex quo tamen Pactum interceſſiſſe creditur, juſtiſſimum illud eſt, & æquiſſimum: Pactis enim ſtare ſtrictiſſimi juris eſt. Quis porro neget, Deum nomine noſtro paciſci potuiſſe; cum & is jura noſtra in manibus teneat, noſtraſque omnium Voluntates in Poteſtate ſua magis habeat, quàm nos ipſimet habeamus? Pro Puero ex pupillari ætate nondum egreſſo paciſcitur Tutor; ejus vel damno, vel lucro; nec audiretur in foro Puer alienæ Tutelæ annos tandem egreſſus, ſi Pactum a Tutore initum eo ſolo nomine nullum haberi vellet, quòd ſua ipſius Voluntas phyſica non interveniſſet, aut ſuas ipſemet vices ei minimè commiſiſſet: & jam obmurmuratores Homines audiemus, qui ſuam deſiderari phyſicam Voluntatem obtendant, ut nomine noſtro cum Protoparente paciſci poſſet Tutor Hominum, ac rerum omnium arbiter Deus? Bellum profectò, bellum! Valeat ergo Ambroſio digna Sententia: *fuit Adam; & in illo fuimus omnes: periit Adam; & in illo omnes perierunt; Lib. 6. ſuper cap. 15. Lucæ num. 234.*

Neque tamen pœnitente Adamo, & admiſſum peccatum diluente & nos quoque pœnituiſſe cum illo, idemque peccatum diluiſſe, dici poteſt; quia non ita erat in Pactis; iſque ſemel peccando Capitis Moralis jure exciderat; ut jam nobis imputari non poſſent, quæ ſubinde boni, vel mali gereret. En primum Hæreſeos Pelagianæ disjectum Propugnaculum humana Ratione fabricatum.

Non abſimilem ex origine Animarum Difficultatem Pelagiani repetebant. Peccatum, inquiebant, non in carne, ſed in Anima ſedem habet: Anima porro non trahitur ex Adamo; aut ſi trahitur, non generatione, ſed imitatione ab eo eſt: nullum ergo peccatum ab Adamo generatione trahi poteſt.

Mirum, quantum hoc Argumentum torſerit Auguſtinum; cui nunquam

quam perſpectum omnino fuit, an ex Adamo per generationem omnes Animæ traducerentur; an a Deo recèns creatæ corporibus infunderentur. Imò in ea magis Sententiam propendebat, quæ Animas ex traduce fieri propugnabat; ideſt, ex Adami Anima propagari: quia hac in Hypotheſi faciliùs intelligi poterat Originalis peccati transfuſio. Alteram verò Sententiam, quæ Animas ſingulis corporibus novas inſeri, atque creari aſſerebat, conciliari non ita facilè poſſe cum Fide Originalis peccati, ingenuè fatebatur. Suam tamen circa hanc Difficultatem (quæ ex Scriptura Sacra, & Traditione dirimi plane non poterat) Sententiam ſuſpendit; nihil referre dicens, quænam illarum Opinionum eligeretur, modò Originalis peccati propagatio crederetur, nec in Deum refunderetur Authorem. Conſtat id ex *Epiſtola 166. ad Hieronymum* data, qua de graviſſima illa Quæſtione ab ipſo poſtulat edoceri, poſtquam ignorantiam ſuam profeſſus eſt humillimus Doctor. Cæterùm cùm ea & in Scholis, & in Eccleſia jam præſtet Opinio, quæ ſingulas Animas in dies a Deo creari, & recèns genitis infundi corporibus aſſerit; idcirco dicendum ad propoſitum Argumentum, Animam e Conditoris manibus puram egreſſam in Corpore, cui inſeritur, tanquam in vitiato vaſe inſici, atque corrumpi: ſicut ſi flos in loco fœtido ſervetur, quantumvis naturâ ſuâ ſit pulcher, odorus, & elegans; vitium tamen, atque labem idem contrahit: ac quemadmodum Anima, ſi corpori vulnerato, vel flammis aduſto conjungeretur, illico doleret; ita cùm infundatur Corpori, in quo peccati germen quoddam eſt, fiatque pars Hominis ab Adamo progeniti; in quo, ut in Capite, ut in radice, ut in fonte vitiata Natura eſt, peccato inficitur. Si quis porro quærat ex me, quo tandem modo id fieri poſſit, ut a vitiato, corruptoque Corpore vitietur & Anima, quæ ſpiritus eſt? Quæ ſit illa corruptio Corporis, quæ Animam perinde corrumpat, dum illa infunditur? Unum eſt, quod cum Auguſtino reponere poſſim: non idcirco Veritates in Scripturis expreſſas negandas eſſe, quòd illarum plerumque rationes intelligentiâ non aſſequamur: *Quid a me quæris*, ait ille, *quo ſit factum modo? Cum videas factum eſſe quocumque modo, ſi Apoſtolo credas aliquo modo, qui de Chriſto, & de his, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, mentiri potuit nullo modo? Lib. 6. contra Jul. cap. 9.*

Dici tamen poſſet, Corporis corruptionem, qua inficitur Anima ſtatim atque in illud infunditur, Vitium eſſe inordinatæ Concupiſcentiæ, quæ abundat in virili ſemine, quo Corpus procreatur. Hinc ſi quis fortè non ex virili ſemine, ut in Chriſto contigit, naſceretur; ſed alio quopiam modo nobis impervio Humanam Naturam ſortiretur, is profectò Originalis peccati maculæ expers omnino foret, quamvis ab Adamo aliâ viâ, quàm per virilem ſemina-

Rr ij

minationem originem traheret; ut in Chriſto Domino compertum habemus; qui ab Adamo quidem, ſed nulla virilis ſeminis ope Humanam Naturam ſortitus eſt.

Verùm & denuo muſſitabant importuni Cavillatores: ſi traduce ſemine Originale peccatum in Poſteros propagatur, quo unquam pacto ex Parentibus Sacro Baptiſmate jam ablutis in Sobolem tranſfundi poterit, cum illo eos carere, certiſſimum ſit? Qua enim forte Parentes derivare in Filios poſſunt, quod ipſi non habent?

Quibus tamen e veſtigio reponebat Auguſtinus *Lib.* 3. *de peccat. mer. & rem. cap.* 8. *: Tunc ſi mihi apud obtuſos, & contentioſos, propter rerum Naturæ obſcuritatem, difficultas refellendi falſa, & perſuadendi vera reſiſteret, ad hæc fortè, quæ in caſu atque in promptu eſſent, exempla confugerem; viciſſimque interrogarem, ut quia eos moveret, quomodo peccatum, quod mundatur per Baptiſmum, maneat in eis, quos genuerint Baptizati; ipſi explicarent, quomodo præputium, quod per Circumciſionem auſertur, maneat in eis, quos genuerint Circumciſi; quomodo etiam palea, quæ opere humano tantâ diligentiâ ſeparatur, maneat in fructu, qui de purgato tritico naſcitur?* Quorſum autem id? Rationem aſſignaverat SS. Doctor *Lib.* 2. *de pecc. mer. & rem. cap.* 27., inquiens *: quia & innovati Parentes, non ex primitiis novitatis, ſed ex reliquiis vetuſtatis carnaliter gignunt : & Filii in Parentum reliqua vetuſtate toti vetuſti, & in peccati carne propagati damnationem veteri Homini debitam Sacramento Spiritualis regenerationis, & renovationis evadunt.* Hæc Auguſtinus. Idcirco itaque de Baptizato non Juſtus naſcitur; quia eum non generat, unde regeneratus eſt; ſed unde genitus eſt : ſeu, ut explicatiùs, & magis ad Scholæ methodum loquitur Doctor Angelicus 1. 2. *quæſt.* 81. *art.* 3. *ad* 2.; *Peccatum Originale per Baptiſmum auſertur reatu; in quantum Anima recuperat Gratiam quantùm ad mentem : remanet tamen peccatum Originale actu quantùm ad fomitem, qui eſt inordinatio Partium inferiorum Animæ, & ipſius Corporis, ſecundùm quòd Homo generat, & non ſecundùm Mentem : & ideo Baptizati traducunt peccatum Originale. Non enim Parentes generant in quantum ſunt renovati per Baptiſmum, ſed in quantum retinent aliquid de vetuſtate primi peccati.* Ita rem totam explanavit eo, quo pollebat, Mentis acumine Angelicus Doctor.

Quid tandem? Originalis ergo peccati cauſſa, ſubdebant Pelagiani, erit uxoria conventio; adeoque Nuptiæ damnandæ erunt, ex quarum uſu derivatur in Prolem Originis Vitium. Imò & in Deum ipſum Vitium hoc refundetur, qui puram Animam impuro Corpori inſerit; cujus contagio illam certò certiùs contaminandam novit.

Et

Et hanc rurſus Argutiam occupavit Auguſtinus *Lib. de Nupt. & Concup. cap. 26.* : *Peccatum autem*, inquit, *quod inde a naſcentibus trahitur, non ad Nuptias pertinet, ſed ad malum, quod naſcitur hominibus, quorum conjunctione ſunt Nuptiæ.* Occupavit & illam lucidiſſimè Doctor Angelicus *Quæſt. 4. de Malo art. 1.* opportuno Exemplo: *Sicut ſi dicamus*, ait, *quòd motus manus ad homicidium perpetrandum, ſecundùm quòd manus per ſe conſideratur, non habet rationem culpæ; quia manus de neceſſitate movetur ab alio: Si autem conſideretur, ut eſt pars totius Hominis, qui Voluntate agit, ſic habet rationem culpæ; quia ſic eſt voluntarius. Sicut ergo homicidium non dicitur culpa manus, ſed culpa totius Hominis; ita hujuſmodi defectus non dicitur eſſe peccatum perſonale, ſed peccatum totius Naturæ; nec ad Perſonam pertinet, niſi in quantum Natura inficit Perſonam.*

Hæc D. Thomas; quibus nil explicatius deſiderari poteſt. Et ſanè ſicut infamia, & nominis obſcuritas, quas a nefario, vel humili Parente contrahit Liberorum Soboles, non effectivè producuntur vi Generationis, quæ ſe ut conditio duntaxat habet, ſed a delicto paterno, vel ab abjecti Status ratione eædem, tanquam a cauſſa morali, ſive civili, progerminant; ita nec generatio, nec Animæ infuſio cauſſa putanda erit, ſed conditio duntaxat, ſine qua minimè propagaretur Originale peccatum: quo quidem non inficitur Homo ſimpliciter & abſolutè loquendo, quia gignitur, aut quia Animam rationalem ſortitur; ſed quia vitiatam Naturam per ſeminalem propagationem ex Adamo mutuatur.

En eliſa, Viri Theologi, potiſſima Pelagianorum & Socinianorum Sophiſmata, quorum ope Originalis peccati Fidem dejicere pertentarunt. Si Scholas perendino die habere licebit, eorundem diluemus Momenta non jam ex humana Philoſophia, ſed ex Veterum Patrum Auguſtino ſuperiorum Authoritate delibata, ut ipſis quidem videtur; quæ nobis audaci admodùm ſupercilio objiciunt, ac ſi in Chriſti Eccleſia omnium primus fuerit Auguſtinus, ipſorum hoſtis infenſiſſimus, qui tale Dogma in Eccleſiam invexerit, nullis retro Patribus, ut ajunt, cognitum unquam; quin & ab eorum pluribus ſtrenuè oppugnatum. Res ita ne ſit, ſupremo favente Numine, proxima Prælectione expendemus.

PRÆ-

PRÆLECTIO IV.

Pelagianorum, ac Socinianorum Momenta adverſus Catholicum Originalis peccati Dogma ex Veterum Patrum Auguſtino Superiorum Authoritate petita diluuntur.

PELAGIANORUM, ac Socinianorum Momenta ex Scripturarum Authoritate, & ratione petita, quibus Originalis peccati Fidem impetere audaciſſimè pertentarunt, in ſuperiori Prælectione, ſi bene meminiſtis, ad examen vocavimus, diluimus, confutavimus. Reliquum eſt, ut ea in præſens Argumenta expendamus, quæ ex Veterum ante Auguſtini tempora Patrum Authoritate delibata in medium proferunt, ut oſtendant, nihil ante Auguſtinum, quem hujuſce Dogmatis Architectum perperam fabulantur, a Græcis Latiniſque Patribus de Originali peccato fuiſſe traditum; imò, quod intolerabilius eſt, fuiſſe a pluribus pernegatum. Quantum a veritate ii procul aberrent, nobis eſt hodie demonſtrandum, probandumque, nihil ex Patribus cùm Græcis, tum Latinis erui poſſe, quod illorum Errori patrocinari vel leviter videatur. Quod quidem ita præſtabimus, ut nihil prorſus eorum omittamus, quod negotium faceſſere aliquod judicabimus: ut hinc quiſque perſpiciat, quàm labilibus fundamentis hujuſmodi Error ſuperſtruatur, quàmque falsò uni Auguſtino tribuant Pelagiani, quod vel a primis Eccleſiæ ſæculis ab omnibus fuit exceptum, ac prædicatum. Ad manus itaque veniamus; audiamuſque, quid ex Patribus Auguſtino Superioribus in ſui præſidium emendicare nitantur male feriati Impoſtores.

Græcorum Patrum, quos nobis adverſari deblaterant, chorum ducit Author *Quæſtionum & Reſponſionum ad Orthodoxos*, qui ſub Juſtini Martyris nomine circumfertur. Hic etenim *Quæſt.* 88. eam Jobi Sententiam *Nemo mundus a ſorde* ad Parvulos ſacro Baptiſmate non ablutos minimè pertinere diſertè pronunciat. Peccatum itaque Originale, inferunt Pelagiani, quod Animæ ſordem certò certius communicat, non agnovit Juſtinus.

Perperam tamen, ac falsò Juſtino Martyri adſcribunt imprudentes Librum illum Quæſtionum ac Reſponſionum ad Orthodoxos, quem Authoris eſſe fœtum ævi longè recentioris, Eruditi pene omnes conſentiunt; nec quidem immeritò. Ut enim alia multa præteream, quæ id evidentiſſimè evincunt, quæque apud Criticos videnda

denda relinquo, illud decretorium prorſus eſt, quòd Author ille eodem in Libro mentionem facit Origenis, qui octoginta, plus minus, annis poſt Juſtini tempora floruit. Quiſquis tamen Author ille fuerit, de quo contentio non levis eſt inter Viros de Critica, fidenter repono, eo loci non de Originali, ſed de Actuali peccato ſermonem fieri; quo procul dubio expertes fatemur Infantes, qui Rationis uſum nondum attigerint. Hoc perſpicuè demonſtrant, quæ ibidem leguntur, verba: *Porro*, inquit, *natura ad peccandum natus eſt, qui per liberi arbitrii delectum ſibi ipſi dux eſt.* Peccatum porro Originale ex Voluntatis electione non provenit, ſed ex neceſſitate corruptæ Naturæ; ut nemo neſcit.

Alter in ordine Græcorum Patrum occurrit Clemens Alexandrinus; qui *Lib.* 3. *Strom. cap.* 8. adverſus Encratitas, ſeu Tatianos diſputans, ut eos a ſpiſſo Errore averteret (quo nuptias execrabantur, pares eas fornicationibus exiſtimantes, quòd nimirum ex illis Originis peccatum propagaretur) peccatum hujuſmodi, quod ii tanquam Erroris ſui fundamentum conſtituebant, apertè inficiatus eſſe videtur: *Dicant ergo nobis*, inquit ille, *ubi fornicatus eſt Infans natus? Vel quomodo ſub Adæ cecidit execrationem, qui nihil eſt operatus? Reſtat ergo eis, ut videtur, conſequenter ut dicant, malam eſſe generationem, non ſolùm eam, quæ eſt Corporis, ſed etiam quæ eſt Animæ, propter quam etiam Corpus.* Imò ſubdit, Davidem in ſuo conceptu nullum traxiſſe peccatum: *& quando dixit David*: in peccatis conceptus ſum, & in iniquitatibus concepit me mater mea*: dixit propheticè quidem matrem Hevam: ſed Heva fuit mater Viventium: & in peccatis fuit conceptus, ſed non ipſe in peccato, neque verò ipſe peccatum.* Ad hæc accedit, quod *Lib.* 4. *eorundem Stromatum cap.* 5. confutaturus Hæreticos quoſdam, qui ex ſuperiùs laudatis Jobi verbis, *nemo mundus a ſorde*, inferebant, Infantium Animas aliquod in Superiori vita admiſiſſe peccatum antequam Carni unirentur, nec minimam Originalis peccati mentionem habet; tametſi Argumenti, quod pertractabat, occaſio id poſtularet quàm maximè: ſtatuto ſiquidem Originalis peccati Dogmate, Errorem de facili refutare potuiſſet. Ita Sociniani cum Pelagianis videntur ſibi ſubtiliter diſputare.

At non ita profectò, ut illi venditant, ſe res habet. Longè aliud fuit pro ſuo Errore ſtabiliendo Encratitarum ſeu Tatianorum Fundamentum, quàm Originale peccatum: nimirum comminiſcebantur illi, dum Infantulos, quos nihil mali in hac Vita egiſſe certò noverant, pœnis, & ærumnis, non ſecus ac Adultos, obnoxios perſpiciebant, comminiſcebantur, inquam, peccato aliquo Actuali in ſuperiore, neſcio quam, Vita ab ipſis confiſta fuiſſe pollutos; in cujus pœnam corporeis vinculis eorum Animas alligari, com-

communeſque ærumnas perſentire effutiebant. Hoc apertè declarant ejuſdem Clementis verba, quibus ipſos urgebat : *dicant ergo nobis; ubi fornicatus eſt Infans natus?* Certè fornicatio ad Actuale peccatum attinet. Quapropter cætera, quæ a Clemente verba ſubduntur, *quomodo ſub Adæ cecidit execrationem, qui nihil eſt operatus?* De ea execratione intelligenda veniunt, in quam juxta eorundem Hypoteſim incidiſſent per Actuale peccatum, quod in priore Vita (hoc eſt, ante unionem Animæ ad Corpus) perpetraſſent. Dicitur autem Execratio Adæ ſecundùm ſimilitudinem: quia nimirum, quemadmodum iſta contigit ob Actuale Adæ peccatum ex ejus inobedientia profectum, ita & illa, ob Actuale Animarum crimen priuſquam Corporibus unirentur commiſſum, pari ratione contigiſſet. Eodem omnino modo exponi debent, quæ ſubſequuntur Clementis verba *Sed non ipſe David in peccato:* videlicet de Actuali, non de Originali peccato: de priore enim, non de poſteriore Clementem inter, & Encratitas Controverſia habebatur. Ad hæc addi poſſet ex abundanti, incertum penes Eruditos omnino eſſe, num verba illa relata ſcripſerit Clemens ex propria Sententia, vel potìus, ut ab Hæreticorum ore prolata, ipſique Clementi ab iiſdem objecta: Textus enim obſcuritate laborat non modica, & in utrumque ſenſum pertrahi verba illa non incommodè poſſunt, ut obſervavit ante nos Bellarminus, qui ſibi hoc ipſum Pelagianorum Argumentum proponit, & ſolvit. Quod etiam perſpicuè evincitur ex ſubſequentibus Clementis verbis : *reſtat ergo eis, ut videtur, conſequenter, ut dicant, malam eſſe generationem, non ſolùm eam, quæ eſt Corporis, ſed etiam, quæ eſt Animæ :* quæ ſanè videtur Clementis Reſponſio ad ſibi propoſitam ab Hæreticis Objectionem.

Quod ultimum attinet; Clementis videlicet altum de Originali peccatum ſilentium in aliorum Hæreticorum Confutatione, nihil nos movet. Alia ſiquidem tunc ſuppetebant Clementi Momenta, quibus exagitare illos poſſet : neque verò ex peccati Originalis Dogmate ibidem prætermiſſo evinci ullo pacto debet, Clementem illud minimè agnoviſſe, ut falsò exiſtimant Pelagiani : Argumentum etenim negativum, ut Schola loquitur, nihil evincit.

Succedit tertius in ordine, quem ex Græcis Patribus pro ſe ſtare contendunt Sociniani, S. Gregorius Nyſſenus. Hic quippe *Oratione de Infantibus præmatura morte ſublatis* ab Hierio interrogatus, an illi ad univerſale Judicium vocandi ſint? Reſpondet, exclamandum cum Apoſtolo eſſe : *O altitudo*! Docet præterea ibidem, Infantes eſſe omnis malititiæ expertes, nec ſanitate indigere : *Puellus*, inquit, *ſimplex, omniſque malitiæ expers . . . ſanitate, quæ per purgationem contingit, non indigens*. Si itaque In-

Infantes (inferunt Pelagiani) ſanari per purgationem non indigent, nulla, Nyſſeno judice, ſunt peccati labe fædati. Si an ad Judicium vocandi fuerint, ſe palam ignorare profitetur, conſequens omnino erit, nullum in iis reatum, de quo in Judicio extremo ferenda Sententia fuerit, Gregorium agnoviſſe.

At non advertunt incauti, loqui eo loci Nyſſenum de Infantibus poſt ſuſceptum Lavacri Sacramentum præmatura morte ſubreptis; de quibus profectò dubitat, an in extremo univerſali Judicio coram Judice ſiſtendi ſint; quòd videlicet eo in Judicio de operibus, quæ quiſque in proprio Corpore geſſerit, ut ait Apoſtolus, ſit diſceptandum. Porro ignotus illi modus erat, quo hujuſmodi Judicium quoad Infantes, qui propriis actibus mali nihil, vel boni in ſuis Corporibus peregerunt, exercendum foret; ideoque exclamandum ait: *o altitudo*! Neque enim defuere poſterioribus etiam temporibus, imò & hac noſtra ætate Theologi, qui Parvulos cùm baptizatos, tum non baptizatos, ante Rationis uſum morte præventos, ad Univerſale Judicium minimè comparituros propugnarunt, propterea quòd iis nihil inſit, de quo rationem ſupremo ſint Judici reddituri; cùm Originale peccatum Judicii diſcuſſioni ſubeſſe minimè poſſit.

Porro de baptizatis Infantibus illa protuliſſe Nyſſenum, ex eo liquet, quòd ibidem de Parvulo diſſerit in lucem jam edito; non verò de illo, qui materno in Utero interiit: ait enim: *qui in aere fuit*. Præterea aſſerit, Infantes illos participes futuros Beatitudinis: *quemadmodum* (inquit poſt medium) *prima Infantium ætas mamma, & lacte nutrita educatur ..... ita opinor etiam Animam ..... ordine, atque conſequentia quadam participem fieri ejus vitæ, quæ ſecundùm Naturam eſt, quantum capit, ac poteſt, de iis, quæ in beatitudine propoſita ſunt, partem capientem*. De baptizatis itaque Parvulis loquitur Nyſſenus, quibus per regenerationis Lavacri januam patuit aditus in Chriſti Eccleſiam, extra quam nullus dari poteſt vel infimæ Beatitudini locus.

Quod autem ſubdit, *Infantes illos ſanitate non indigere*, utique verum eſt, & citra omnem dubitationem certiſſimum; cùm per Sacramenti medicinam integrè ſanati fuerint.

Et certè ſi Gregorii Mentem ex aliis ejus Librorum Sententiis inveſtigare non pigeat, perſpicuum fiet, Originalis peccati Dogma Doctorem Sanctiſſimum & tenuiſſe, & prædicaſſe. Illud præ cæteris decretorium ſemper mihi viſum eſt, quod habet *in Vita Moyſis pag.* 500.: *occultior quædam Traditio eſt*, inquit SS. Pater; *verus ſermo ad nos uſque deſcendit, quo creditur, poſteaquam in peccatum Natura noſtra lapſa eſt, non omnino a Clementia Divina neglectam, neque ſuo Patrocinio dimiſſam*. Ubi manifeſtè appa-

ret, illum de peccato Naturæ fuiſſe loquutum, adeoque de Originali, quod univerſam infecit Naturam; non autem de Perſonali peccato, cujus non eſt Naturam, ſed Perſonam duntaxat inficere.

Nyſſeno perperam a Pelagianis intellecto, & fruſtra in nos concitato, pari nobis audacia, & inſcitia objiciunt Chryſoſtomum, Eccleſiæ Græcæ præclariſſimum Sidus, quem æquo molimine in ſuas partes pertrahere conantur, eo ducti conſilio, ut Originale peccatum fuiſſe illi penitus ignotum evincant. Teſtimonia, neſcio quæ, S. Doctoris excerpunt; quorum primum extat *Hom. ad Neophytos*, ubi eum docuiſſe aſſerunt, ideo Infantibus Sacrum conferri Baptiſma, ut eis addatur Sanctitas, non autem, ut a peccati alicujus ſorde abſtergantur: *Hac*, inquit, *de cauſſa Infantes baptizamus, quamvis non ſint coinquinati peccato, ut eis addatur Sanctitas, Juſtitia, Adoptio, Hæreditas, Fraternitas Chriſti, ut ejus membra ſint*. Hincque feſtivè colligunt, peccatum nullum ante Baptiſmum in Infantibus Chryſoſtomum agnoviſſe; ac proinde Originale peccatum penitus neſciviſſe.

Perperam tamen vertunt Græcum Chryſoſtomi Textum Pelagiani. Neque enim in eo legitur ſingulari numero, *quamvis non ſint coinquinati peccato*; ſed plurali, *peccatis*. Ita enim latinè, judice Auguſtino *Lib. 1. contra Julian. cap. 6.*, reddi debet: *Ideo Infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes*. Quare Chryſoſtomus de Actualibus, non de Originali peccato eo loci diſſerit. Quærenti verò Juliano ab Auguſtino; cur ſi ea fuerit mens Chryſoſtomi, non addiderit, *propria?* Reponit illico SS. Doctor: *quia diſputans in Catholica Eccleſia non ſe aliter intelligi arbitrabatur: tali enim Quæſtione nullus pulſabatur; & vobis nondum litigantibus, ſecuriùs loquebatur*. Cùm autem Chryſoſtomus ſubdit: *ut eis addatur Sanctitas; τὸ addatur* idem ſonat, ac *conferatur*; alioquin dicendum foret, addi utique poſſe & Adoptionem, Hæreditatem, Fraternitatem Chriſti, quæ omnia eodem verbo *addatur* reguntur. Quæ quidem impropria, & abſona plane locutio eſſet, & a Chryſoſtomi calamo prorſus aliena; cùm nemo neſciat, ejuſmodi Dotes, ac Characteres nec extenſionem, nec augmentum pati. Quid plura? Chryſoſtomum peccatum Originis faſſum eſſe, liquidò conſtat ex ea, quam in ante habitis laudavimus, *Epiſt.* 3. *ad Olympiadem* (ſeu, ut alii legunt, *Olympiam*) ut alia plura S. Doctoris Teſtimonia mittamus; in qua perſpicua hæc verba leguntur: *cùm Adamus grave illud peccatum admiſiſſet, atque commune Hominum omnium Genus condemnaſſet*. Quid, amabo, clarius, quid luculentius deſiderari unquam a nobis poſſet?

Nec tamen his acquieſcunt importuni Cavillatores. Alterum S. Doctoris Teſtimonium proferunt excerptum *ex Hom.* 10. *in Epiſt. ad*

ad Rom., ubi docet, mortem ex Adamo quidem in ejus Poſteros fuiſſe tranſmiſſam, non autem peccatum inobedientiæ, cujus factus eſt ipſe reus: *Illo enim*, inquit, *peccante, ac mortali effecto, & qui ex eo orti ſint, eos tales eſſe, nihil abſurdum. At ex illius inobedientia alterum peccatorem extitiſſe; id verò quam, obſecro, congruentiam, conſequentiamque habet? Invenietur enim nec pœnas quidem debere, qui talis fuerit; ſiquidem non ex ſe ipſe peccator extitit. Quid igitur hoc loco verbum hoc* PECCATORES *ſignificat? mihi videtur tantundem ſignificare, quantum illud* SUPPLICIO OBNOXII, *ac* MORTIS REI. Hac Chryſoſtomi Authoritate explicare nituntur Sociniani aliam a nobis allatam *ex Epiſt. ad Olympiadem*. Aſſerunt itaque, ſenſiſſe quidem Chryſoſtomum, per Protoparentis peccatum omne Genus Humanum damnatum iri, ſed morte duntaxat corporali: quæ quidem cùm per ſeſe Humanæ Naturæ in puris Naturalibus conſtitutæ debita eſſet, poterat juſtus Deus citra injuſtitiam ob primi Parentis culpam Poſteris ſuis immortalitatem illam auferre, quam gratuitò prorſus, non ſecus ac Sanctitatem Originalem, cæteraque illius Conſectaria Adamo contulerat, & ipſo non peccante Poſteritati adpromiſerat. Cæterùm minimè docuiſſe Chryſoſtomum, ob Adæ peccatum Filios naſci ſpirituali morti obnoxios, peccatores, Deoque infenſos, atque exoſos, per maculam Animæ inhærentem, quam nos Originis labem appellamus. Ita cum Pelagianis Sociniani ex Chryſoſtomo, ut ipſis videtur, egregiè argumentantur.

Putatis ne per fidem veſtram, repono ego, Chryſoſtomum ita apertè Apoſtolo repugnaſſe, dum Apoſtoli Epiſtolam exponebat? Repugnaſſet porro quàm maximè, ſeque Paulo contrarium omnino prodidiſſet, ſi quam Pelagiani fabulantur, doctrinam tradidiſſet. Nunquid Apoſtolus ibidem *cap.* 5. non expreſsè aſſerit, nedum per Adæ inobedientiam intraſſe mortem in Mundum, verùm etiam peccatum? *Et ita in omnes Homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*; ubi certè peccatum a morte diſtinguit; omneſque ob Adæ peccatum mori, omneſque pari loquendi modo in uno Adamo peccaſſe pronunciat. Ubi autem diſtinxit Apoſtolus, & Chryſoſtomum diſtinxiſſe neceſſum eſt, niſi eum cum Apoſtolo committere velimus. Quid ergo eo in loco ſibi voluit Conſtantinopolitanus Antiſtes? Non aliud profectò, quàm quod ipſum inobedientiæ peccatum actu ab Adamo patratum, & ex libera ejus Voluntatis electione promanans minimè transfundatur in Poſteros, iiſdem videlicet circumſtantiis affectum, eademque malitiæ gravitate onuſtum; ita nimirum ut & illi æquo modo Deo contumaces nuncupari poſſint: quod & idem Apoſtolus eodem Capite innue-

rat : *ſed regnavit*, inquit, *mors ab Adam uſque ad Moyſen etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*. At verò transfundi effectum peccati Actualis Adami inficiatus eſt nunquam SS. Doctor. Hic porro effectus duplex eſt; pœnæ unus, alter culpæ, ſeu maculæ, non Actualis quidem ex libera Voluntatis electione ſoboleſcentis, ſed Habitualis, ac (ut Schola loquitur) veluti radicalis, ex Adæ peccato, tanquam a propria radice, germinantis. Sanè, ſi rem penitius perpendamus, mors ex Chryſoſtomo pœna eſt, quæ omnibus & ſingulis Adæ Poſteris ob ejus culpam infligitur. Qua porro ratione infligi pœna juſtè poſſet, niſi in iis demeritum præexiſteret? Pœna ſiquidem culpam conſequi neceſſe eſt; alioquin injuſta omnino foret pœna illa; injuſtus & Judex eandem inferens. Hæc porro culpa in Infantibus, cùm actualis eſſe nequeat, Originalis dicenda erit.

Quamvis autem (ut Pelagianorum Doctrinæ ſuperiùs expoſitæ ſatis faciamus) Immortalitatis Donum indebitum prorſus ſit Humanæ Naturæ, ſi ſecundum ſe ſe ſpectetur; ſuppoſita tamen Originali Juſtitia, quæ non Adamo ſoli, ſed toti Naturæ collata fuerat, Deus eâ ſpoliare Adami Poſteros citra Injuſtitiæ notam minimè potuiſſet, ſemel ac in illis eadem Innocentia, atque Juſtitia perduraſſent, quas ut proprietas & appendix Immortalitas ipſa comitabatur. Verùm, amiſsâ ſemel ab Adamo peccante Originali Juſtitiâ, eâ Poſteri omnes & ſinguli privati ſunt; quòd in eo peccaverint omnes; adeoque Immortalitatis quoque fatali conſecutione jacturam fecerunt. Quare autem Originale demeritum ex Protoparentis Actuali peccato in Poſteros transfundi poſſit, ac etiam debeat, tametſi Parentum crimina Filios ex eorum ſemine progenitos inficere nequeant, ſcire ſi vultis, ratio in promptu eſt: quia nimirum primum Adæ peccatum licet ab ipſo ſolùm actu perpetratum, Naturæ tamen totius evaſit proprium; cùm in ipſamet Protoparentis Voluntate, qui totius Humanæ Naturæ Caput erat morale, omnium Hominum Voluntates moraliter continerentur (ut in ſuperioribus demonſtravimus) nedum ut in Phyſica, ſed etiam ut in Morali radice. Quare, quemadmodum ob infectionem radicis arbor inficitur tota, fructuſque ſubinde omnes, ita ex depravata per inobedientiæ culpam primi Hominis Voluntate, omnium ſingulorumque Hominum Voluntatum infectio protinus ſuborta eſt. Cæterùm extra Adamum nullius Parentis Voluntas Filiorum Voluntates in ſe moraliter continet; cùm nullus Homo, ſecluſo primo, totius Naturæ Caput morale eſſe poſſit, ut inde ejus Individua, quamtumvis a ſe progenita, ſuo crimine inficere valeat, atque polluere. Hæc dicta volui, ut quiſque intelligat, quàm vana, quàm futilis, quàm abſona ſit ea, quam tanti fa-

Digitized by Google

faciunt Hæretici Sociniani, inter primum, cæteroſque Parentes, æquiparatio, ut hinc Originalis maculæ transfuſionem improbabilem, ac rectæ Rationi prorſus repugnantem oſtendant.

Poſtremus ex Græcis Patribus, quem Pelagiani ſuo patrocinantem Errori nobis oſtentant, eſt Theodoretus, qui (ut illi quidem autumant) expreſsè docuit, peccatorum remiſſionem non eſſe effectum Baptiſmatis. Quod ut probaret Theodoretus, adduxit in medium Eccleſiæ conſuetudinem, quæ Infantes abluit, nullius licet peccati ſorde pollutos: *Si enim* (inquit ille *Lib.* 5. *Hæret. Fabul. cap.* 18. *adverſus Meſſalianos*) *hic ſolus eſſet Baptiſmi effectus, cur Pueros baptizamus, qui peccatum nondum guſtarunt?* Senſit itaque Theodoretus, in Infantibus ſacro Lavacro nondum ablutis nullum ineſſe peccatum per Baptiſma delendum.

Repono tamen, Theodoretum nil aliud ſibi eo loci voluiſſe, niſi quod peccatorum Actualium remiſſio non ſit ſolus Baptiſmi effectus, ſed Actualium ſimul & Originalis. De eo enim peccati genere ſermonem ibi inſtituerat Theodoretus, de quo Eccleſiam inter, & Meſſalianos Controverſia agitabatur; quæ quidem ſola peccata Actualia reſpiciebat. Contendebant ſiquidem Meſſaliani, Actualia duntaxat peccata per Baptiſmum, quaſi adhibitâ novaculâ, tolli; Originale verò non per Baptiſmum, ſed per Orationem dimitti. Quod quidem abſonum & abſurdum eſſe oſtendebat Theodoretus ex uſu Eccleſiæ, quæ Infantes abluit, tametſi ſolius Originalis culpæ labe ſordeſcant. Res ipſa patet per ſe ſe, ſi ejus verba penſentur: de eo ſiquidem peccato loquitur ille, quod Parvuli *nondum guſtarunt*: guſtari porro non Originale, ſed Actualia peccata dicuntur.

Eliſis jam Pelagianorum momentis ex Veterum Græcorum Patrum Authoritate delibatis, reliquum eſt, ut & eos audiamus Latinos Patres, quos pari impudentia nobis objiciunt, ceu Originalis peccati Dogma vel apertè negantes, vel penitus ignorantes. Deſcendit itaque primus in aciem Tertullianus, qui *Lib. de Reſur. Carn. cap.* 47. mortem quidem Corporis refert in Adæ prævaricationem, non itidem mortem Animæ, quæ ex peccato ſoboleſcit. Non alium igitur (clamant Pelagiani) peccati Protoparentis effectum, quàm Carnis, ſeu Corporis mortem agnovit Tertullianus.

Mirari ego ſatis non poſſum, dum Tertullianum ſibimet patrocinantem decantare audio Socinianos, & Pelagianos. Is ſiquidem ab eorum Errore tam procul fuiſſe comperimus, quàm quod maximè, cùm in ejus lectione verſaremur. Duo inter cætera ejus Teſtimonia proferre liceat, quibus perſpicuum fiet, Tertullianum Originalis peccati Dogma, & agnoviſſe, & crediſiſſe. Primum eſt eodem

eodem *in Lib. de Reſur. Carn.* laudato *cap.* 8., ubi hæc habet : *Caro abluitur, ut Anima emaculetur.* Ne autem dici poſſit, intelligendum, Tertullianum ibidem fuiſſe locutum de Adultis illis, qui poſt Actualia patrata crimina ſacrum Baptiſma ſuſcipiunt, legendus eſt *Lib. de Teſtim. Animæ cap.* 3., ubi de Adamo ſic loquitur : *per quem Homo* (Adam) *a primordio circumventus* (nimirum per Satanam) *ut Præceptum Dei excederet, & propterea in mortem datus, exinde totum genus de ſuo ſemine infectum ſuæ etiam damnationis traducem fecit.* Ubi, ut videtis, nedum damnationem, ſed & infectionem diſertè memorat. Cur autem alio in loco nobis objecto de ſola Corporis morte mentionem fecerit, dicam breviter. Librum *de Reſurrectione Carnis* ſcripſerat Tertullianus adverſus nonnullos Hæreticos, inter quos fuit Marcion, qui Corporum reſurrectionem negabant; quamque Tertullianus probandam ſuſceperat. Inter alia porro Argumenta illud etiam protulit ex Apoſtolo Paulo deſumptum *ad Rom. cap.* 5., videlicet, quòd ſicut antiquus Adam, *qui erat forma futuri* ſecundum Apoſtolum, per peccati ſuperbiam Corpori mortem intulerat; ita novus Adam, qui Chriſtus eſt, per ſuæ Paſſionis, ac Mortis ignominiam vitam illi collaturus erat. Non itaque Tertullianus ſolàm Corporis mortem, tanquam unicum peccati Adæ effectum agnovit; ſed de ea ſola ibidem ſermonem habuit, quòd Controverſia cum Marcione agitata id unicè poſtularet.

Tertulliano ſubſtituunt S. Ambroſium Mediolanenſem Antiſtitem refractarii Sociniani, ceu de Originali peccato minùs orthodoxè ſentientem. *Commentaria in Cap.* 5. *Epiſt. ad Rom.*, quæ ejus nomine a pluribus venditantur, in medium proferunt; ubi hæc leguntur ſuper *Verſic.* 12. : *Mors diſſolutio corporis eſt, cùm anima a corpore ſeparatur. Eſt & alia mors, quæ ſecunda dicitur in gehenna, quam non peccato Adæ patimur; ſed ejus occaſione propriis peccatis acquiritur; a qua boni immunes ſunt; tantùm quòd in Inferno erant; ſed in ſuperiori, quaſi in libera* (cuſtodia) *qui ad Cælos aſcendere non poterant.* Ex qua Authoritate duo ſibi apprime faventia colligere Pelagiani gloriabantur. Primum; quòd ſecundam mortem, nempe gehennæ, non patiuntur Homines ob Adæ peccatum, ſed propter propria ſeu Actualia, occaſione prioris illius peccati perpetrata. Alterum; quòd probi Homines, qui nullius lethalis peccati labe polluti obiere, tametſi ante Chriſti Salvatoris reſurrectionem ad Cælos aſcendere non potuerint, in libera tamen, ac ſuperiori Cuſtodia detinebantur : hincque inferebant, S. Doctorem peccatum Originis minimè agnoviſſe; cùm iſti non prior duntaxat Corporis, ſed & altera gehennæ mors reſpondere æquum ſit : nec ſolùm in libera quadam, ac ſuperiori Cuſto-

Cuſtodia detineri, ſed in Inferno pœnas debitas luere, ceu Peccatores, ac verè Reos, quicumque illo fuerint obſtricti.

Perbelle id quidem. Verùm ſi iis reponerem ego, unde habeant, Commentaria illa Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi fœtum eſſe, ut tanti Doctoris nomine abuti illis impune liceat, puto de facili ruituram totam illam Argumenti molem, fundamento tam labili ſuperſtructam. Sanè dubia ſaltem illa eſſe, Eruditus nullus hiſce temporibus diffitetur. Ex incertis porro SS. Patrum Codicibus Teſtimonia decerpere, nonniſi deſperatæ Cauſſæ argumentum eſſe, res patet per ſe ſe.

Sed demus, ut libet ut lubet, Commentaria illa vel Ambroſii eſſe, vel Scriptoris Auguſtino ſuperioris, certè non video, quid ſolidi inde præſidii lucrari Pelagiani poſſint. Quandoquidem Author ibidem aſſerit, pœnam Originali peccato debitam non eſſe gehennam; pœnam videlicet Senſus, ut vocant Theologi, ſed carentiam duntaxat Divinæ Viſionis, quæ Damni pœna vulgò dicitur; quam pœnam qui ſuſtinent, in Inferno quidem degunt, ſed in parte quadam ſuperiori, ad quam gehennæ flamma pertingere nequit, juxta probabilem, imò fortè communiorem (quamvis oppoſitam nos loco ſuo propugnabimus) Scholæ Sententiam. Tam ergo falſum eſt, Authorem illum Originale peccatum non agnoviſſe, quàm falſum ſit, Theologos illos omnes Catholicos, quibus eadem de pœnæ Senſus immunitate Sententia arridet, peccatum Originale minimè profiteri.

Quòd autem ea fuerit laudati Commentatoris indubia mens, liquet ex iis, quæ ibidem illico ſubdit: *Sententia enim*, inquit, *tenebantur data in Adam; quod Chirographum in Decretis morte Chriſti deletum eſt. Sententia autem Decreti fuit, ut Hominis Corpus ſolveretur ſuper Terram; Anima verò in vinculis Inferni detenta exitia pateretur:* & paulò inferiùs ſuper *Verſic.* 15.: *Paterno autem peccato ex Dei Sententia erant apud Inferos: Gratia Dei abundavit in deſcenſu Salvatoris omnibus dans indulgentiam, cum triumpho ſublatis eis in Cælum.* Ex quibus & ego duo colligo: primum; quòd præter Corporis mortem ſuper Terram Anima etiam detenta in vinculis exitia patitur: alterum; quòd per Gratiam Salvatoris tributa omnibus indulgentia fuerit. Peto itaque a Pelagianis: hæ loquendi formulæ *vinculis Inferni detineri, exitia pati; indulgentiam tribui*; nonne apertiſſimè reatum, maculam, debitumque ſolvendum, aliquando ſaltem, extitiſſe demonſtrant? Quandoquidem Juſtis, ac Innocentibus nec indulgentia tribuitur, nec vincula, vel exitia debentur. Ne autem alicui ſcrupulum inferat Interpretatio noſtra, quaſi velimus, Commentatorem illum ſenſiſſe, indulgentiam eſſe a Redemptore collatam iis

etiam

etiam Parvulis, qui abſque Circumciſione, vel alio quoppiam remedio, Baptiſmatis vicem gerente, ex hac Vita migrarunt; dicimus, in poſtremo a nobis allato Teſtimonio illum non loqui de Parvulis cum Originali præmortuis, ſed de juſtis illis, ac probis Hominibus, qui tametſi vel Circumciſionis beneficio poſt Abrahami tempora (ut quibuſdam arridet) vel alio fortè expiatorio medio ab Originali culpa mundati fuerint, in Inferis nihiloſecius, ſeu in Lymbo Patrum (in eadem enim ſignificatione Voces illæ a Patribus ſæpe uſurpantur) uſque ad Chriſti Salvatoris deſcenſum moram trahere cogebantur: quæ ſanè temporaria ſaltem Originalis noxæ pœnâ erat, in Divinæ Viſionis privatione ſita: qua utique pœna ex primi Adami prævaricatione derivatâ novi Adami Reparatoris Chriſti Indulgentiâ fuere penitus abſoluti, ac ſubinde in Cælos cum triumpho tranſlati.

Poſtremò tandem Pelagiani ad Lactantium confugiunt, ejuſque Præceptorem Arnobium, quorum primum peccatum Originis neſciviſſe, alterum penitus rejeciſſe contendunt. Ajunt ſiquidem, Lactantium calamitates omnes, quas patimur in hac Vita, non in Originale peccatum, ſed in ſolam Naturam referre *Lib.* 7. *Inſtitut. cap.* 5.; ubi de Vita beata diſſerens, pugnam Carnis adverſus Animam, cæteraſque miſerias fuiſſe nobis illatas docet, tanquam exercendarum Virtutum occaſiones: *Cur igitur*, inquit, *eum mortalem finxit? .... Ut proponeret Homini Virtutem, ideſt tolerantiam malorum, per quam poſſet præmium immortalitatis adipiſci.*

Arnobium autem in *Comment. Pſalm.* 50. ita dicentem inducunt: *non dixit David* cum iniquitatibus, aut cum peccatis genuit me mater mea; *ſed*; in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis genuit me mater mea. *Dicendo, matrem in ſuis iniquitatibus cum concepiſſe; in peccatis ſæculi peperiſſe ſignavit. Quia omne peccatum corde concipitur, & ore conſummatur. Hic autem, qui naſcitur, Sententiam Adæ habet, peccatum verò ſuum non habet.* Ex duplici itaque hac Lactantii, & Arnobii Authoritate colligunt Pelagiani, & Sociniani, peccatum Originis fuiſſe Priori prorſus ignotum, & a Poſteriori plane negatum.

Miror ego, illos tanti facere horum Scriptorum Authoritatem, ut eam nobis in potiſſimo Fidei Capite, a quo tam multa, tamque gravia pendent Chriſtianæ Religionis Dogmata, objicere haud erubeſcant. Neutrum enim illorum tantam hactenus in Eccleſia obtinuiſſe exiſtimationem putamus, ut eorundem Suffragio indigere Catholicam Fidem arbitremur: imò contra, amborum Opera cautè legenda eſſe, paſſim admonent Eccleſiaſtici Tractatores. Nihiloſecius ne vel extrema, obtuſiora licet, declinare tela videamur, imprimis reponimus, illum haud eſſe Arnobium Lactantii Præ-

Præceptorem, ſed Scriptorem longè recentiorem, uti ante nos Eruditi obſervarunt bene multi. Deinde dicimus, illum minimè negaviſſe, Parvulos peccato, quod ex Adamo contraxerint, obſtrictos eſſe, ſed peccato, quod Voluntate propria perpetrarint. Aſſerit etenim, eos habere *Sententiam Adæ*: Adæ igitur culpâ ſibi generatione communicatâ illos teneri neceſſe eſt. Injuſta ſiquidem Sententia illa foret, niſi culpa præcederet. Quamobrem cùm ſcripſiſſet: *hic autem, qui naſcitur, Sententiam Adæ habet*, non addidit: *peccatum verò non habet*; ſed, *peccatum ſuum non habet*: quod Relativum *ſuum* non ad Adamum, ut falsò Pelagiani putant, ſed ad Actuale eorundem peccatum eſt referendum, de quo ſuperius aſſeruerat, *corde concipi*, & *ore conſummari*; cùm Originale peccatum certò certiùs nec corde concipiatur, nec ore conſummetur.

Quod attinet ad Regii Vatis Sententiæ Expoſitionem, quanquam Interpretatio Arnobii parum cohæreat cum cæterorum Interpretum, & præcipuè Veterum Patrum Expoſitionibus; nihilominus arbitror, admitti poſſe abſque ullo Catholicæ Veritatis incommodo; quia multitudinis numerum ibidem uſurpans, non Originale, quod unicum eſt, ſed Actualia peccata, quæ plura eſſe poſſunt, videtur excludere. Hincque ſolummodo evincitur, Hominem non generari cum peccatis Perſonæ, quæ ſola corde concipiuntur, & ore conſummantur.

Ad Lactantium facilis Reſponſio erit, ſi dicamus, illum eo loci calamitates, quas patimur in hac Vita, ſumſiſſe in ordine ad finem, ad quem conducunt; non autem in ordine ad cauſſam, ſeu radicem, ex qua ſoboleſcunt. Is enim contra Philoſophos ibidem probandum ſuſceperat, Hominem propter Deum, & Mundum hunc aſpectabilem propter Hominem fuiſſe conditum. Hoc autem Principio multiplici ratione ſtatuto, tandem eodem *Cap.* 5. propoſitam ſibi ab Epicuro Difficultatem reſolvit: *cur* videlicet, *ſi tantum Honoris Homini Deus contulit, ut ejus cauſâ Mundum hunc fabricaret, mortalem illum, fragilemque condiderit?* Aſſeritque, id Deum voluiſſe, ut Homines malis iis uterentur ad exercitium Virtutis, & meritum præmii: *ut ad illud æternæ Vitæ ineloquibile præmium ſumma cum difficultate, & magnis laboribus pervenirent*.

Lactantio itaque ſatis fuit indicare Philoſophis illis finem a Deo Opt. Max. inſpectum, quum fragili Corpori immortalem Animam indidit: nec ei opus fuerat, altiorem cauſſam, peccatum videlicet Originale, in medium afferre, ne nova hac difficultate ſtatim deterriti, a Chriſtiana Fide amplectenda longiùs arcerentur, quos ipſe gradatim ad Veritatis notitiam perducere conabatur.

Œconomiæ igitur cauſsâ Originis Vitium ſilentio prætermiſit Lactantius : at illud minimè inficiatus fuit.

Eliſis jam, quantum ſufficit, ut opinor, Pelagianorum, atque Socinianorum Momentis ex Patrum Veterum Authoritate delibatis, probatoque Originalis peccati Dogmate, ceu longè ante Auguſtini tempora in Eccleſia credito, ac prædicato, de pœna ſubinde eidem debita, qua nempe Parvuli ante Baptiſmatis lávacrum decedentes in altera Vita puniuntur, ſupereſt diſputandum.

In hoc porro Argumenti genere, quod amplum ſatis erit, pertractando noſtra in ſequentibus deſudabit Induſtria.

PRÆ-

PRÆLECTIO V.

Parvulos cum Originali peccato morte ſublatos Animi pœnas perſentire, interno videlicet dolore, ingentique triſtitia ob amiſſam Beatitudinem affici, propugnatur.

DE Originalis peccati Natura, ejuſque in omnes Adæ Poſteros transfuſione diximus in ante habitis, dum ultimas Prælectiones haberemus. De pœna modò eidem peccato debita nobis differendum eſt; ſeu (quod in idem recidit) de pœna, qua Pueri Sacro Baptiſmate non abluti, quibus videlicet ſolum ineſt Originale peccatum, in altera Vita puniuntur. Grave iſtud eſt Theologicæ Diſputationis Argumentum; in quo nedum Theologos, ſed & Eccleſiæ Patres hinc inde in Partes oppoſitas abire videas, Scholarumque Principes alios in Infantium Cauſſam mitiores, ſeveriores alios, prout quiſque ſuo Genio fertur. Quid nos in tanto Opinionum conflictu pro captu noſtro ſentiamus, ea perſpicuitate exponemus, eaque Argumentorum vi comprobabimus, ut nihil omnino eorum, quæ ad Inſtitutum attinent, omittamus.

Triplex itaque pœnæ genus in altera Vita ſecernere Theologi ſolent. Pœnam Damni in una Divinæ Viſionis privatione ſitam docent: pœnam Animi in triſtitia, internoque dolore reponunt, quo factam hujuſmodi Felicitatis jacturam, aliaque inde plura ſequuta incommoda dolet Animus: pœnam denique Senſus eam dicunt, quæ medio ſenſibili moleſto Inſtrumento quovis modo infligitur. Neque enim eo nomine nuncupatur, quaſi per eam pœnam ſoli Senſus corporei torqueantur: ſic enim Animæ ſeparatæ, ipſique Dæmones corporeorum Senſuum expertes pœna ſenſibili minimè torquerentur; ſed Senſus pœna dicitur, quia ab igne ſenſibili infertur: quo non modò Senſus corporei, verùm & Spiritus cruciantur; cùm ſit ignis ille Divinæ Virtutis Inſtrumentum. Catholicorum vidi neminem, qui Parvulos ſolo Originali peccato infectos pœna Damni affici non admittat. Imò Pelagiani ipſi, quibus ignotum erat Originale peccatum, Parvulos ſacro Baptiſmate non ablutos a Regno Cælorum, ubi folùm Animæ puræ Dei conſpectu perfruuntur, procul arcebant, Chriſti Sententiam reveriti *Joan.* 3.: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Non defuere tamen inter Hæreticos, qui id inficiari auſi fuerint. Hos inter numerandus primus in ordine

Vincentius Victor, quem S. Auguſtinus *Lib.* 1. *de Origine Animæ cap.* 9., *&* *Lib.* 3. *cap.* 13., duriùs exagitat. Numerandus etiam proximis temporibus Zuinglius in *Declaratione de peccato Originis ad Urbanum Rhegium*; quem alii Lutheranæ, & Calvinianæ Sectæ ſequuti ſunt, Bucerus, Petrus Martyr, Calvinus ipſe, qui Filiis Fidelium, tametſi minimè baptizatis, ſupernam Beatitudinem largiuntur; quam Zuinglius omnibus etiam Infidelium Filiis concedendam exiſtimavit. Eam Hæreſim ſingulari concertatione confutare hic non eſt opus; tum quòd nihil in ſui præſidium Sectatores ejus afferre ſoleant; tum quòd ex iis, quæ occaſione cæterarum pœnarum prolaturi ſumus, potiori jure confutanda veniat & ipſa.

Cæterùm de Animorum, ac Senſuum pœnis longè aliter recentiores Theologi communiter ſentiunt. Pueros ſacro Baptiſmate non ablutos iis omnibus liberaliùs abſolvunt, quòd eas pœnas Originali peccato minùs debitas arbitrentur. Verùm pios illos, ac miſericordes Puerorum Cauſſæ Patronos ſtudio in D. Auguſtinum, ac reverentia non æquè affectos obſervo. Alii, quos pudet Auguſtinum Adverſarium ſuſtinere, eumdem, velit nolit, ſuas in partes pertrahere moliuntur: alii, quibus minùs cordi eſt Auguſtinianæ Doctrinæ ſtudium, eum ſentire aliter ultro fatentur; ſed ab ejus partibus ſtare, religione veluti ſe prohiberi ducunt, ne in Pueros inhumani præter modum eſſe videantur. Quinimo non deſunt, qui D. Auguſtinum, quem adverſæ Sententiæ potiſſimum defenſorem agnoſcunt, petulantiùs incuſent, uti Puerorum tortorem minùs æquum, & Hæreſeos Pelagianæ debellatorem minùs cautum; qui ſtudio diſputationis abreptus non modò Parvulos Originali peccato ſaucios a Regno Cœlorum exules voluit; ſed & pœnis tum Animi, tum Corporis cruciandos exiſtimavit, debitos limites prætergreſſus, & in extremum Errorem incautè prolapſus.

Nos longè aliter pronunciamus: ac ſicuti certò ſcimus, nihil Parvulis Mundo ſublatis vel prodeſſe Theologorum in ſentiendo Miſericordiam, vel obeſſe in pœnis adjudicandis Severitatem; ita multùm Eccleſiæ intereſſe exiſtimamus, ſi, ſemotis humanis affectibus Auguſtini Catholicam Cauſſam adverſus Pelagianos agentis Sententiam ab Æmulorum calumniis, atque cenſuris vindicemus. Quare, tametſi vulgarem recentium Theologorum Aſſertionem, qui Pueros Originali peccato infectos ſola pœna Damni affici volunt, probabilitatis jure frui concedamus; D. Auguſtini nihilominus Aſſertionem, qua illos inſuper & Animi, & Corporis pœnis addicit, uti probabilem admodum, propugnandam aggredimur; uti tutam, & ab omni cenſura remotiſſimam, vindicandam ſuſcipimus.

A pœnis Animi ducam exordium; Pueroſque ob unum Origi-

naie

nale peccatum a Regno Cælorum excluſos interno Animi dolore cruciari, ingentemque triſtitiam de amiſſa Cæleſti Felicitate perſentire demonſtrabo adverſus recentium Theologorum hallucinationem, qui cùm illos a Regno Cæleſti exſules fateantur, nullâ tamen ob id triſtitia affectos exiſtimant. Ac primò quidem, D. Auguſtinum triſtitiam, Animique dolorem ob factam Felicitatis æternæ jacturam in Parvulis agnoviſſe, uſque adeo planum eſt, ut vehementius mirer, Theologos aliquos aliter pronunciaſſe. Is etenim Pelagianos datâ operâ inſectatur, quòd nulla Pueros illos triſtitia affici dicerent ob exſilium ab æterna Gloria. Ita plane *Lib.* 3. *ultimi Operis contra Jul. cap.* 97. : *Quantumlibet non intelligas, quomodo Deus faciat ex eadem maſſa aliud vas in honorem, aliud in contumeliam : ita facit tamen, ut non faciat tertium genus vaſorum, nec in honorem, nec in contumeliam, quales vos eſſe Parvulos vultis ; & in Regnum Dei non intrare imaginem Dei, nullam eſſe contumeliam deputatis. Ipſum enim Regnum ſic amatis, ut non ibi eſſe, non ſaltem levem pœnam credatis Hominis eſſe, ſed nullam.* Non abſimiliter *Lib.* 3. *prioris Operis contra Jul. cap.* 3. eoſdem illos irriſoriè ſic excipit : *Vos excellentiſſimi Amatores illius vitæ, quæ futura eſt æterna cum Chriſto, nullam pœnam putatis eſſe imaginis Dei, in æternum exſulare a Regno Dei : cum ſi parvam pœnam eſſe diceretis, non eſſet hæc vox beati Amatoris illius Regni, ſed miſeri contemtoris.*

Et verò, ſi quis Controverſiam Auguſtinum inter, ac Pelagianos agitatam paulò penitius inſpexerit, dubio procul experietur, quid ea parte ſenſerit ſanctiſſimus Doctor. Is etenim Originale peccatum probaturus iſtud inter alia multa uſurpabat Argumentum: Optimus ac juſtiſſimus Deus non poteſt inſontem, & immeritum Puerum pœnâ plectere : graviſſimâ autem pœnâ plectit Pueros ſacro Baptiſmate non ablutos ; privatione ſcilicet Regni cæleſtis : non itaque ſunt inſontes, ſed aliquo peccato tenentur, quo pœnam hujuſcemodi mereantur. Quod Argumentum ut effugerent Pelagiani, nullam eſſe Parvulis pœnam reponebant, exſulare a Regno Dei; eoſque nihil ea de cauſſa dolere, atque triſtari dictitabant : ut hinc videatis, procul ab Auguſtino Scholaſticos illos abiiſſe, qui Pueros nullum ob illud exſilium dolorem pati putant; eoſque ad Pelagianorum Paradoxum propius acceſſiſſe.

Reponet fortaſſis Cavillator aliquis, D. Auguſtinum exſilium a Regno Dei pœnam idcirco vocitâſſe, quia ſecundùm ſeſe Damni pœna eſt, utpote ſummi Doni privatio ; tametſi non ſentiatur a Puero, nullumque illi dolorem, ac triſtitiam incutiat. Verùm de pœna hoc ſenſu accepta non diſputavit cum Pelagianis SS. Doctor. Ii quippe, cùm acutiſſimi eſſent, nequaquam inficiabantur, exſilium

lium à Regno cæleſti, ut nudam Divini conſpectus privationem importat, eſſe in ſeſe maximum damnum, ac malum, ut Schola loquitur, privativum; ſed nullam Parvulis pœnam eſſe garriebant, quòd nullum illis dolorem incuteret. Nec quidquam hoc ſuo Argumento de Deo juſto Judice confeciſſet Auguſtinus, ut peccatum Originale demonſtraret, ſi eo duntaxat ſenſu excluſionem a Regno Dei pœnam vocitaſſet; videlicet privativam: damnum enim, quod quiſque ſubit in amiſſione boni, in tantum pœnam infert, in quantum ſentitur ab eo: ſi enim non ſentitur, nulla illi pœna eſt; uti patet in Pueris, vel Amentibus, quorum bona dilapidantur; patiuntur enim malum; ſed non ſentiunt, neque dolent, quia neſciunt. Pœna verò, a Judice præſertim inflicta (de qua loquitur Auguſtinus) non dicit malum, prout eſt nuda privatio boni, nulla habita conſideratione Rei, qui caſtigatur; ſed ſignificat id, quod eſt malum, & pœnale Reo, quatenus illi dolorem ingerit, ſeu inferendo, ſeu ſubtrahendo, quod Reus nollet.

Sed quid hæc moror? Auguſtinum audiamus, an non pœnam intellexerit, quam verè patiatur, ac ſentiat Parvulus non ablutus; cujus nempe inflictione torqueatur, & doleat: *Si hoc eis non erit malum* (ait ille *Lib. 6. contra Jul. cap.* 10.) *non eſſe in Regno Dei; non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes Imagines Dei. Si autem amabunt, & tantum amabunt, quantum Innocentes amare debent Regnum ejus, a quo ad ipſius imaginem creantur, nihil ne mali de hac ipſa ſeparatione patientur?* En pœnam, qua torquentur, ſeu malum, quod ex ipſa ſeparatione ſentiunt. Quin etiam ratio ipſa, quam uſurpat hic Auguſtinus, hoc idem evincit. Ideo enim pœnam eſſe ſeparationem illam oſtendit, quia bono, quod amatur, Pueros privat: at pœna, quæ ſentitur ex amiſſione boni, quod amatur, habet profectò rationem pœnæ affligentis, torquentis, cruciantis eum, qui bonum amat, quo ſe privatum experitur. Unde & *Serm.* 294. *de Bapt. Parvulorum cap.* 6.: pati Parvulos probat, & cruciari ob excluſionem a Regno Dei, quia *ſi amatur Patria, magna pœna: ſi autem non amatur Patria, pejor eſt cordis pœna. Parvum malum eſt in Hominis corde, qui Societatem non quærit Sanctorum, qui non deſiderat Regnum Cælorum? Si non deſiderat, pœna eſt de perverſitate: Si autem deſiderat, pœna eſt de fraudata charitate.*

En Auguſtini Sententiam non modò in aperto poſitam (quæ Facti Quæſtio eſt) verùm etiam luculentiſſima ratione demonſtratam; quod alterum inſtitutæ Exercitationis Caput erat. Dolere enim Animo Parvulos, atque triſtari neceſſe eſt, ſi Felicitatem amiſſam & agnoſcunt, & amant. Agnoſcere porro, & amare neceſſe eſt; quia ex quo tenellis Corpuſculis ſolutæ ſunt Animæ, illæ plena, & inte-

& integra cognitione fruuntur, communemque Animarum ſeparatarum conditionem ſortiuntur.

Mirum quot hìc choreas agant Scholaſtici & recentiores, & veteres, ut eam Auguſtini rationem elidant. Sunt qui dicant, Parvulos ignorare in altera Vita, quam fecerunt, Felicitatis æternæ jacturam; quia cùm ſupernaturalis Felicitas ſit, naturali Animularum ſeparatarum cognitione attingi non poteſt; eaque idcirco de cauſſa nullum illis ex ea jactura dolorem inferri. Rationem hanc a ſe ipſo obiter uſurpatam *Quæſt.* 5. *de malo art.* 3. ex Inſtituto oppugnat Doctor Angelicus *in* 2. *Sent. diſt.* 33. *quæſt.* 2. *art.* 2., ubi Pueros in altera Vita perfectam adeo cognitionem habituros docet eorum, quæ naturali cognitioni ſubjacent, ut *æterna Vita privatos ſe eſſe cognoſcant, cauſſamque ipſam, quare ab ea excluſi ſunt*.

Et certè tametſi æterna Felicitas, ut ſpecialiter in intima Dei Viſione ſita eſt, naturali Animarum ſeparatarum cognitione attingi non poſſit; poteſt tamen ſub communi ratione boni, & ultimi Finis. Ita plane Theologi communiter ſentiunt. Id porro ſi ſemel Parvuli noverint, procul dubio triſtabuntur, dum eo ſe communi bono, & ultimo fine privatos experientur; tametſi de amiſſa in ſpeciali Dei Viſione minimè cogitarent. Res Exemplo comperta eſt: demus enim Virum, qui noverit probatorum Teſtium fide, ſe ad Regnum aliquod jus habere, a quo tamen Improborum quorumdam machinatione decidiſſet; numquid is, amabò, non triſtaretur; tametſi ſpeciatim fortè neſciret, ad quodnam Imperium deſtinatus eſſet? Ita plane Parvuli iſti ſine Lavacro defuncti nativa cognitione norunt, ſe ab ultimo Fine, communique ratione boni excidiſſe: hoc vel uno concutiuntur, ac dolent; tametſi fortè neſcirent, in intima Dei Viſione ſitum eſſe Finem illum.

Sed & hoc ultimum ſcire Parvulos, nempe ſe a Dei Viſione excidiſſe, veriſimilius eſt, ſin minùs naturali lumine, ſaltem Dei revelatione, quæ illis facta eſt; ut videlicet omnes in altera Vita Statum ſuum agnoſcant. Aliàs Barbari etiam, qui nihil unquam de Fide ſupernaque Beatitudine audiere, dum viverent, a dolore de amiſſa ſuperna Felicitate liberarentur in altera Vita; cùm & illam ſupernam Felicitatem in altera Vita naturali intelligentia, perinde ac Parvuli, aſſequi minimè poſſent, niſi illam Divina revelatione dignoſcerent.

Quid plura? demus, nullo nunc pacto, ac ne quidem Divina revelatione ſupernæ Felicitatis jacturam noſſe Parvulos; agnoſcent ſaltem in extremo Judicio, cui præſentes aderunt, ſin minùs judicandi, ut volunt aliqui, ſaltem Judicium viſuri, ac probaturi. Aderunt ſiquidem ibi Parvuli non ut ſtipites, ſed ut Homines judicio,

dicio, ac ratione utentes, habitu Corporis, & Animi perfecto præditi : *tunc illuminabuntur abſcondita tenebrarum*, inquit Apoſtolus, *& manifeſta erunt conſilia cordium*: nota omnibus erit Sententia, cùm ſua, tum aliorum, & cauſſa cujuſque Sententiæ, ut loquitur D. Thomas *in* 4. *Sent. Diſt.* 43. *quæſt.* 1. *art.* 5. Nunquid ergo, dum hæc omnia in extremo Judicio & mente, & oculis uſurpabunt Parvuli, jam non Parvuli, ſed Corporis, & Animi integritatem aſſecuti; dum multos ſui generis, ac fortè etiam Parentes, ac Fratres in Cælum cum ingenti glòria ferri conſpicient; nunquid Felicitatem aliquam dari minimè agnoſcent, unde exciderint ipſi? Tunc ergo, ſi nunquam antea, jacturam agnoſcent; atque ideo contriſtabuntur.

Ea ſtatione, utpote iniquiori, dimiſſa, alii aliò confugiunt : ajunt ſcilicet, ſcire quidem Parvulos ſortem ſuam, & ſupernæ Felicitatis jacturam; nec tamen idcirco triſtari, quòd probè intelligant, nullam ſe ad eam obtinendam proportionem hàbuiſſe, jus nullum; utpote qui nec Gratiam, nec liberi arbitrii uſum habuerint in hoc Mundo; quia, inquiunt, non triſtatur, qui recto judicio utitur, ſi eo bono careat, ad quod nulla ratione, nulloque titulo deſtinabatur, ac vocabatur : uti plane nemo noſtrûm, opinor, triſtari poteſt, quòd Galliarum, aut Hiſpaniarum Imperium non obtineat, ad quod nullo jure deſtinamur. Sed & Iſti minùs feliciter calculum ponunt. Quanquam enim proportionem, juſque ad Beatitudinem in ſemetipſis non habuerint Parvuli, habuerunt nihilominus in Homine primo; & agnoſcent, ſe primi Parentis culpâ tantum bonum amiſiſſe; imò verò & jus novum ex Chriſti morte obtinuerunt Parvuli, quos ipſe ſincera Voluntate ſalvari voluit : & intelligent, ſe infauſto caſu a ſuſcipiendo parato ſibi remedio fuiſſe impeditos. Unde profectò ingens illis accedet doloris argumentum. Clamant Aliqui, alienâ culpâ, aut negligentiâ hoc illis infortunium accidiſſe. Ita certè : at id triſtitiæ, doloriſque cauſſam nullatenus adimit. Si etenim Pater aliquis ob crimen læſæ Majeſtatis amittat bona ſibi, ac ſuis Poſteris a Principe antea donata, nonne ejus Filii ingenti triſtitia corripientur, quoties præſentem pauperiem cum amiſſa bonorum affluentia comparabunt? Quod autem alienâ culpâ in eum Statum deciderint Filii, pudorem quidem, ſed non dolorem in eis minuet : imò iſtum longè magis augebit. Quantò certius id de Parvulis ſtatuendum; quibus non tantum primi Parentis pœna inflicta eſt; verùm etiam transfuſa culpa, ut re ipſa peccatores evaſerint : unde & cum triſtitia pudor eis adhærebit; non tamen Conſcientiæ vermis, ut in damnatis Adultis; cùm nullum Actuale peccatum admiſerint.

Immenſus ſim, ſi alia doloris, atque triſtitiæ argumenta in Pueris

ris illis ſine Baptiſmo ſublatis perſequi velim, ut Auguſtini Sententiam a cenſuris, & calumnia vindicem. Hæc indigitare ſufficiet. Sunt certè illi Pueri peccatores, culpæ reatu infecti; niſi quis fortè peccatum Originale inficiari omnino velit: ſunt iræ filii, vaſa contumeliæ, Deo exoſi; niſi velimus Apoſtolo refragari. At numquid, quæſo, non dolet illos, quòd tales ipſi ſint, ac tales in æternum futuri? Magna etenim foret illorum perverſitas, ſi de peccato, & accerſita ſibi ira Dei, ac contumelia minimè triſtarentur. Rurſus a Deo non modò, ut Authore Gratiæ, ſed & uti Authore Naturæ ſunt averſi; atque hoc quidem naturali lumine norunt. Sunt ergo miſeri; & hanc ipſam ſuam miſeriam experiuntur. Dolent igitur, atque triſtantur, niſi illos truncos, ac ſtipites velimus eſſe. Demum ſub Dæmonum poteſtate degere Pueros illos in tenebris, & in anguſtiis, Eccleſiæ Doctrina eſt; de qua in ſequentibus multa dicam. Videbunt igitur Dæmones, & horreſcent: nec enim Dæmonum aſpectus oblectare, opinor, quemquam poteſt. Qui ergo Pueros illos a triſtitia liberant, debent illos, ſi poſſunt, a peccato, ab ira Dei, & a poteſtate Diaboli liberare. Sed de his omnibus ne quidem Theologos illos cogitaſſe puto, qui eos a doloribus eximunt. Imò Pueros illos, ſi bene perpenditis, eodem in Statu collocant in altera Vita, ac ſi in puris naturalibus obiiſſent; quod nemo prudens negaverit, abſurdiſſimum eſſe. Nam & Homo in naturalibus conditus Dei conſpectu in altera Vita minimè frueretur. Nullum ergo ex Originali peccato damnum illatum Pueris arbitrantur Theologi illi, dum eis unicam Dei Viſionem eripiunt, nullumque inde dolorem, triſtitiamque ſuccreſcere fabulantur. Peccatum igitur Originale pro nihilo reputant: at non illud pro nihilo reputavit Apoſtolus.

De Pœna Senſus in proxima Exercitatione differemus, & Auguſtini Sententia ab injuria vindicabimus.

PRÆLECTIO VI.

D. Auguſtini Sententia de ſenſibilibus Infantium abſque Baptiſmate decedentium pœnis a cenſuris, atque calumniis vindicatur.

OPPIGNORATAM ante dies aliquot fidem noſtram in hac Theologica Exercitatione liberamus. Auguſtini Sententiam de ſenſibilibus Puerorum ſine Baptiſmo decedentium pœnis ab Oſorum calumniis, atque cenſuris vindicandam aggredimur; ne in ea prægravi Controverſia, quam adverſus Pelagianos toties agitavit, debitos fines exceſſiſſe Doctorum Maximus videatur.

Id ut expeditiùs exequar, Auguſtini Sententiam paucis aperiam; & quid illum ad eam amplectendam impulerit, ob oculos ponam. Parvulos Originali peccato detineri probandum aſſumſerat SS. Doctor adverſus Pelagianorum Errorem; magnumque Catholicæ Sententiæ præſidium repetebat ex iis Chriſti Domini verbis *Joan. 3. niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei* : & Marc. *cap. 16. : qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit : qui verò non crediderit, condemnabitur*. Hinc Pueros ex aqua, & Spiritu Sancto non renatos aliquo peccato detineri colligebat; quippe qui a Regno Cælorum procul arcentur, & condemnantur, niſi ſalutaribus Undis renaſcantur in Chriſto. Telum hoc ut effugerent Pelagiani, reponebant, Pueros a Regno Cælorum quidem arceri; nec tamen inde conſequens eſſe, ut ob peccatum aliquod eis inhærens cum Diabolo crucientur in Inferis; cum medius quidam Quietis, ac Vitæ Status eſſe poſſit, in quo nec Dei conſpectu fruantur, nec æternis ignibus crucientur. Ad hæc Auguſtinus Argumentum adverſus importunos Cavillatores inſtauraturus Principium hoc incunctanter, ac firmiter poſuit : non modò medium illum Quietis, & Vitæ Statum a Pelagianis aſſertum fictitium eſſe; verùm etiam Pueros non ablutos, non niſi in Inferis detineri, condemnari, æternis demum ignibus cùm Diabolo torqueri, & cruciari. Id præſertim videre licet *Lib. 3. ultimi Operis contra Julianum Pelag. cap. 199.*; ubi cum hæreticus Pelagianus hanc S. Doctoris Sententiam retuliſſet, ac vellicaſſet : *tantum ei* (Parvulo) *ineſt, ut poſſideatur a Diabolo, atque æternum mereatur incendium*; eam Sen-

ten-

tentiam non modò uti ſuam agnovit Auguſtinus; ſed & veram eſſe confirmavit ſubdens: *Tu autem, qui eam* (Parvuli Naturam) *negas a Diabolo poſſideri, procul dubio negas a poteſtate erui tenebrarum . . . . Si autem non eruitur a poteſtate tenebrarum, & illic remanet Parvulus, quid miraris in igne æterno cum Diabolo futurum, qui in Dei Regnum intrare non ſinitur?* Quod & aliis locis bene multis affirmat; quæ hìc recenſere longum eſſet.

Hanc Auguſtini Sententiam, quam plerique, ut ſeveriorem, durioremque criminantur, nulli patere cenſuræ, atque calumniæ aggredior demonſtrandum; utpote quæ Sacrarum Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum adſtipulatione muniatur; nihilque adverſæ Sententiæ, quæ paſſim in Scholis volitat, probabilitate cedat. Agedum; & noſtram SS. Doctori advocationem quantulamcumque commodemus adverſus tam ſacri, tam venerandi in Eccleſia nominis Obtrectatores.

Suam ipſe Cauſſam agit Auguſtinus *Serm. 294. de Baptiſm. Parvulorum cap. 3.*; ubi Chriſti Domini Orbem Terrarum judicantis Sententiam recolens, Parvulos, qui ad extremum Judicium ſunt advocandi, ad dexteram, vel ſiniſtram conſtituendos obſervat; ut qui ſacro Baptiſmate ſunt abluti, Chriſti Regnum accipiant; qui verò non ita, in ignem æternum abeant cum Diabolo, & Angelis ejus. *Venturus Dominus*, inquit, *& judicaturus de vivis, & mortuis, ſicut Evangelium loquitur, duas partes facturus eſt, dexteram, & ſiniſtram. Siniſtris dicturus*: ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus. *Dextris dicturus*: venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum eſt ab origine Mundi. *Hâc Regnum nominat, hâc cum Diabolo damnationem. Nullus relictus eſt medius locus, ubi ponere queas Infantes. De vivis, & mortuis judicabitur: alii erunt ad dextram, alii ad ſiniſtram: non novi aliud. Qui inducis medium, recede de medio: non te offendat, qui dextram quærit. Et te ipſum admoneo: recede de medio, ſed noli in ſiniſtram . . . . . Qui non in dextra, procul dubio in ſiniſtra: ergo qui non in Regno, procul dubio in igne æterno.* Ita diſputat Auguſtinus.

Vix dicas, quantum hoc Argumentum Scholaſticos torqueat. Ac primo quidem, quod Factum attinet, de Auguſtini mente dubitari non poſſe arbitror, quin Parvulos non ablutos ſuppliciis æternis cruciandos exiſtimarit eo loci; cùm illos unam, eamdemque cum omnibus Reprobis Sententiam in Judicio habituros pronunciet; & in ipſum ignem æternum ituros cum Diabolo, & Angelis ejus, in æternum a Chriſto Domino maledictos. Quod verò Jus attinet; num videlicet Aſſertionem ſuam rectè probaverit Auguſtinus, ſunt qui contra ipſum diſputare malint, quaſi ea Chri-

ſti judicantis Hiſtoriâ ſit abuſus, quàm tanti Magiſtri Authoritati cedere, faſceſque Victori ſubmittere. Quare Parvulos in extremo Judicio judicandos Aliqui negant, Auguſtino quantumlibet aſſerente. At Ii minùs profectò ſapiunt. Judicium extremum de Parvulis etiam habendum ſignificat Joannes *in Apocalypſi cap.* 20. : *Vidi mortuos magnos, & puſillos, ſtantes in conſpectu throni* : *& libri aperti ſunt . . . . . & judicati ſunt mortui*. En Puſillos non ſecus, ac Magnos ad Judicium vocatos. Rurſus Beda, qui longè poſt Auguſtinum floruit, Parvulos ſecundum Catholicam Fidem judicandos eſſe profitetur *in Præliminari ad Sacrum Codicem Canticorum* prope finem: *Quod dicit* (Julianus Pelagianus) *non aliunde alios judicari, niſi quia in eadem natura diſpar voluntas ſit* ... *contradicit Catholicæ Fidei, quæ etiam Parvulos eſſe judicandos confitetur*; *eos, qui in eadem natura poſiti, priuſquam aliquid boni, malique facere, aut velle, aut ſaltem noſſe poterant, ſine Baptiſmo rapti ſunt*. De Judicio ergo a Pueris ſubeundo dubitare nefas eſt. Quapropter Alii aliquanto meliùs conſulti Parvulos in Judicio comparituros fatentur quidem, ſed Cauſſam illorum diſcutiendam omnino negant: futuros illos in ſiniſtra Judicis, communemque cum Reprobis Sententiam habituros diffitentur; ſed medio quodam loco collocandos effutiunt; ut ſic tota Auguſtini in Pelagianos Argumentatio in fumum abeat. Verùm nec Ii veritatem attingunt. Et certè diſcutienda ne ſit Puerorum Cauſſa, non moror hìc: Difficultatulam illam non attigit Auguſtinus; nec eam attingere operæ pretium illi erat. At futuros Parvulos illos in ſiniſtra Judicis, communemque cum Reprobis Sententiam ſubituros, quovis medio loco, medioque Judicio ſublato, veritas eſt, nedum ab Auguſtino [quem Judicem reſpuunt] propugnata; ſed & a Romanis Pontificibus, qui contra Hæreſim Pelagianam decertarunt; a Conciliis, quæ eamdem ſacris Canonibus confoderunt; a Patribus denique ſigna conferentibus comprobata: ut plane perſpicuum ſit, injuriam Auguſtinianæ Argumentationi illatam in univerſam Eccleſiam reſilire.

Audiendus Gelaſius I. Rom. Pont. *in Epiſt.* ordine 7. *ad omnes Epiſcopos per Picenum* [apud Labbæum Tom. 5. pag. 304.] ubi Senecam delirum Senem Pelagianum ita carpit: *De Parvulis autem quod aſſerit* [Seneca Pelagianus] *ſine Sacro Baptiſmate pro ſolo Originali peccato non poſſe damnari, ſatis impia, ſatis prophana Propoſitio eſt*. Et poſt pauca: *Nihil eſt ergo, quod dicant* [Pelagiani] *quòd non renati Infantes tantummodo in Regnum Cælorum ire non valeant; non autem perpetua damnatione puniantur, dum ſine Baptiſmo Corpus, & Sanguinem Chriſti nec edere valeant, nec potare: ſine autem hoc vitam in ſemetipſis habere non poſ-*

ſunt;

ſint; ſine vita verò non niſi mortui ſint futuri. Dicantur igitur in morte perpetua conſtituti, ſi non æſtimentur eſſe damnati. Tollant ergo de medio neſcio quem ipſi tertium, quem decipiendis Parvulis faciunt, locum. Et quia nonniſi dexteram partem legimus, & ſiniſtram; illos faciant in ſiniſtra regione ſine Baptiſmate remanere; ſed baptizatos ſinant ad dexteram ſalutarem ſacra regeneratione transferri. Ita plane Auguſtini Sententiam de æternis Puerorum cruciatibus non modò Gelaſius amplectitur, uti cernitis; ſed & illam Auguſtiniana Argumentatione confirmat; quòd nempe nullus alius Parvulis non renatis locus ſuperſit, niſi ſiniſtra ſupremi Judicis; quam in partem verſus Sententiam ſit prolaturus: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus*: omniſque medius locus vacat.

Audiendi Epiſcopi Africani in Concilio Carthagine contra Pelagianos habito initio anni Chriſti 418., quod plenarium vocat Auguſtinus *Epiſt.* 215. *ad Valentinum*, quòd videlicet ex omnibus Africæ Epiſcopis coaleſceret: in eo itaque conditus fuit Canon iſte inter Africanos Canones ordine ſeptuageſimus octavus, apud Labb. Tom. III. pag. 528. (qui licet in eorumdem Canonum ſerie non inveniatur repoſitus, reponi tamen debuiſſet, propterea quòd, uti notant Surius, & Binius ibidem, *quidam pervetuſtus Codex eo in loco hujuſmodi Caput inſertum haberet*) *Item placuit, ut ſi quis dicit, ideo dixiſſe Dominum*: in domo Patris mei manſiones multæ ſunt, *ut intelligatur, quia in Regno Cælorum erit aliquis medius* (non enim legendum eſt *melius*, ut ibidem impreſſum eſt) *aut ullus alicubi locus, ubi beatè vivant Parvuli, qui ſine Baptiſmo ex hac Vita migrarunt, ſine quo in Regnum Cælorum, quod eſt Vita æterna, intrare non poſſunt, anathema ſit.* At nec id ſatis. Si enim nihil aliud addidiſſent Africani Præſules, ſuas pannulo huic diſtintiunculas facilè ſuerent Scholaſtici recentiores; atque illico reſponderent, negari duntaxat ab eis medium locum, ubi Parvuli beatè vivant. Verùm Effugium præcludit omne, quod ſequitur e veſtigio. Subjungunt enim: *Nam cùm Dominus dicat*, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cælorum, *quis Catholicus dubitet, participem fore Diaboli, qui cohæres eſſe non meruit Chriſti? Qui enim dextrâ caret, ſiniſtram procul dubio partem incurret.* En hic rurſus, ut videtis, Parvulos non ablutos factos Diaboli participes; quòd præter dexteram, & ſiniſtram nulla futura ſit altera Pars in extremo Judicio; ſiniſtramque procul dubio Partem occupaturi ſint Parvuli, ut in ignem æternum Diabolo, & Angelis ejus præparatum abeant, quia dexteram Partem obtinere non poterunt.

Au-

Audiendus demum graviſſimus perinde, & antiquiſſimus Author Hypomneſticon, vulgò Hypognoſticon; qui Pelagianos adeo feliciter exagitavit, ut a Multis pro ipſomet Auguſtino ſit habitus. Is *Lib.* 5. *cap.* 5. nedum medium illum locum a Pelagianis pro Parvulis non ablutis excogitatum eliminat eodem, ac Auguſtinus, Argumento; verùm etiam illos in igne æterno collocat cum iniquis, ac in ipſa gehenna, ubi fletus erit, & ſtridor dentium: *Da mihi præter hunc* (Regnum Cælorum) *alterum locum, ubi vitæ poſſit requies eſſe perennis. Primum enim locum Fides Catholicorum Divina Authoritate Regnum credit eſſe Cælorum; unde, ut dixi, non baptizatus excipitur: ſecundum, gehennam, ubi omnis Apoſtata, vel a Chriſti Fide alienus æterna ſupplicia experietur: tertium penitus ignoramus; imò nec eſſe, in Scripturis Sanctis inveniemus. Finge, Pelagiane, locum ex Officina perverſi dogmatis tui, ubi alieni a Chriſti Gratia vitam requiei, & gloriæ poſſidere Parvuli poſſint. Dextera eſt juſti ſedentis Judicis* (obſervate hic quæſo, qualiter Auguſtini Argumentationem uſurpet) *& ſiniſtra; Regnum eſt, & gehenna; vita eſt, & mors; juſti ſunt, & iniqui. In dextera igitur Juſti ſunt conſtituti; in ſiniſtra Operarii iniquitatis: in Regno requies Baptizatorum; in gehenna pœna Incredulorum: vita ad lætitiam gloriæ; mors ad fletum, & ſtridorem dentium: Juſti in Regno Patris cum Chriſto; Iniqui in igne æterno parato Diabolo, & Angelis ejus . . . . . qui baptizatus ergo non eſt, in iis, quæ ſunt Regni Cælorum, non poteſt reperiri: & ſi non ibi, quia verè non ibi, putas ne Pelagiane, jam ſentis ubi? Aut certè dic ubi.*

Stat ergo Auguſtini Sententia de ſenſibilibus Puerorum pœnis: ſtat & prima ratio ex Chriſti Judicio petita, qua illam munivit, ac confirmavit; niſi fortè Romanos Pontifices, ſacra Concilia, & Patres Hæreſeos Pelagianæ debellatores perperam argumentatos exiſtimemus.

Sed quid tandem obtrudunt Auguſtini Obtrectatores, ut futilem, nullamque illius Argumentationem eſſe probent? Audiamus. Sententia, inquiunt, ultimi Judicii in eos pronunciata, qui ad ſiniſtram collocabuntur, & in æternum ignem cum Diabolo ablegabuntur, in Parvulos non ablutos cadere nequaquam poteſt, ſi Sententiæ rationem ab ipſo Judice ferendam audiamus: ſubjungit quippe Judex: *Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non dediſtis mihi potum*; aliaque id genus Miſericordiæ Opera ſubnectit, a quibus exercendis abſtinuerint Maledicti æternis ignibus deputati. Quæ, cum in Parvulos minimè quadrent; ita nec Sententia damnationis a Judice pronunciata ad eos protendi ulla ratione poteſt.

At

At ſuo ſe laqueo implicant, qui Auguſtinum iſtiuſmodi Argutiâ implicandum exiſtimant. Si quid enim evincit Argutia hæc, ut Parvulos Sacro Baptiſmate non ablutos eam Chriſti Domini Sententiam minimè ſubituros demonſtrent, evincet pari ſorte, Parvulos ſacro Baptiſmate tinctos ad Regnum Cælorum percipiendum a Chriſto Judice vocandos non eſſe; cùm nec in illos quadrare poſſit, quod de Electis in extremo Judicio proferet Judex: *Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare*; aliaque id genus Miſericordiæ Opera, quibus exercendis idonei nunquam fuere Pueri abluti, & ante Rationis diluculum Mundo ſublati. Plus dico: ſi quid eo Sophiſmate extundi poſſet adverſus Auguſtini Argumentationem, conſequens profectò eſſet, ob ſola neglecta Miſericordiæ corporalis Opera æternis ignibus addicendos eſſe adultos Homines. Etenim ea ſola recenſet Chriſtus Dominus: cùm tamen damnari bene multos Homines conſtet ob alia cùm Carnis, tum Animi vitia, quæ recenſere hìc longum eſſet. Infeliciter ergo in Auguſtinum Ingenium acuunt, qui hoc illum telo petunt. Sciant itaque, alium eſſe hujuſce Oraculi ſenſum; & Chriſtum a majori Damnatorum parte intelligendum. Cùm enim uniuſcujuſque damnationis cauſſas omnes minutatim recenſere in ea brevi Peroratione non poſſet, communiorem, & quæ Audientium captui magis eſſet accommodata compendio retulit; cæteris propemodum infinitis ſilentio miſſis; ut ex ea ſola, quam recenſere Chriſto libuit, damnationis cauſâ cæterorum Adultorum demerita, Parvulorumque non ablutorum ſortem quadam proportione dignoſceremus.

Erit fortaſſe, qui Apoſtoli 2. *ad Corinth. cap.* 5. ſcribentis Oraculum oſtentet: *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum*: ut hinc colligat, ſolos Adultos, qui propria ſive bona, ſive mala in corpore geſſere, ad ultimum Judicium acceſſuros.

Sed id fruſtra nobis obtrudit: etſi enim illos Judicio ſiſtendos dicat Apoſtolus, non tamen ſolos; nec alios ullo pacto ſecluſos voluit. Quanquam etiam & eo ipſo Oraculo comprehendi Parvulos obſervat Auguſtinus epiſt. 217. *ad Vitalem cap.* 5., *Sententia* 8.: *Scimus*, inquit, *Parvulos ſecundùm ea, quæ per corpus geſſerunt, recepturos vel bonum, vel malum. Geſſerunt autem non per ſe ipſos, ſed per eos, quibus pro illis reſpondentibus, & renuntiare Diabolo dicuntur, & credere in Deum; unde & in numero Fidelium computantur; pertinentes ad Sententiam Domini dicentis*: qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit. *Propter quod & illis, qui hoc Sacramentum non accipiunt, contingit, quod ſequitur*, qui autem non crediderit, condemnabitur. *Unde & ipſi,*

ſicut

ſicut dixi, ſi in illa parva ætate moriuntur, utique ſecundùm ea, quæ per corpus geſſerunt, ideſt tempore, quo in corpore fuerunt, quando per corda & ora Geſtantium crediderunt, vel non crediderunt, quando baptizati, vel non baptizati ſunt. Hæc Auguſtinus. Neque obeſt quod ait Apoſtolus loco laudato: *Ut referat unuſquiſque propria corporis*; nam & Originale peccatum, quo Parvuli tenentur obſtricti, *unicuique propagatione, non imitatione transfuſum, ſit proprium*, ut ſancit Concilium Tridentinum *Seſſ.* 5. *in Decr. de pec. Orig.*; nec niſi Gratia verè inhærente, & propria Sanctitate purgatur.

Alia Auguſtini Argumenta in ſequentibus perſequemur, & ab Æmulorum Cavillationibus vindicabimus.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO VII.

Alia D. Auguſtini Momenta de ſenſibilibus Infantium pœnis expenduntur, & adverſus malignos Obtrectatores vindicantur.

CŒPTAM in antehabitis de Puerorum ſine Baptiſmo decedentium pœnis graviſſimam Tractationem Auguſtino duce, & Auſpice feliciſſimo perſequimur. Torqueri illos æterno igne cum Diabolo, & Angelis ejus ex Chriſti Domini Terrarum Orbem judicantis Hiſtoria ſatis, opinor, in anteceſſum demonſtravimus: importunas quoque quorumdam Theologorum Cavillationes, quibus telum hoc elidere nitebantur, Conciliorum, ac Romanorum Pontificum Authoritate diſſipavimus. Nunc alterum Auguſtini ex Eccleſiæ Diſciplina petitum Argumentum urgendum aggredimur, & adverſus quorumcumque obtrectationes vindicandum.

Pergit itaque, quo pede cœperat, Auguſtinus; utque Parvulos Originali peccato ſaucios, & ſacro Baptiſmate non ablutos æterno ſupplicio multandos in Inferis probet, eos ſub Diaboli poteſtate detineri, æternùmque ab illo detinendos oſtendit, niſi ſacro Baptiſmate transferantur de poteſtate Principis tenebrarum in Chriſti Lumen, & Regnum. Quocirca totam Argumentationis ſuæ vim petit SS. Doctor ex veteri Eccleſiæ Diſciplina, quæ ad noſtra uſque tempora promanavit: qua videlicet Parvuli Originali peccato detenti prius Exorciſmis, & ſacris Exſufflationibus eventilantur, quàm ſalutari Lavacro mundentur: adeo ſcilicet verum eſt, illos Originalis peccati demerito a Diabolo poſſideri. Urget hoc Argumentum clariſſimus Gratiæ Vindex *Lib.* 3. *ultimi Operis contra Jul. cap.* 199.: *Exſufflantur autem Parvuli*, inquit, *in Exorciſmo priuſquam baptizentur: exſufflantur igitur veræ imagines, non Regis cujuſcumque, ſed Dei. Imò verò exſufflatur Diabolus, qui contagione peccati tenet Parvulum reum, ut illo foras miſſo Parvulus transferatur ad Chriſtum. Exſuffletur itaque Juliani amentia, ne Majeſtatis rea in Parvulorum mundatione, & exſufflatione dicatur Eccleſia. Si autem non eruitur a poteſtate Tenebrarum, & illic remanet Parvulus; quid miraris in igne æterno cum Diabolo futurum, qui in Dei Regnum intrare non ſinitur?* Non abſimilia habet *Lib.* 5. *ejuſdem Operis imperfecti cap.* 6.: *Lib.* 6. *cap.* 20.: & *Lib.* 1. *de Nupt. & Concup. capp.* 23., & 24.; ubi Pueros illos

damnabili Diabolo ſubjugatos, *&* *reos Diabolum eos tenere* oſtendit, *niſi in illo renaſcantur*, *quem ſine Concupiſcentia Virgo concepit*; ſcilicet per regenerationis Sacramentum.

Nunc quàm bene ſibi ea Auguſtini Argumentatio cohæreat; quàm bellè Inſtitutum evincat, & probet, iis manifeſtum fore arbitror, qui ſingula Capita minutatim expenderint. Stat enim imprimis inconcuſſum Principium, cui tota nititur Argumentatio; Parvulos ſcilicet Originali peccato detentos a Diabolo poſſideri, ejuſque tyrannidi traditos eſſe. Id evincunt imprimis Exorciſmi, & Inſufflationes illæ, quibus a ſacris Miniſtris eventilantur antequam ſacro Baptiſmate initientur, ut ab eis immundus Spiritus abigatur. Leguntur iſtiuſmodi Inſufflationum, & Exorciſmorum formulæ in Rituali Romano, quæ Diabolum in Parvulorum Animabus, tanquam in proprio domicilio, inhabitare plus ſatis innuunt: *Exorcizo te immunde Spiritus*, inquit Sacerdos, *in nomine Patris*, *&* *Filii*, *&* *Spiritus Sancti*, *ut exeas*, *&* *recedas ab hoc famulo Dei* . . . . . *Ipſe enim tibi imperat*, *maledicte damnate*. Et poſt pauca: *ergo*, *maledicte Diabole*, *recognoſce Sententiam tuam*, *&* *da honorem Deo vivo*, *&* *vero*; *da honorem Jeſu Chriſto Filio ejus*, *&* *Spiritui Sancto*: *&* *recede ab hoc Famulo Dei*; & alia id genus multa, quæ, ne vos plus nimio deterream, mitto lubens.

Hoc idem Auguſtini Principium, Parvulos ſcilicet ſub Diaboli tyrannide detineri, evincit Concilii Tridentini Definitio *Seſſ.* 5. *de peccato Originali*; ubi tria ex Adami peccato, quo Parvuli illi detinentur, conſectaria eſſe decernit: *Iram*, *&* *Indignationem Dei*; *Mortem*, quam antea illi comminatus fuerat Deus; & cum Morte *Captivitatem* ſub Diaboli poteſtate. Hinc vulgatum illud Apoſtoli Oraculum, quo omnes Homines ex uno Adami peccato Diabolo traditos docet, etiam obſignato Chirographo; *ad Coloſſ.* 2.: *Conſepulti ei* [Chriſto] *in Baptiſmo* . . . . *delens*, *quod adverſus nos erat*, *Chirographum decreti* . . . . *Et exſpolians Principatus*, *&* *Poteſtates*. Et ejuſdem *Epiſtolæ cap.* 1.: *Qui eripuit nos de poteſtate Tenebrarum*, *&* *tranſtulit in Regnum Filii dilectionis ſuæ*. Et expreſſiùs *ad Hebræos cap.* 2.: *Ecce ego* *&* *pueri mei*; *quos dedit mihi Deus*. *Quia ergo pueri communicaverunt carni*, *&* *ſanguini*; *&* *ipſe ſimiliter participavit eiſdem*: *ut per mortem deſtrueret eum*, *qui habebat mortis imperium*, *ideſt Diabolum*: *&* *liberaret eos*, *qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti*.

Jam eo firmiter ſtatuto Principio, plana, apertaque eſt prima Auguſtini illatio ex eo derivata: Pueros ſcilicet æternùm ſub Diaboli captivitate manſuros. Si enim ob Originalis peccati maculam

jus

jus in eos, ac tyrannidem Diabolus obtinet in hacce Vita, tandiu tyrannidem perdurare neceſſe eſt, quàmdiu eis adhærebit Originis macula. Quis porro neget, perpetuò illis maculam adhæſuram, quibus nunquam Baptiſmatis Sacramentum, quo uno abſtergi illa poteſt, conferendum eſt?

Porro perpetua Dæmonis in Parvulos illos tyrannide poſita, perpetua captivitate, ac poſſeſſione ſemel admiſſa, quis neget, illos a tam crudeli Tyranno pœnis perpetuis afficiendos eſſe; cùm vel hæc ſola captivitas graviſſimæ pœnæ loco haberi debeat? Pone E. G. Principem aliquem Filios Subditi alicujus non ſolùm exſilio multare, & paterna etiam Hæreditate privare; ſed illos quoque Tyranno cuipiam in mancipia divendere, non exigua ſanè eſſet poſtrema illa captivitatis pœna. At nulla pejor, nulla acerbior, nulla atrocior captivitas fingi poteſt, quàm quæ ſub tyrannide Diaboli ſuſtinetur. Hinc carceribus, locisſque tenebricoſis Parvuli detinentur, vaſa contumeliæ, & ignominiæ in domo Diaboli computantur, de ejus Familia numerantur; & quod omnium ſenſibilium malorum compendium eſt, ſecundæ Mortis pœnam eluunt: *Aut ſi Evangelicis vocibus* [inquit Auguſtinus *Lib. 1. contra duas Epiſt. Pelagian. ad Bonifacium cap. 22.*] *cogimini confiteri, nec vitam ſalutemque poſſe habere Parvulos de corpore exeuntes, niſi fuerint baptizati; quærite cur compellantur non baptizati ſecundæ Mortis ſubire ſupplicium, judicante illo; qui neminem damnat immeritum; & invenietis, quòd non vultis, Originale peccatum*. Quid porro ſecundæ Mortis nomine intelligendum veniat, declarat dilectus Diſcipulus *in Apocalyp. cap. 20.*: *Et Infernus, & Mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt Mors ſecunda. Et qui non inventus eſt in Libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis*. Vultis aliquid apertius, aliquid luculentius?

Quid ad hæc verò miſericordes, ac pii, ut videri quidem volunt, recentiores Theologi, quibus diſplicet Auguſtini Sententia? Catharinus præ cæteris ingenioſus [ne quid aliud dicam] & in obtrudendis Paradoxis admodum liberalis, Parvulos non ablutos in hac quidem Vita ſub Diaboli poteſtate degere profitetur: at eoſdem illos ab ea tyrannide liberandos ait in die Judicii; ut nihil juris deinceps Diabolus in eos obtineat. Catharini, tametſi Prædicatorum Ordinis Profeſſoris, calculum flocci facio; utpote quem ob nimiam novandi libidinem a Schola Thomiſtica rejectum novi; & de quinquaginta Propoſitionibus a communi Theologorum Sententia peregrinis a quodam Ordinis Prædicatorum Magiſtro magnæ urique exiſtimationis, ut ipſemet innuit in Libello infra notando, accuſatum coram Paulo III. anno 1546., dum ad Epiſcopatum Minoricenſem deſignatus eſt. Et quidem hæc ejus Reſponſio,

ſio, ut eruditè notavit Bellarminus, a Viro Catholico defendi minimè poteſt. An enim Parvulos in extremo Judicio baptizandos opinatur Catharinus? Aut ab Originali peccato novo quodam Divinæ Gratiæ portento liberandos; ut jus in illos Diabolus amittat, & fatale Chirographum deleatur? Id ſi velit, Theologiæ monſtrum invehit Catharinus. Quæ etenim Synodi, qui Patres talia ſomniarunt? Si autem tunc etiam peccatum Originale illis adhæſurum arbitratur [ut debet, ſi vult eſſe Catholicus] dicat, qua ſorte in hacce præſenti Vita, [quæ Divinæ ultionis tempus non eſt, ſed patientiæ, qua Deus vaſa iræ ſuſtinet] ſub Diaboli tyrannide Parvuli detinentur Originalis peccati demerito; & ab ea tyrannide in die ultionis & iræ ſint liberandi. Aliter profectò ſentit D. Fulgentius *Lib.* 1. *de verit. Prædeſt. cap.* 14. *Cauſſa verò* (inquit) *Majorum, atque Minorum, qui ſine Baptiſmate curſum vitæ præſentis infidelitate conſummant, quantum attinet ad communionem Originalis peccati, una eſt: Ex hac utrique ibunt in ignem æternum; qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus; quia in eis Chirographum, quo ſibi eos Deceptoris nequitia ſubdidit, Salvatoris Gratia non delevit.* Quo quidem nihil ad Catharini Figmentum exſufflandum; nihil ad Auguſtini Sententiam confirmandam, ac muniendam luculentius afferri poteſt.

Idcirco Alii melius conſulti aliò confugiunt, ut Auguſtiniani Momenti vim, ac robur elidant. Reponunt quippe Nonnulli, Parvulos ſub Diaboli poteſtate detineri, nihil aliud ſignificare, quàm eſſe illos Peccatores. At id tam falſum eſt, quàm quod maximè. Imprimis enim aliud longè ſonat Peccatorem eſſe, aliud eſſe Captivum: Captivitas enim peccati ſtipendium eſt, ac neceſſarium conſectarium: ſicut ſi quis Princeps Subditum ob crimen aliquod in Tyranni alicujus poteſtatem traderet. Quanquam autem quicumque Peccatores aliquo ſenſu ſub Diabolo eſſe dicantur, peculiari tamen, ac ſpecialiori quodam jure ſub ejus poteſtate dicuntur eſſe, qui Originali peccato tenentur. In hos enim velut in propria Mancipia jus plenum, & integrum Diabolus habet. Ii a Diabolo per inhabitationem verè poſſidentur: unde & Exorciſmis, & Exſufflationibus immundum Spiritum abigere neceſſe eſt, antequam baptizentur. Quorſum autem Spiritus immundus abigeretur, niſi eſſet intus in Parvulis? Quibus tamen Exorciſmis, & Exſufflationibus Eccleſia non utitur ad abſolvendum Peccatorem vel omnium peſſimum; ſed tantùm in ſanandis Energumenis, qui per veram inhabitationem intus a Diabolo poſſidentur. Diſcriminis hujus ratio eſt, quia Peccatores, quos ſacri Baptiſmatis Unda tetigit aliquando, de Chriſti Familia deputati fuere; ratione Baptiſmatis de corpore Eccleſiæ ſunt, ſi Fidem habent, aut certè ſub-

ſubduntur Eccleſiæ, ſi Fide carent per Apoſtaſiam vel Parentum, vel propriam. Eccleſiæ verò Caput eſt Chriſtus. E contra, qui Originali peccato detinentur nondum abluti, nunquam in Chriſti Familiam translati fuere; nunquam inter ejus Membra computati ſunt; atque idcirco integrum in eos dominium, jus plenum Diabolus obtinet; non ut illos nunc ſenſibili obſeſſione, velut Energumenos, in corpore torqueat; ſed ut jure Capitis, ac Domini illos inhabitet, donec Exorciſmis nefarius Princeps alligetur, mittaturque foras, ut in Chriſti poſſeſſionem Mancipia transferantur. Expreſſit id eleganter Gelaſius Romanus Pontifex *in Epiſtola ad Epiſcopos per Picenum conſtitutos : Unde cùm de propriis actibus nullo reatu teneatur obſtrictus* (Infans) *nihil reſtat, niſi ut ſola ſit vitioſa nativitate pollutus; & ſi non fuerit Myſterii Chriſtiani participatione mundatus, ad vitam non poteſt pervenire perpetuam. Hinc eſt, quòd exſufflantur, & catechizantur Infantes : & quia in opere Dei, quòd in Authore ſuo bene ſunt inſtituti, opus Diabolicæ malignitatis acceſſit, eruti de poteſtate tenebrarum, ſicut docet Apoſtolus, ad Filii Dei ſortem, purgationemque legitimam transferuntur.*

Reponunt Alii, ut Auguſtini Argumentum effugiant, Parvulos non ablutos quodammodo ſub Diaboli captivitate, & ſervitute detineri, quatenus Diabolus ex Originali peccato poteſtatem obtinuit tentandi Genus Humanum. At ii profectò neſciunt, quid ſibi velint. Quorſum enim imprimis aſſuitur ab eis particula illa *quodammodo?* Ut quid temperamentum additur, quod nec Concilia, nec Patres, nec Pontifices adhibuere? Sic ſanè *fallaci illo ſermone* (ut Auguſtini verbis utar *Lib. 6. Operis ultimi contra Julianum cap. 20.*) *minuunt vires ejus*, nempe Diaboli, *quem dixit Veritas fortem, Errore eum faciunt ad obtinendos Parvulos fortiorem.*

Quorſum etiam Parvulos non baptizatos eo duntaxat ſenſu ſub Diaboli poteſtate poſitos dicunt ob Originale peccatum, quia Diabolus poteſtatem inde obtinuit tentandi Genus Humanum? Id certè ineptum plane videtur. Quandoquidem Pueros in hac Vita tentare nequit, cùm nihil illi velle, aut nolle poſſint : & e contra Hevam tentare potuit, tentavitque re ipſa, quæ tamen ſub ejus poteſtate non erat. Aliud ergo eſt Dæmonis imperium, illi Originalis peccati jure aſſertum; aliud Homines tentandi facultas. Quid etiam, quod Homines Sanctos quotidie tentat? imò & omnino innocentes, antequam ſcilicet peccatum ullum admiſerint; ut nonnunquam contingit in ipſo primo Rationis uſus inſtanti; in quos quidem imperium exercet nullum? Quid quod & Chriſtum tentare permiſſus eſt; in quem profectò nec imperii, nec

juris

juris cujuſvis vel umbram aliquando habuiſſe, certiſſimum eſt? En quàm futilis illa ſit, quàm incongrua recentium quorundam Theologorum Reſponſio, veriùs dixerim, ineptiſſima Cavillatio.

Erit fortaſſis, qui pari inſulſitate reponat, Dæmonem exercere quidem tyrannidem ſuam in Parvulos illos in præſentia, eamdemque perpetuò duraturam; verùm non eſſe idcirco conſequens, ut illos valeat ad arbitrium torquere, & quibuſcumque libuerit pœnis afficere. Ita profectò, ita ſit: neque etenim nos contendimus, ut illos pro ſuo libito torqueat; alioquin Tyrannus truculentiſſimus, modum neſciens, ultra Juſtitiæ debitum eoſdem multaret, atque torqueret. At nihil ab eo torqueri illos, liberalius eſt, quàm ut poſſimus admittere. Cur enim illos tam immani Tyranno in pœnam Deum tradidiſſet, ſi nihil affligi ab ipſo poſſent? Si nullam ii miſeriam, incommodum nullum ſub ea tyrannide paterentur? Quare *duram*, *miſeramque ſervitutem* eam Patres ubique paſſim appellant; maximè verò Auguſtinus *Lib.* 14. *de Civit. Dei cap.* 15. Demus itaque, non omnia Dæmonem in eoſdem exercere poſſe ſupplicia: quis tamen ita deſipiat, ut nihil illum exercere dicat, cui & feriſſima ineſt Indoles, & in Humanum Genus odium implacabile, & mille nocendi artes præſto eſſe, experientia ipſa quotidie teſtatur?

Verùm & hæc omnia ultro permittamus: demus, ſi volunt, Dœmonem Pueros illos ipſius tyrannidi ſubjugatos nullis novis pœnis afficere, nullis extraneis ſuppliciis affligere; an non ſola ipſa ſervitus pœna erit, eaque præter modum ſenſibilis, moleſta, graviſſima; tametſi alia nulla exinde mala ſuccreſcerent? An non, quæſo, Dei Imagini contumelia erit, atque ignominia, & quidem intolerabilis, atque adeo ſenſibilis pœna, ſub Diaboli tyrannide detineri? An non pœnæ ſuppliciique genus erit, carceribus, lociſque tenebricoſis perpetuò concludi, ubi veluti ſtipites nec videre, nec olfacere, nec guſtare quid poſſint, cùm propriis Corporibus eorum Animæ conjungentur? An non gehennæ loco, & quidem moleſtiſſimæ, habenda erit ſocietas Dæmonum? Niſi fortè quis ita deſipiat, ut illam ſuavem, & gratam velit eſſe. At mitiores profectò ſumus, quàm æquum ſit, ſi nulla putamus eſſe hujus tyrannidis conſectaria. Imò hoc primum, ac velut indivulſum eſſe volunt Eccleſiæ Patres; illos æternis cruciatibus, & interminabili incendio unà cum Tyranno ſuo deputari. Quod in Sequentibus, congeſtis Veterum Teſtimoniis demonſtrabimus; ne unus, ut perperam Aliqui putant, Auguſtinus in ſeveriorem illam Sententiam deſcendiſſe videatur.

PRÆ-

PRÆLECTIO VIII.

D. Auguſtini Sententia de pœna Senſus Pueris ſine Baptiſmo decedentibus infligenda cæterorum Patrum Authoritate confirmatur.

QUANQUAM ſit illud D. Auguſtini in Eccleſia Catholica Nomen, ut nulli calumniæ Sententia illa patere poſſit, quam ab eo vindicatam fuiſſe conſtiterit; ne tamen in ea, quam hactenus agitavimus, Controverſia de ſenſibilibus Puerorum ſine Lavacro decedentium pœnis ſolus Auguſtinus ita ſenſiſſe videatur; cæterorum Eccleſiæ Patrum Suffragationem advocandam exiſtimavimus. Erit id Cauſſæ, quam hucuſque vindicavimus, opportunum; ut ſua tandem præjudicia deponant plerique Theologi recentiores; qui, ſi in Patrum Voluminibus evolvendis tantum ſtudii, atque laboris poſuiſſent, quantum in congerendis Dialecticarum Inſtitutionum Argutiis impenderunt, D. Auguſtini Sententiam non adeo deſpexiſſent; nec Pueros ſine Lavacro ſublatos a pœna ſenſuum tam liberaliter abſolviſſent.

In qua quidem obeunda provincia, ne actum reagere videamur, non morabimur hic Romanos Pontifices Cæleſtinum, ac Gelaſium; quorum grandia Nomina in Auguſtinianæ Sententiæ præſidium jam appellavimus; venerandos Carthaginenſis Synodi Patres, quorum Suffragia jam pridem attulimus, miſſos etiam faciemus; ut ad ea nos revocemus veterum Patrum Oracula, quorum nullam hactenus in hacce præſenti Concertatione mentionem ingeſſimus.

Prodeunt primi in ordine, ſeu veriùs turmatim confluunt D. Auguſtino ſuffragaturi Epiſcopi Africani numero quindecim in Sardiniam vertente ſæculo VII. ob Fidei Confeſſionem relegati; qui a nonnullis Monachis de Chriſti Gratia Sententiam rogati Librum de Incarnatione, & Gratia communi conſilio ediderunt, ut ad Interrogata ſatisfacerent. Extat Liber ille inter Opera S. Fulgentii Ruſpenſis Epiſcopi, qui in eo exarando publicus Collegarum ſuorum Amanuenſis extiterat. Porro in trigeſimo hujuſce Voluminis Capite Pelagianorum adverſus Eccleſiam obmurmurationem proponunt ſanctiſſimi Præſules Africani his verbis expreſſam: *Quomodo Infantibus, qui baptizantur, & in eadem infantia moriuntur, donat* (Deus) *æternam Salutem, quorum bonam nec expectat, nec invenit Voluntatem? Item quomodo alios ſine Baptiſmate mor-*

tuos æternis cruciatibus damnat (notate verba) *cùm in eis nullam culpam malæ Voluntatis inveniat?* Ita nimirum de Catholicorum Doctrina querebantur Pelagiani; iniquum ſcilicet reputantes, ut æternis cruciatibus damnentur Parvuli ſacro Baptiſmate non abluti.

Quid ad hæc porro reſpondent Africani Præſules? An fortè negant, Parvulos ſine Baptiſmate mortuos æternis cruciatibus condemnari? Certè tempus erat, ut id reponerent, ſi vulgarem, quæ paſſim in Scholis nunc volitat, Opinionem ebibiſſent: nihil enim commodius occurrere poterat, ut Obmurmuratoribus ora præcluderent. At e contra, Pueros æternis cruciatibus torqueri reponunt; nec tamen idcirco Deum injuſtitiæ argui poſſe: *Nonne iſtos* (Reſponſio illorum eſt) *inimicos Gratiæ, nec defenſores humani, ſed deceptores arbitrii, ad hoc ſua perverſitas cogit, ut Deum putent iniquum in obitu omnium Parvulorum, ubi nulla interveniente vel bonitate, vel malitia Voluntatis alios vident potiri Regno, alios interminabili deputatos incendio?* En Pueros Sacro Baptiſmate non ablutos interminabili incendio deputatos agnoſcunt.

Quid ad hæc Recentiores? Quam quæſo huic Oraculo diſtinctionem accommodabunt, ut ejuſdem Authoritatem elidant? An fortè *interminabilis incendii, & æterni cruciatus* nomine intelligendam inquient Divinæ Viſionis privationem, ac præterea nihil omnino? Feſtiva profectò interpretatio illa foret, ac bella quidem; pro qua tuenda novam Grammaticam cudere neceſſe ſit; quæ nativam verborum poteſtatem immutaret. Sed & ſuam ſuorumque Collegarum Sententiam clariùs adhuc expreſſit idem ille S. Fulgentius *cap. 14. Lib. 1. de verit. Præd. & Gratiæ*: *Cauſſa verò*, inquit, *Majorum, atque Minorum, qui ſine Baptiſmate curſum vitæ præſentis in infidelitate conſummant, quantum attinet ad communionem Originalis peccati, una eſt: Ex hac utrique ibunt in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus, quia in eis Chirographum, quo ſibi eos Deceptoris nequitia ſubdidit, Salvatoris Gratia non delevit.* Sic ſanè, quod alio in Libro *interminabile incendium*, æternumque cruciatum vocaverat, ignem hìc Diabolo, & Angelis ejus præparatum appellat; ignem, inquam, quo ſimul Infideles cæteri cruciantur: in quem tamen Parvulos ſolo Originali peccato detentos ituros pronunciat; ut nulli plane Cavillationi locus ille jam pateat.

Inveni tamen, qui nodum adhuc in hoc ſcirpo quærat, Virum, inquam, de Schola Subtili (*Macedo*) qui aſſerit: *ituros Parvulos in ignem quidem ex hoc loco liquet; ſed an illum ſint perpeſſuri, non liquet.* Verùm inquio ego: quorſum irent, illucque uti maledicti mitterentur, niſi ut arderent? An fortè illos in ignem mitti putat, ut ludos ibi, & choreas agant; ut equitent in arundine longa?

longa? Sed & hanc etiam vanæ ſubtilitatis Argutiam occupavit SS. Pater, dum ait, *eos interminabili incendio deputari*. Incendium quippe non ignem duntaxat ſonat, ut ita dicam, otioſum; ſed in ſubjectam materiam agentem. Quid etiam quod ſtatim ibidem ſubjungit Fulgentius: *reddet unicuique* (Deus) *ſecundùm opera ſua: ut non ſolùm pro Originali peccato æternis ignibus ardeant, quibus arſuri ſunt ſine Baptiſmate morientes etiam Parvuli, qui nihil boni, aut mali egerunt: ſed etiam pro ſua Voluntate mala tantò deteriùs torqueantur*, (Adulti) *quantò amplius propriæ iniquitatis adjiciunt?* In iis ergo æternis ignibus ardent Parvuli, quibus torquentur Adulti, judice S. Fulgentio, tametſi Adulti multo plus ardeant, qui mala propriæ iniquitatis adjiciunt. Si autem ardent Parvuli, ignem utique perpetiuntur. Ex quo pariter videas, quàm ſit futile, quod Alexander Alenſis effutit, Pueros illos ituros in ignem *ratione tenebroſitatis, non ratione ardoris, & aduſtionis*: hoc eſt, Pueros non arſuros, nec aduſtionem paſſuros, ſed tenebras tantùm: cùm contra arſuros illos, & interminabile incendium perpeſſuros affirmet D. Fulgentius.

Quid plura? Uſque adeo primis temporibus in Eccleſia Africana certum erat, Pueros ſacro Baptiſmate non ablutos in Inferis pœna ſenſibili caſtigari, ut id inter Fidei Dogmata haberetur. Res in propatulo eſt. Cùm etenim S. Fulgentius a Petro Diacono Viro longè doctiſſimo rogatus eſſet, ut brevem Catholicæ Fidei Synopſim ederet adverſus Hæreſes toto pene Oriente graſſantes, quadraginta Dogmata ad Fidem Catholicam attinentia in Librum retulit, cui titulum dedit *de Fide ad Petrum*. Horum autem Dogmatum vigeſimum ſeptimum his verbis expreſſit: *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, non ſolùm Homines jam ratione utentes, verùm etiam Parvulos, qui ſive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, ſive cùm de matribus nàti ſine Sacramento Sancti Baptiſmatis, quod datur in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti, de hoc ſæculo tranſeunt, ignis æterni ſempiterno ſupplicio puniendos: quia etſi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, Originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione, & nativitate traxerunt*. Quæ verba Lectore duntaxat indigent, non Interprete; ut Omnes intelligant, Africanam Eccleſiam Auguſtini Sententiam de ſenſibilibus Infantium pœnis non modò tenuiſſe; verùm etiam inter Fidei Dogmata recenſuiſſe. Adeo ſcilicet procul aberant a recentium Theologorum Opinatione, qui Parvulos tam liberaliter a ſenſibilibus pœnis abſolvunt.

Sed ab Africa tranſeamus in Palæſtinam. Præiverat non modò D. Fulgentio, ſed & D. Auguſtino in ejuſdem Dogmatis aſſertionem S. Hieronymus, qui in Palæſtina cum Pelagio, veluti collato

 pede,

pede, certavit. Edidit ille *Dialogos* contra eumdem Hæreſiarcham; in quibus ſub nomine Critobuli Pelagium, ſub nomine verò Attici Virum Catholicum colloquentes induxit. Itaque in fine Libri tertii hæc objicit Pelagianus Interlocutor: *Oro te; quid Infantuli peccavere? Nulla eis delicti Conſcientia computari poteſt, nec ignorantia; qui juxta Jonam Prophetam manum dexteram neſciunt, & ſiniſtram. Peccare non poſſunt; & poſſunt perire? Genua labant, vagitus verba non explicant, balbutiens lingua ridetur, & tamen æternæ miſeriæ cruciatus miſeris præparantur?* En Pelagianus Interlocutor exprobrat Catholicis, veluti quid abſurdum, Puerorum in alia Vita miſerias, & cruciatus: perſpicua verba ſunt, ut cavillari nemo poſſit. Neque verò exprobrare Catholicis potuiſſet, quòd Pueros illos pœna Damni, & Exſilii a Regno Cæleſti multarent; nam & ipſimet Pelagiani eodem illos Exſilio condemnabant: de pœna Senſuum Quæſtio vertebatur, de cruciatibus, miſeriiſque ſenſibilibus, ut verba ſonant. Quid ergo reponit Hieronymus? Seu qui Catholici partes agit in eo Dialogo? An fortè quod Scholaſtici nonnulli reſpondent: *non eſt hæc Eccleſiæ Sententia, ſed crudelitas?* Haudquaquam: ſed, eâ Sententiâ ſilentio omnino prætermiſsâ, ad Originale peccatum ex Apoſtoli Authoritate probandum tranſit: ut nimirum hinc quiſque intelligat, eos æternæ miſeriæ cruciatus, qui Pelagianis injuſti videbantur, juſtè a Deo etiam iis, *qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*, infligi.

D. Hieronymo dat manus S. Gregorius cognomento Magnus *Lib. 9. Moral. cap.* 21. exponens verba illa Jobi *cap. 9.*, *Multiplicabit vulnera mea etiam ſine cauſſa*: quæ quidem Parvulis accommodat ſine Baptiſmate decedentibus; quibus in altera Vita vulnera multiplicantur ſine cauſſa, propria videlicet perſonali, quamvis non ſine cauſſa aliena, quæ tamen Naturæ facta fuit propria: *Quos*, inquit, *quia a culpa Originis Sacramenta Salutis non liberant: & hîc ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta perveniunt. Quibus unum vulnus eſt, corruptibiliter naſci; aliud carnaliter emori. Sed quia poſt mortem quoque æterna mors ſequitur, occulto eis, juſtoque judicio etiam ſine cauſſa* (perſonali) *vulnera multiplicantur. Perpetua quippe tormenta percipiunt & qui nihil ex propria voluntate peccarunt.* Et poſt pauca ſubdit idem SS. Pontifex: *Ait ergo*: in turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea etiam ſine cauſſa: *ac ſi apertè Humani Generis damna conſiderans dicat: diſtrictus Judex qua eos animadverſione trucidat, quos culpa propriæ actionis damnat; ſi & illos in æternum percutit, quos reatus arbitrii non addicit?* En plane Pueros ſacro Baptiſmate non ablutos perpetuis tormentis addictos,

dictos, & in æternum percuſſos. Quis id ad ſolam Divinæ Viſionis privationem detorqueat, niſi verborum ſenſum omnino neget, ut ineptas, & inconditas diſtinctiunculas ſine criterio procudat, nobiſque feſtivè propinet?

Veniat jam ex Hiſpaniis S. Iſidorus Hiſpalenſis Antiſtes. Is certò certius in hoc idem Auguſtini Dogma velis, remiſque pergit *Lib.* 1. *Differentiarum Differ.* 26. circa finem, ubi hæc habet: *Illud tamen tenendum eſt, Parvulorum Animas nexu peccati Originalis eſſe adſtrictas; quæ niſi percipiant Baptiſmatis Sacramentum, Regni Cæleſtis participes eſſe non poſſunt; ſed cum carne & commune habebunt peccatum, & pari judicio damnabuntur in ignem æternum.* Præterea *Lib.* 1. *Sentent. de Baptiſ. & Commun. cap.* 24.: *Pro ſolo*, inquit, *Originali reatu luunt in Inferno nuper nati Infantuli pœnas, ſi renovati per Lavacrum non fuerint. Proinde Adæ cauſâ nuper natus Infans, ſi non regeneratur, damnatur: quia Originis noxietate perimitur.* En quomodo hic pariter Parvulos illos, quos ſine Baptiſmo, nullâ eorum cauſâ, decedere contigit, ad ignem æternum damnatos, & in Inferno luere pœnas auditis. An hoc porro nil aliud cum Theologis recentioribus ſignificare aſſeremus, quàm Divini conſpectus privatione multari Parvulos, & nihil ultra? Si ita ſit, quæ tanta apud Patres verborum, & vocum inopia erat, ut eam Dei privationem ex nomine ſuo ſignificare nequirent; eaſque perpetuò loquendi formulas uſurparent, quæ rem toto Cælo diverſam exprimerent? Sed, ut fatear bona fide quod ſentio, novâ Grammaticâ Theologis iſtis eſt opus, ut Patrum Sententias, & Oracula ſuis accommodent Opinationibus. Verùm & id obſervare non pigeat, Iſidorum in primo laudato Loco duo ſatis apertè diſtinxiſſe; Regni nimirum Cæleſtis privationem, *Regni Cæleſtis participes eſſe non poſſunt*, & ignis æterni pœnam, *pari judicio damnabuntur in ignem æternum*. En utrumque de Parvulis a S. Præſule pronunciatum.

Hiſpano Gallus etiam ſuffragatur; S. ſcilicet Iſidoro S. Prudentius Tricaſſinus Epiſcopus *Lib. de Prædeſtin. cap.* 16.: *Punitio*, inquit, *bifariam dividitur; & nunc in abſolutione Animæ a ſuo Corpore, comparata hujus primæ prævaricationis merito, quod ab ipſa radice in omne Poſteritatis ejus Genus transfuſum, atque innatum eſt; & poſtmodum in gehenna, quæ tam hujus, quàm aliorum multiplicitate criminum libidinoſa perverſitate contractorum acquiſita eſt.* (in Biblioth. Max. Vet. PP. Edit. Lugdun. Tom. 15. pag. 550.) Nimirum gehennam tam Originalis, quàm Actualis peccati perverſitate acquiri docet eo loci Prudentius Epiſcopus. Si ergo gehennæ nomine ſolam Damni pœnam indigitari putant Theologi quidam recentiores, (quod tamen neſcio, an ipſa verborum

vis patiatur) ſolâ etiam pœnâ Damni Actualia peccata puniri neceſſe erit. Sed & hoc Effugium feliciùs præcluſit Prudentiùs ipſe verbis paulò infra ſubnexis : *Extra Baptiſmi Gratiam morientes, non ſuo, ſed Protoplaſti peccato perpetua plexione damnantur.* Niſi enim mea me Grammatica fallat, plexionis vocabulum pœnam ſenſibilem Corpori inflictam, qua Homo plectitur, neceſſariò ſignificat, cùm plexio a plectendo dicatur.

Claudit Patrum agmen, ut alios prætercam, S. Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus, ne & Angliæ ſuppetias Auguſtino deeſſe quis putet. Is etenim *Lib. de Concept. Virginis, & peccato Orig. cap.* 22. hæc habet : *Cùm Nemo dubitat, quia par pœna non ſequetur imparia peccata; in hoc tamen ſimilis eſt & Perſonalis, & Originalis peccati damnatio; quia nullus admittitur ad Regnum Dei, ad quod factus eſt Homo, niſi per mortem Chriſti, ſine quo non redditur, quod pro Adæ peccato debetur, quamvis non omnes pariter in Inferno torqueri mereantur. Nam poſt diem Judicii nullus erit Angelus, aut Homo, niſi aut in Regno Dei, aut in Inferno*. Plura alia hujuſmodi videnda relinquo eodem in *Libro cap.* 27. Torquentur igitur in Inferno, qui unico Originali peccato infecti moriuntur; quamvis tamen inæquali tortura, ab iis diverſa, qui Perſonalia admiſere delicta : tortura nihilominus eſt, atque ſupplicium. Eo plane ſenſu, quo ſcripſit Auguſtinus ipſe *Lib.* 1. *de Peccatorum merit. & remiſſ. cap.* 16. : *Poteſt proinde rectè dici, Parvulos ſine Baptiſmo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitiſſima futuros. Multùm autem fallit & fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros, dicente Apoſtolo*, judicium ex uno delicto in condemnationem : *Et paulò poſt*, per unius delictum in omnes Homines ad condemnationem. Id ipſum habet *Lib.* 5. *contra Julianum cap.* 11. & alibi paſſim.

Iis Patrum Dictis innixa Synodus Florentina in Definitione Fidei ſic habet: *Illorum autem Animas, qui in Actuali Mortali peccato, vel ſolo Originali decedunt, mox in Infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.*

Ecquis ergo, niſi in Patrum lectione peregrinus, & hoſpes omnino fuerit, eam Auguſtini Sententiam de ſenſibili Puerorum pœna, ſanctiſſimi Doctoris ſingularem, ac propriam appellaverit; quam non modò Africana Concilia ſuis Canonibus confirmarunt; non modò Rom. Pontifices, quos ſuperioribus Tractationibus memorabam, ſed & omnium Gentium Patres, antequam novæ a Scholaſticis Opiniones procuſæ eſſent, conſtantiſſimè tradiderunt? Fulgentius in Africa, in Sardinia exſules Epiſcopi, Hieronymus in Palæſtina, in Italia Gregorius Magnus, in Hiſpania Iſidorus, Prudentius in Gallia, Anſelmus in Anglia; & alii alibi Gentium bene mul-

multi, quorum Suffragia appellare hîc longum eſſet, ac prorſus ſupervacaneum.

Audio qui dicant, Patres tam aſperè, tam durè locutos, ut Pelagianam Hæreſim, quæ Originale peccatum de medio tollebat, deteſtabilem redderent. Sit ita verò: Ergo ne, ut Pelagianam Hæreſim deteſtabilem redderent, extremum alium Errorem procuderunt? Subjungunt, Patres duris illis loquendi formulis a me laudatis nihil aliud re ipſa ſignificare voluiſſe, quàm iſtiuſmodi Pueros ſolo Patriæ Cæleſtis Exſilio damnari. Bellum id profectò, atque feſtivum! Videndum an iſtud interpretamentum illorum verba, locutiones, ac phraſes commodè patiantur; aliàs non interpretamentum iſtud eſt, ſed commentum. Rem porro longè aliter ſe habere, plus ſatis, opinor, demonſtravimus; eaſque ab illis uſurpatas loquendi rationes oſtendimus, quas, ſi quis Divinæ Viſionis privationem interpretari velit, ſpero fore, ut & truncum, & lapidem interpretari Hominem aliquando liceat. Eos quippe Pueros interminabili incendio deputatos dicunt, æternis ardere ignibus, ignis æterni ſempiterno ſupplicio puniri, damnari ad ignem æternum, Inferni pœnas luere, torquerique cum Diabolo, & Angelis ejus, in æterna detineri gehenna, æternis cruciatibus condemnari, æternæ miſeriæ cruciatibus caſtigari, ad æterna pervenire tormenta. Iſtud ne, per fidem veſtram, ſolam æternæ Felicitatis privationem ſonat? Quorſum etiam eò tantùm collimarent Patrum phraſes, ac loquendi modi, ut unicam Damni pœnam, unicum Patriæ Cæleſtis Exſilium Pueris illis decernerent; cùm & id ultro Pelagiani ipſimet faterentur? Aerem itaque verberaſſent tot illi Hæreſeos Pelagianæ debellatores. Pelagiani quippe Chriſti Sententiam reveriti, *niſi quis renatus fuerit ex Aqua, & Spiritus S. non intrabit in Regnum Cælorum*, Pueros ipſos, quos etiam Originali peccato infectos negabant, a Regno Cælorum repellebant, niſi ſacris Undis abluerentur. *Damnas tamen* Puerum (inquiebat Auguſtinus Pelagium alloquens *Serm. 294. de Baptiſmo Parvulorum*) *quem ſeparas a Regno Cælorum. Damnas: non eum percutis, ſed in exſilium mittis.* Ut hinc videamus, Pelagianos pœna Damni, & exſilii Pueros non ablutos multandos exiſtimaſſe; ſed eò ſe recepiſſe, ut illos percutere, hoc eſt, ſenſibili pœna plectere non auderent. Aliam ergo, quàm pœnam Damni probandam ſibi ſumſerant Eccleſiæ Patres, qui eos Scriptis exagitarunt: niſi illos in hac una probanda pœna deſudaſſe velimus, quam Pelagiani ſua ſatis ſponte confitebantur.

Pudet alterum quorundam Theologorum Effugium refellere, cachinnis veriùs, ac ſibilis excipiendum, quàm ſeria animadverſione confutandum: nempe reponunt ii, laudatos Eccleſiæ Patres in recitatis antea Teſtimoniis pœnæ ſpeciem poſuiſſe pro genere; hoc eſt,

eſt, cùm Pueros ſimplìciter puniri aliquo pœnæ genere dicere vellent, relicto communi, ac generali pœnæ nomine, ſpecialia nomina *tormenti*, *cruciatus*, *ſupplicii*, *gehennæ*, *ignis æterni*, *atque incendii uſurpaſſe*, ſpeciem loco generis inſcribendo. Quid hoc eſt, rogo vos, niſi Patres novam ſibi finxiſſe Logicam, Grammaticam inauditam, ut verbis contra propriam ſignificationem uterentur? Eoſdemque ignorantiſſimos, aut imprudentiſſimos fuiſſe? Ignorantiſſimos, inquam, ſi commune, ac generale, quod uſurparent, pœnæ nomen ignorarunt : imprudentiſſimos , ſi cum probè ſcirent, alienæ tamen, ac diverſæ ſignificationis nomina uſurparunt . Certè, ſi ſic eſt, licuitque Patribus inter ſcribendum, diſputandumque pro genere ſpeciem ponere, nullum ferme erit illorum Teſtimonium, quod pari exceptione, atque ſuffugio non elidam. Si E.G. Dæmones, Reproboſque adultos æternis ignibus ardere , negare voluero; mihique quiſpiam Patrum, imò & Scripturarum opponat Oracula, quibus illos ignem pati, frequenter affirmant , quid ni perinde repoſuero, ſpeciem illos poſuiſſe pro genere; ignem ſcilicet pro pœna qualicumque, quam Dæmones, & adulti Homines patiantur; ab igne tamen longè diverſam. Si debitas Sacramentorum Materias negare voluero; aquam E. G. Materiam eſſe Baptiſmatis; oleum Materiam Extremæ Unctionis; panem triticeum, vinumque ex Vite Materiam Euchariſtiæ; mihique quiſpiam Patrum, & Scripturarum opponat Oracula, quibus hæc ipſa, uti illorum Materiæ præfiguntur; quid ni perinde reponam, Patres ſpeciem poſuiſſe pro genere; aquam pro quocumque liquore, oleum pro quacumque unctione, triticeum panem pro quovis pane, ex quibuſvis gravis confecto, aut etiam panem, vinumque pro quovis cibo, potuque dixiſſe? Imò ſi Vivens aliquod, vel Animal quodcumque ſenſitivum, Hominem appellare voluero, ineptiam excuſabo, quòd pro more, & uſu Patrum ſpeciei nomen pro generis nomine uſurpaverim, Hominemque pro Animali dixerim. Itane per fidem veſtram liceat inſanire? Appage ergo futile, ineptumque Suffugium a Theologis nonnullis excogitatum, ut diſertiſſimis, explicatiſſimiſque Patrum Dictis illuderent.

In proxima Exercitatione hoc idem Argumentum ratione Theologica pertractabimus.

PRÆ-

PRÆLECTIO IX.

Sententia de ſenſibili pœna Infantibus non baptizatis infligenda Rationibus Theologicis roboratur.

HACTENUS Sacrarum Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum Authoritate pugnavimus, ut Auguſtini Sententiam de ſenſibilibus Infantium ſine Lavacro decedentium pœnis ab Æmulorum calumnia tueremur. Nihil ab illo eo in Capite propugnatum oſtendimus, quod cum ſacris Scripturarum, ac Patrum Oraculis non apprime conſentiat; ut nulli jam patere calumniæ, ſatis ſuperque ſit manifeſtum. Verùm cùm tanta ſit Sanctiſſimi Doctoris Obtrectatorum audacia, ut eum crudelitatis præſertim incuſent, quòd Puerulos Rationis minimè compotes diris adeo tormentis, ac pœnis devoverit; facturos nos operæ pretium arbitrati ſumus, ſi Sententiam veterum Patrum Suffragio jam ſatis in tuto poſitam rationibus Theologicis muniremus: quibus perſpicuum unicuique fiat, nihil in eo Auguſtini Dogmate non humanum, nihil non juſtum, debitumque Parvulis reperiri.

Id ut feliciùs exequamur, rem totam ad prima Originalis peccati Principia revocamus: ad quæ minùs profectò attendiſſe puto Theologos illos, qui Pueros eo infectos a ſenſibilibus pœnis adeo fidenter abſolvunt. Originalis ergo peccati nomine nudam Originalis Juſtitiæ privationem intelligere nefas eſt. Hæc enim Naturæ puræ, ac nudæ debetur: ſed privationem intelligimus ex macula Animæ inhærente, ex reatu Animæ infixo conſecutam. Eſt hæc Eccleſiæ Catholicæ Fides, non ab Auguſtino duntaxat aſſerta; ſed & a Conciliis Africanis, & a Romanis Pontificibus, ac poſtremò a Tridentina Synodo luculenter expreſſa; uti in antehabitis Exercitationibus, ſi bene meminiſtis, productis Teſtimoniis demonſtravimus. Hinc Originale peccatum veri nominis peccatum eſſe, certò conſtat: peccatum, inquam, ab Adamo primùm quidem admiſſum; ſed quod unicuique noſtrûm propagatione factum eſt proprium; cujus vel unius demerito contumeliæ vaſa ſumus apta in interitum, ac ex ipſa Natura eo ſolo contagio infecta Filii iræ; ut loquitur Divinus Apoſtolus. Eo conſtituto Principio, quod nemo, niſi Pelagianus, in dubium verterit, conſecutionem intulit Auguſtinus *Tract.* 44. *in Joan.*: ſi Filii iræ naſcendo ſumus, igitur ex eo ſolo peccato, quod naſcendo gerimus, Filii

Digitized by Google

Filii vindictæ ſumus, Filii pœnæ, Filii gehennæ: atque ita Parvulis, qui eo infecti peccato rapiuntur, vindicta debetur, pœna, gehenna. An non & illa legitima conſecutio, & Auguſtini Ingenio verè digna? Si etenim ultra nudam Originalis Juſtitiæ privationem vera Pueris macula, verus culpæ reatus adhæret, adeo ut verè ſint Peccatores, eis ergo ſubinſenſus, iratus, & inimicus eſt Deus. Si iratus, & inimicus, quidni in eoſdem Juſtitiæ vindicativæ actus exerceat, pœnas ſenſibiles infligendo?

Quid ad hæc Auguſtini Oſores? Reponunt miſericordes Puerorum Patroni, ſatis abunde Iram Dei, ipſamque Juſtitiam vindicativam in Originale peccatum exerceri ſola pœnæ Damni inflictione; nec ultra oportere, ut pœna ſenſibilis Pueris imponatur. En ſolitum, tritumque Reſponſum. At tantùm abeſt, ut Auguſtini telum effugiant, qui id effutiunt; quin potius ſatis produnt, ſe Originalis peccati naturam, poſitaque Fidei Capita minùs capere. Inquio enim [idque a vobis alta mente defigi velim, unde tota Controverſia pendet] ſi Pueri cum nuda Originalis Juſtitiæ privatione morerentur [uti plane contingeret, ſi Deus in Statu Naturæ puræ Hominem condidiſſet) nec inſuper maculam, verumque reatum culpæ infixum haberent, Damni pœnam nihilominus ſuſtinerent; hoc eſt, Dei conſpectu privarentur. Id certiſſimum eſt apud omnes. Igitur ſola pœna Damni, & Viſionis Divinæ privatio nudæ Originalis Juſtitiæ privationi reſpondet. Cùm itaque Pueri ultra Originalis Juſtitiæ privationem maculam inſuper, verumque culpæ reatum infixum habeant, in quem Deus Iram ſuam, ac Juſtitiam vindicativam exerceat, novo inſuper pœnæ, & vindictæ genere affici debent. An hæc ſatis adverterint recentiores aliqui Theologi, neſcio; qui nihil in Pueris ultra nudam Originalis Juſtitiæ privationem videntur agnoſcere; maculam, & culpæ reatum, quo verè ſunt Peccatores, pro nihilo reputant; Deumque non aliter Pueros illos in altera Vita punire fabulantur, quàm ſi in puris naturalibus obiiſſent.

Sed quid hæc moror? Sibi ipſis jugulum petunt, ſuaque Principia demoliuntur, qui iſtud Auguſtini Argumento Reſponſum obtrudunt. Ira enim, atque Juſtitia vindicativa [ſi ſuis Principiis ſtare velint] ſola pœnæ Damni inflictione, ſeu denegatione Divini conſpectus exerceri nullatenus poteſt. Quid enim Juſtitiæ vindicativæ nomine venit in mentem, niſi ea Juſtitia, cujus exercitio affligitur, torqueturque Reus?

At Pueros Divinæ Viſionis negatione nec affligi, nec torqueri putant Theologi illi; eoſque nec triſtitia, nec mærore confici opinantur, ut in ſuperioribus vidimus: aut ergo Juſtitiam vindicativam in Pueros exerceri, negandum eſt; quod certè negare fal-

vâ

vâ Apoſtoli Doctrinâ, non poſſumus; aut aliud inſuper pœnæ genus excogitandum; quo Parvulos Deus multet. An non ridendus ille, qui vindicativam Principis Juſtitiam in Subditum exerceri diceret, quia eum ad Imperii Societatem, ad quam nec jus, nec proportionem ullam habet, non aſſumeret; quam nec appeteret ille, nec ambiret, imò nec noſceret? Ita plane iſti Theologi recentiores, Pueros nec æternam Beatitudinem optare, nec noſſe putant; nullum ad eam jus, proportionemque habere volunt; illius privatione nec triſtari illos, nec dolere fabulantur: & tamen, ſi Superis placet, Deum hujuſce Beatitudinis privatione ſuam in illos Iram, Juſtitiamque vindicativam exercere fidenter hariolantur. Sic certè ſuis retibus implicantur, qui Auguſtinum futilibus Argutiolis implicandum exiſtimant.

Accedit altera ratio nihil minùs efficax, quæ Difficultatem hanc totam ex ipſa radice petit. Peccatum Originale ſenſibilibus pœnis plectitur, & afficitur in hac Vita. Quotquot enim in hac miſeriæ Valle pœnarum genera ſunt, ea nos, ut infauſta Originalis peccati conſectaria, perſentimus; ipſique etiam recèns nati Pueri diris omnino modis experiuntur; Ignorantiam, Infirmitatem, Concupiſcentiam perduellem, Ægritudinem, Famem, Neceſſitatem moriendi, aliaque id genus longè multa. Quidni ergo Deus ſenſibilibus pœnis in altera Vita Originale peccatum multet? Cùm enim peccatum illud Pueris non ablutis poſt mortem adhæreat; fieri profectò non poteſt, ut cum iis mitiùs in altera Vita Deus agat, quàm in iſta ſe gerere ſolet. Quandoquidem Divinæ Ultionis tunc tempus erit, nunc Patientiæ, ac Tolerantiæ. Ita ſexcentis locis ratiocinatur Auguſtinus.

Mirum quos anfractus, quæ diverticula quærant Theologi recentiores, ut elabantur. Reſpondent enimvero Nonnulli, pœnas ſenſibiles, quas in hocce mortali Statu patimur, Originali peccato minimè reſpondere per ſe ſe, ac ratione ſui, ſed per accidens: hoc eſt; Homines in hac mortali Vita pœnas ſenſibiles perpeti non quaſi Originali peccato, uti ejus juſta flagella, debeantur; ſed quia Humanæ Naturæ conditioni debentur, dum ſibi ipſi relinquitur, & Originali Juſtitia deſtituitur. Juſtitia enim Originalis, inquiunt illi, miſeriis Humanæ conditioni debitis, quas videlicet purus Homo ſubiiſſet, eximebat: cùmque Originale peccatum Originalem Juſtitiam ſuſtulerit, per accidens miſerias iſtas induxit; quæ non tam Originalis peccati pœnæ ſunt, quam debita ſpoliatæ Naturæ conſectaria.

Quid tota illa battalogia ad præſens Inſtitutum valeat, plane non video. Demus enim totum id certum eſſe, quod in ea Reſponſione nobis venditare ſtudent, adhuc Cauſsâ caderent illi; ſta-

retque Auguſtini Ratiocinatio. Si enim pœnæ ſenſibiles, quas Pueri in hacce mortali Vita experiuntur, Humanæ Naturæ Originali Juſtitia deſtitutæ debita conſectaria ſunt; cur non Naturam illorum in altera quoque Vita conſequuntur; cùm & illic Originali Juſtitia exuta Natura maneat? Potiori quippe jure miſeriæ ſenſibiles adhærere Parvulis debent, ſi exutæ Naturæ neceſſaria conſectaria reputantur. Certè mirari ſatis non poſſum Theologorum illorum indiſcretam in Pueros miſericordiam; qui eos non modò a pœnis Naturæ impoſitis eximendos a Deo ſibi fingunt; ſed & ab iis etiam pœnis, quas ex eorumdem Naturæ conditione neceſſariò conſequi profitentur: quaſi Deus in die Iræ, atque Vindictæ Pueros non modò non plecteret; ſed novis etiam Beneficiis cumularet, ab iis illos pœnis eximens, quæ Naturam neceſſariò conſequuntur.

Sed & illud falſiſſimum eſt, quod adeo fidenter hariolantur; pœnas ſenſibiles, quas Pueri a partu recentes in hac Vita patiuntur, Originalis peccati flagella non eſſe, eidem per ſe debita, ſed Humanæ Naturæ Juſtitia Originali exutæ neceſſaria conſectaria. Quanquam enim pœnarum illarum aliquæ ſecundùm ſubſtantiam debitæ Homini puro dici poſſent; dubium profectò non eſt, quin ſecundùm modum indebitæ illi ſint, & Originalis peccati juſta flagella. Sic, tametſi morborum mortiſque neceſſitas puræ Naturæ Appendices haberi poſſent, quia contrariis Qualitatibus conſtat; tanta nihilominus frequentia morborum, ſeverior hoſtilitas, mortis horror atrocior, non Appendices profectò ſunt nudæ Naturæ, ſed vitiatæ flagella: nemoque Theologorum eſt, qui non ultro concedat, ærumnas, dolores, infortunia, afflictiones, cruciatus multò nos magis obſidere, atque opprimere, quàm nudæ Naturæ conditio poſtularet. Ea ergo Malorum major hoſtilitas inter pœnas ſenſibiles uni peccato Originali, non Humanæ conditioni debitas haberi debet.

De Ignorantia res plana eſt: tametſi enim Ignorantia, ut Theologi vocant, ſimplicis neſcientiæ Naturæ puræ conſectarium vocitetur; Ignorantia nihilominus pravæ diſpoſitionis; qua ſcilicet lubenter approbamus falſa pro veris; nonniſi pœna peccati præſumi poteſt. De Concupiſcentia perduelli quid moror? Satis aliàs me demonſtraſſe arbitror, Naturæ nudæ non eſſe debitam; ſed Originalis peccati ſatellitem. Atque illi ipſi Theologi, qui Concupiſcentiæ perduellionem nudæ Naturæ debitam volunt; ardentiorem nihilominus, ac multò magis effrænem nobis ineſſe profitentur. Ea igitur ardentior, ac magis effrænis perduellio inter pœnas ſenſibiles Originali peccato debitas computanda venit. Nihil ergo tam falſum, tam abſo-

abſonum, quàm quod illi Auguſtinianæ Doctrinæ Obtrectatores effutiunt, ut Sanctiſſimi Doctoris Argumentum effugiant; præſentis ſcilicet Vitæ ſenſibiles pœnas, non proprias Originalis peccati multas eſſe, ſed nudæ Naturæ neceſſaria conſectaria.

Tertia, eademque diſertiſſima ratio ſequitur in Auguſtinianæ Sententiæ præſidium; qua ſimul adverſæ Partis Fundamentum ad fodicationem uſque convellitur. Pœna Senſuum cum Originali peccato proportionem integram habet, non ſecus, ac pœna Damni: eam ergo Pueris ſine Lavacro ſublatis infligi, juſtiſſimum eſt. Enimvero pœna Damni in Animæ continetur; ipſa ſiquidem eſt, quæ Dei Viſione privatur; pœna Senſus maximè in Corpore exercetur: at verò Corpus Originali peccato vitiatum etiam eſt; imò Corpus peccati hujuſce veluti vehiculum reputatur; Corporiſque corruptio vitiata propagatione contracta in cauſſa eſt, cur Anima vitietur; hæc enim è Conditoris manibus ſine labe prodit; indeque fit rea, quòd Corpori per ſeminalem propagationem ex Adamo derivato, atque fœdato copuletur: ſua itaque Corpori pœna remanet non ſecus, ac Animæ deſtinata.

Scio reſponſuros Aliquos, peccatum Originale per Corpus quidem ad Animam derivari; non tamen habere rationem culpæ, niſi ſecundùm quòd pertingit ad Animam. Ita profectò; res certè ita ſe habet: at non id obeſt, quin & Carni vitiatæ ſua etiam pœna propria debeatur. Nam & ipſa Actualia peccata, quæ externo Carnis opere conſummantur, ut Homicidium, Adulterium, Actuſque quicumque venerei, rationem formalis peccati non obtinent, niſi quatenus in Anima ſedem habent, & ab Anima ſunt; nec tamen id obeſt, quominus ob ea delicta Senſibus pœna ſenſibilis infligatur: quidni quoque vitiatæ Carni pœna ſenſibilis infligetur Originalis peccati demerito, cujus ipſa vehiculum fuit, tametſi formalem peccati rationem non habeat, niſi quatenus in Anima ſedem obtinet?

Hinc cernitis, opinor, quantum a vero procul aberrent, qui ajunt, Pueros Senſu, & Corpore non peccaſſe, atque idcirco nec Corpore, nec Senſu puniendos eſſe. Quàm id frivolum, quàm a veræ Theologiæ Principiis alienum! Siquidem & pari ratione obtrudere poſſent Pelagiani, Pueros Animo non peccaſſe, cùm Rationis uſum nondum habeant; atque ita nec Animi pœnam luere illos oportere. Corpore ergo, & Animo perinde peccarunt, eodemque modo, eademque ratione; non actu quidem proprio, ſed alieno; hujuſque alieni peccati rea-

tus Corpori ſimul, & Animæ carnali propagatione factus eſt proprius. Cùm enim totum peccatum, quod Actuale fuit in Adam, in Pueris Originale ſit; adeo ut reatum ejus ex toto ſubeant Parvuli; aliunde verò in Adæ peccato voluptas Senſus in comeſtione Pomi reperta ſit; hujus etiam voluptatis ſenſibilis pœnas luit infelix Poſteritas, in quam reatus ille generatione transfuſus eſt. Addiderim, neceſſe non eſſe, Corpus peccaſſe, ut poſſit unà cum Anima pœna ſenſibili caſtigari; ſed ſatis eſſe nativam conjunctionem, quæ Corpus inter, & Animam reperitur. Unde & videmus, peccata Infidelitatis, Deſperationis, Odii Dei, Superbiæ, quæ ſolius aut Intellectus, aut Voluntatis actu, nullo Corporis accedente miniſterio, perpetrantur, ſenſibilibus etiam Corporis pœnis in Inferis caſtigari. Quin & ipſi etiam Dæmones, qui certè Senſibus non peccarunt, ſenſibiles tamen pœnas ſubeunt in Inferno, ubi & ignibus ardent, Divinæ Juſtitiæ Inſtrumentis effectis.

Neque verò Humanæ Mentis captum ſuperat ea Auguſtini Doctrina de ſenſibilibus Puerorum pœnis, modò certam de peccato Originali Fidem habeamus. Hac enim ſemel poſita Fide, ſenſibiles pœnas Pueris illis eſſe debitas, nullo negotio percipimus. Certè faciliùs intelligimus, pœnam uni debitam propter peccatum admiſſum, transferri poſſe in alterum; quàm culpam unius fieri culpam alterius: prioris enim Exempla habemus non pauca ſacris in Literis; poſterioris plane nullum, ſi unicum demas Originale peccatum: at Fide tenemus, peccatum Adæ tranſire in Poſteros non imputatione duntaxat, ſed transfuſione; ita ſcilicet, ut ſint Poſteri ex Adamo verè, ac propriè Peccatores, infecti nimirum macula, & reatu: quidni ergo capiemus, potuiſſe illæsâ Dei Juſtitiâ pœnam ſenſibilem Adamo debitam propter peccatum, in Poſteros tranſiiſſe? Sed ut liberè loquar, tota hallucinatio inde oritur, quod res iſtas penſemus oculis Carnis, non oculis Mentis, & Fidei. Audimus, Pueros illos eſſe verè Peccatores, culpæ reatu infectos; eſſe illos Deo exoſos, & inimicos; eſſe vaſa iræ, vaſa contumeliæ; quæ omnia de illis teſtatur Apoſtolus: nec ob id exhorreſcimus; eaque omnia veluti pro nihilo computamus: ubi verò audimus, Pueros illos ſenſibili pœna torqueri, excandeſcimus, frontem contrahimus, duram, crudelem Sententiam vocamus. Et tamen morali æſtimatione longè gravius eſt, Peccatorem eſſe, Deo exoſum, & inimicum, quàm quacumque pœna ſenſibili cruciari. Audimus, Pueros illos pœna Damni affici in altera Vita, Divina Viſione privari, a Deo, uti ultimo Fine, æternùm eſſe averſos; nec exhorreſcimus; quin & pœ-

& pœnam illam veluti flocci facimus : ubi verò eoſdem illos pœna Senſus affici cogitamus, ſtatim palleſcimus, duram Sententiam aſſerimus : ea tamen morali æſtimatione gravior longè eſt pœna Damni, quàm Senſus : nec dubitandum, quin ſi Pueris illis daretur optio, & fieri res ipſa poſſet, pœnis ſenſibilibus etiam omnium atrociſſimis affici mallent, modò Dei conſpectu fruerentur; quàm Dei Viſione privari, ſimulque ſenſibilibus omnibus pœnis abſolvi.

Sed tempus eſt, ut Adverſariorum Momentis ex Authoritate petitis ſatisfacere cogitemus : quod in ſequentibus, Deo dante, cumulatè præſtabimus.

Digitized by Google

PRÆLECTIO X.

Satis fit Adverſariorum Momentis ex Authoritate petitis adverſus poſitam, ac propugnatam de ſenſibilibus Infantium pœnis D. Auguſtini, aliorumque Patrum Sententiam.

PUERORUM ſine Baptiſmo decedentium Patronos, qui eos a pœna Senſuum liberaliùs abſolvunt, ad audientiam tandem admittimus. Quid pro Clientibus mutis, qui Cauſſam ſuam agere nequeunt, ex Pietatis officio ſint prolaturi, ad libram vocamus; ne ſpecioſæ miſerationis obtentu, quæ illis parcitum vellet, Divinæ Juſtitiæ, ac æternæ Veritatis Jura minuantur. Novimus enim, nihil Parvulis jam defunctis prodeſſe Theologorum in ſentiendo miſericordiam, ſi re ipſa æternis ignibus ardeant; nihil e contra eiſdem obeſſe Sententiæ noſtræ ſeveritatem, ſi fortè a pœnis Senſuum abſolvantur: multum verò obeſſe Theologis arbitramur, ſi ob inutilem erga Defunctos miſericordiam Sententias Scripturis, ac Patribus adverſas tueantur. Non enim ex affectu quodam humano, quo plerique moveri ſolent, ſed ex Sacris Oraculis de tota iſta Controverſia pronunciandum eſt: quod & hactenus feliciter, uti meminiſtis, obſervavimus. Sed ad Inſtitutum accedamus.

Pudet imprimis nonnullos Puerorum Patronos, Auguſtinum adverſarium experiri; ne apud æquos Æſtimatores actione ſubmoveantur. Nunc igitur, ſin minùs in ſuas partes omnino pertrahere, ſaltem in iſto Argumenti genere titubantem, atque ancipitem oſtendere moliuntur. Quod ut præſtent, rodunt neſcio quid ex ejus *Libro 3. de libero arb. cap.* 23., ubi admittit SS. Doctor, eum, qui nec rectè agit, nec malè, in medio quodam Statu futurum in altera Vita inter præmium, & ſupplicium. Unde colligere ſibi putant, Pueros ſacro Baptiſmate non ablutos, qui recti nihil egere, vel mali, medio quodam Statu futuros, ubi nec Cæleſti præmio perfruantur, nec æterno ſupplicio crucientur.

Mirari profectò ſubit, hamum hunc voraſſe tot Viros aliàs eruditos; qui ſi eum Auguſtini Locum paulò diligentiùs obſervaſſent, minùs ſuæ, ac Puerorum Cauſſæ prodeſſe comperiſſent; imò veriùs obeſſe multò magis. Imprimis quidem non prodeſſe, certum eſt: Hypotheſim quippe toto Cælo diverſam examinat Auguſtinus; nec de Parvulis, aut Hominibus Originali peccato fauciis diſpu-

Digitized by Google

diſputat eo loci; ſed de Homine puro, ac nudo, qualem Manichæi, contra quos agit, fabulabantur. Idque ſibi vult unum SS. Doctor, Hominem nudè ſpectatum, nulloque Originis vitio inquinatum, ſed naturali ſuæ conditioni relictum, qui neque recti quidpiam ageret, neque mali, medio quodam Statu futurum in altera Vita inter præmium, & ſupplicium: quod cùm conſtet, evenire non poſſe [eſt enim Argumentum hoc ab inconvenienti petitum] Manichæorum Dogma eſſe falſiſſimum, colligit Auguſtinus. Legat Auguſtinum quiſquis ſenſum ejus, meamque in eo referendo fidem explorare velit. Quare dum eam laſciviam Parvulis accommodant Recentiores, Auguſtini Hypotheſim evertunt; cùm Parvuli non in Natura nuda, ſed Originis vitio ſauciata naſcantur; cujus demerito fit, ut ſupplicio deputentur; tametſi nil boni, vel mali propria Voluntate commiſerint.

Sed & obeſt inſuper Parvulorum Patronis ea de Auguſtino Expoſitio tantopere jactitata. Ex hac enim præſidium aliàs quæſiere Semipelagiani, ut Auguſtino litem moverent; illumque in iſta de Parvulis Controverſia nutantem, ancipitem, ac dubium demonſtrarent. Ea de re Auguſtinum per Literas monuit S. Hilarius, dum ei Semipelagianorum obmurmurationes expoſuit, ut legitur *Epiſt.* 156. [inter Opera S. Auguſtini] ad eum data; ubi illi objicit, quod dixiſſet: *Infantem non baptizatum morte præventum non poſſe perire meritò, quoniam ſine peccato naſcitur*. Quod fortè Hilarius dixit reſpiciens ad Librum ſuperius laudatum *de lib. arbitrio*. Semipelagianorum igitur arma recudunt quicumque Auguſtinum nutaſſe, & ancipitem hæſiſſe in decernendis Puerorum pœnis, evincere moliuntur. Interim tamen quid reſponderit Auguſtinus videamus. Reſpondit *Lib. de dono perſeverantiæ cap.* 12., ſe diu olim Libros iſtos *de libero arbitrio* adornaſſe, ut Hypotheſim Manichæorum impeteret ab illa longè diverſam, quæ Pueros Originali peccato infectos aſſerit; quemadmodum paulò ante dicebam. Quibus in Libris ſubjungit: *Sic enim quando Libros de libero arbitrio laicus cæpi, præsbyter explicavi, adhuc de damnatione Infantium non renaſcentium, & de renaſcentium liberatione dubitarem, nemo, ut opinor, eſſet tam injuſtus, atque invidus, qui me proficere probiberet, atque in hac dubitatione remanendum mihi eſſe judicaret*. Quid itaque de ea Auguſtini dubitatione glorientur Recentiores, quam ſi fortè habuit, quod tamen inficior, junior duntaxat habuit; quamque tandem poſt ingentem literarum profectum excuſſit? Unde & ita concludit Auguſtinus Propoſiti, ac Sententiæ tenaciſſimus: *Abſit ut Cauſſam Parvulorum ſic relinquamus, ut eſſe nobis dicamus incertum, utrum in Chriſto regenerati, ſi moriantur Parvuli, tranſeant in æternam ſalutem; non*

non regenerati autem tranſeant in mortem ſecundam; hoc eſt, in ſtagnum ignis, ut loquitur dilectus Apoſtolus *in Apocalypſi cap.* 20. Auguſtinum ergo eo in Dogmate ancipitem fuiſſe, figmentum eſt; cùm objectam ſibi a Semipelagianis ancipitis, ac nutantis Animi accuſationem adeo viriliter, ac nervosè repulerit.

Unum eſt, de quo dubitaſſe Auguſtinum invenio: de gradu nempe, & intenſione caloris ignis, quo Parvuli torqueantur. Ecquis verò id certò definire audeat? At tantum abeſt, ut id adverſæ Sententiæ profit, quin potius magis nocet; cùm nunquam de gradu, & intenſione ignis dubitaſſet Auguſtinus, niſi igne ardere Parvulos crediſiſſet: *Quæ qualis, & quanta erit* [iſta damnatio] inquit ille *Lib. 5. contra Julianum cap.* 11., *quamvis definire non poſſim, non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli eſſent, quàm, ut ibi eſſent, potiùs expediret.* Certè ſi de damnationis gradu dubitat, illos ergo damnari ſupponit; & vera quidem damnatione, quæ pœnas ſenſibiles ſecum ferat: nam ea damnatio, quæ in nuda Divinæ Viſionis privatione poſita dicitur, gradus non habet; ut de illius gradibus dubitatio ſuboriri poſſit: privationes enim, ut Schola loquitur, *non ſuſcipiunt magis, & minùs.*

Sunt qui hæc ultima Auguſtini verba cavillentur eodem in Libro: dubitat, inquiunt, Auguſtinus, an iis Parvulis potius expediret, nunquam extitiſſe, quàm eo in Statu verſari; at ſi igne tartareo urerentur, eis certiſſimè expediret potius omnino non eſſe, quàm ibi eſſe: non igitur uruntur. Nonne iſti fruſtra Ingenium exercent, ſatiſque demonſtrant, nihil ſe in Auguſtino alicujus Momenti invenire, quo ſuas Opinationes muniant, dum verbula obiter, & oblique poſita avidè corrodunt, ut peregrinis, & detortis illationibus venari aliquid poſſint? Mirum ſane. Torqueri, atque damnari Parvulos certò ſupponit Auguſtinus: qualis autem, quantaque ſit tortura illa, atque damnatio, pronunciare non audet; numve melius ſit eis, omnino non eſſe, quàm illic eſſe. Ii verò, ſi Superis placet, ex levi illa dubitatione de torturæ, damnationiſque gradibus Argumentum arripiunt ad torturam ipſam, damnationemque confutandam. Feſtivus profectò eſt ille diſputandi modus; quo Auguſtini certa Sententia ex alia Auguſtini dubitatione confutatur. Apage nugacem diſputandi modum. Quod certum habet SS. Pater, certum habeamus; quod dubium, dimittamus; nec inde Argutiolas congeramus obliquas, & peregrinas. Dicam tamen quorſum ſubdubitaverit Auguſtinus, an non eſſe omnino Pueris illis expediret, abſque tamen Sententiæ ſuæ diſpendio. Quia videlicet dubitavit, an ignis, quo illos affligi contendit, moleſtiam duntaxat, atque dolorem illis incutiat; an inſuper illos integrè comburat. Quanquam porro certiſſimum ſit, meliùs

Par-

Parvulis fore, re ipſa non eſſe, ſi comburi ex integro exiſtimentur; dubitari tamen utcumque poteſt, an meliùs illis foret, omnino non eſſe, ſi moleſtiam duntaxat, atque dolorem ex igne perſentiant. Sed quid tandem Puerorum Advocati? Auguſtinus, inquiunt, Puerorum damnationem omnium leviſſimam, atque mitiſſimam vocat *Lib. 5. cont. Jul. cap. 11.* : & *Lib. 1. de peccator. merit. & remiſ. cap. 16.* Non ergo pœnis ſenſibilibus cruciantur. Spuria eſt illa conſecutio, & ab ipſo Auguſtino confutata eodem *Lib. 1. de pecc. mer. & remiſ.*: *Poteſt proinde*, inquit SS. Doctor, *rectè dici, Parvulos ſine Baptiſmo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitiſſima futuros. Multùm autem fallit & fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros.* Puerorum itaque damnationem leviſſimam, atque mitiſſimam vocavit inter ſenſibiles pœnas, quas Damnati in Inferis ſubeunt: leviùs enim, ac mitiùs cum Pueris agi contendit, quàm cum iis, qui Originis debito alia ſubinde ſcelera ex Voluntatis perverſitate addiderunt. Quare hæc Adultorum damnatorum comparatione dicuntur, non abſolutè; nam & ipſam ſolam pœnam Damni, qua ſaltem Pueros affici, Theologorum omnium aſſenſu certiſſimum eſt, leviſſimam abſolutè loquendo nemo dixerit; cùm ſummi Boni privationem præſeferat. Nec dubitandum, quin, ſi daretur optio, & fieri res ipſa poſſet, Parvuli Senſuum pœnis affligi mallent, modò Dei conſpectu fruerentur, quàm cum Divini conſpectus jactura ab omnibus Senſuum pœnis abſolvi.

Ab Auguſtino ad nonnullos Eccleſiæ Græcæ Patres tranſitum faciunt; quorum Suffragium implorant Puerorum Advocati. Gregorium Nazianzenum imprimis produnt, qui *Oratione 40. in Sanctum Baptiſma, Pueros nec Cœleſti Gloria, nec ſuppliciis a juſto Judice affici* docet: tum etiam Gregorium Nyſſenum, qui *Oratione de Infantibus præmatura morte ſubreptis* a cruciatibus, & doloribus omnibus eos abſolvit.

Sed hæc omnia minùs urgere fatebuntur æqui rerum Æſtimatores, modò vel leviter obſervarint, Gregorium utrumque Pelagianæ Hæreſis ortum antevertiſſe; quo necdum tempore Controverſiæ iſtæ de peccato Originali ad limam ſeveriorem vocatæ erant; nulla ad id Eccleſiaſticos Tractatores adigente neceſſitate: qui de iis idcirco obiter tantùm, ac perfunctoriè pronunciarunt. Quare ad eorum Suffragia æquo jure reponere licet, quod aliis veterum Patrum Suffragiis, quæ Auguſtino alia occaſione Semipelagiani objectare ſolebant, reponebat SS. Doctor *cap. 14. de Præd. SS. Quid igitur opus eſt, ut eorum ſcrutemur Opuſcula, qui priuſquam illa Hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſolvendum Quæſtione verſari? Quod procul dubio facerent, ſi reſpon-*

dere talibus cogerentur. Unde factum eſt, ut quid ſentirent, breviter quibuſdam Scriptorum ſuorum locis, & tranſeunter attingerent; immorarentur verò in eis, quæ adverſus alios inimicos Eccleſiæ diſputabant. Quanquam, quod attinet ad Nyſſenum, dicam præterea, illum non ex propria, ſed ex aliorum ſententia id eo loci protuliſſe; ait enim: *In prœmaturis autem nihil eſt ejuſmodi* (cruciatus videlicet & dolores) *ſed protinus eos, qui in immatura ætate ex hac vita translati ſunt* (*ſi modò vera eorum, qui ita ſuſpicantur, & credunt, opinio eſt*) *bona ſors, atque conditio excipit.* En aliorum non ſuam Opinionem illam; de qua imò dubitat ipſe, an vera ſit.

Ab iis ergo longè feliciùs repetenda venit præſentis Controverſiæ Definitio, qui poſt natam adverſus Originale peccatum Hæreſim cum Pelagianis collato pede certarunt; omneſque Difficultatis hujuſce rimas diſpunxerunt: ab Auguſtino videlicet; Innocentio I.; Gelaſio I.; S. Hieronymo; S. Fulgentio; Gregorio Magno; Africanarum Synodorum Patribus; aliiſque longè multis, quos in Superioribus in Auguſtinianæ Sententiæ defenſionem afferebamus.

Quanquam tamen utrique Gregorio, Nyſſeno ſcilicet, ac Nanianzeno reponi poſſet, illos a ſuppliciis, ac doloribus Pueros abſolviſſe, non ab omnibus quidem, ſed ab iis, quibus Adulti ſeveriùs, ac duriùs caſtigantur: ut etiam hac in parte nihil ab Auguſtino diſſentiant.

Sunt qui non ſine oſtentatione D. Ambroſii Contextum nobis opponant *Lib.* 2. *de Abraham cap.* 11. non longè a fine, ut pœnarum ſenſibilium immunitatem in Pueris non ablutis in altera Vita nobis oſtendant: *Niſi enim quis*, inquit, *renatus fuerit ex aqua & Spiritu S., non poteſt introire in Regnum Dei. Utique nullum excipit, non Infantem, non aliqua præventum neceſſitate. Habeant tamen illam opertam pœnarum immunitatem; neſcio, an habeant Regni honorem.*

Perperam tamen illi Contextum hunc jactant, quem vitiatum, corruptumque fuiſſe notant eruditiſſimi Benedictini; qui poſtremam D. Ambroſii Editionem procurarunt. Et quidem patet corruptio, atque vitiatio ipſa per ſeſe: primò enim; pœnarum immunitatem habere dicuntur non modò Pueri non abluti, ſed & Adulti, qui a ſuſcipiendo Baptiſmate aliqua neceſſitate ſunt impediti: quod nemo dixerit Orthodoxus. Secundò; in dubium ibi vertitur, an habeant Regni Cœleſtis Honorem tum Infantes, tum Adulti ſacro Baptiſmate minimè tincti; cùm contra non habere illos, Chriſtus ibidem apertè, diſtinctèque pronunciet: *Non intrabit in Regnum Cælorum.* Eſt ergo Locus ille vitiatus.

Sed age, non eſſe vitiatum Contextum illum concedamus; ſenſus tamen

tamen ejus talis eſſe poteſt, qui adverſæ Parti nihil omnino faveat; ſi nempe vim poteſtatemque voculæ hujus *opertam* pauld intimiùs attendamus. Is itaque ſenſus eſt: *etiamſi habeant illam opertam pœnarum immunitatem*: hoc eſt; *etſi illis operta, ſeu occulta ſit pœnarum immunitas, neſcio, an perinde opertum habeant Regni Honorem*. Quaſi dicat: tametſi, qui ſine Baptiſmo moriuntur, cùm Infantes, tum Adulti aliqua neceſſitate præpediti, ignorent, a quibus hujus Vitæ pœnis (quas erant ſubituri, ſi diutiùs vixiſſent) immunes fiant; non puto tamen, eos ignorare, quam fecere jacturam Honoris Regni Cœleſtis. Textus porro ita expoſitus, & ad eum ſenſum inflexus nihil noſtram Quæſtionem contingit: agimus quippe de ſenſibilibus alterius Vitæ pœnis, a quibus non eſſe immunes Pueros dicimus; Ambroſius verò de ſenſibilibus præſentis Vitæ pœnis agit; quas a Pueris ignorari (quales nempe futuræ illis eſſent, ſi diutius vixiſſent) ultro citroque concedit.

Cætera non moror, quæ Theologi nonnulli minùs obæſæ naris, & emuncti criterii venditant; dum videlicet Commentarios in Epiſtolas Pauli, qui inter Opera S. Ambroſii viſuntur, egregiè pro ſua Sententia magnificant; cùm criticis omnibus Eruditis exploratiſſimum ſit, Commentarios illos non modò non eſſe Ambroſii, ſed Ambroſiaſtri Hæretici Pelagiani, qui illos etiam putidis Hæreſibus infarſit.

Morari fortaſſis aliquem poſſet, quod legimus *Lib. 3. Decret. Tit. 42. de Bapt. cap. 3. Majores* ex Innocentio III. petitum: *Pœna Originalis peccati eſt carentia Viſionis Dei*: *Actualis verò pœna peccati eſt gehennæ perpetuæ cruciatus*: quo nihil prima fronte videtur luculentius. Certè, ſi Juriſperitos imitari hìc liceat, qui clavum clavo trudunt, & Textum unum alterius Textus oppoſitione interpretantur ac ſolvunt, rem totam facilè reſtituemus. Opponemus quippe Textum *ex 4. Diſtinctione de Conſecratione cap. Firmiſſimè*; ubi expreſsè dicitur: *Parvulos qui de hoc ſæculo abſque Sacramento S. Baptiſmatis tranſeunt, ſempiterno igne eſſe puniendos*. Unde cauſſam arripuit Cardinalis Pallavicinus Vir Juris conſultiſſimus, illos duriùs exagitandi, qui Auguſtinianæ Sententiæ temeritatis notam affingunt.

Quid etiam quod Gloſſa ad Textum illum objectum *ex cap. Majores de Baptiſmo* obſervat, Sanctionem illam *ſuperficialem eſſe*; nec videri ab ipſo Pontifice aſſertam, ſed ab aliquo, qui ei a ſecretis eſſet, ac minùs eruditus, aſſutam? Ita Viri eruditi reponunt, præſertim verò Gregorius Ariminenſis, qui ante annos ab hinc trecentos Locum hunc Innocentii III. occupavit, & exſufflavit.

Ne tamen objectam Difficultatem potius eludere videar, quàm diſſolvere, preſſiùs dico, *Caput Majores* non agere de totali, &

integra pœna, quæ utrique peccato Originali, & Actuali debeatur; ſed de ea tantùm, quæ primariò utrique debita eſt; atque adeo id ſibi vult unum, pœnam Damni Originali peccato primariò deberi; pœnam Senſus vice verſa primariò deberi Actuali peccato, tametſi ſecundariò & pœna Senſus Originali, & pœna Damni debeatur Actuali.

Id ni dicamus, ſpiſſo Errore laborabit Innocentius: quia ſicuti privationem Viſionis Dei Originalis peccati pœnam aſſerit, ita perpetuæ gehennæ cruciatum Actualis peccati pœnam appellat; adeoque tam peccatum Actuale a pœna Damni cenſeretur eximere, quod erroneum eſt, quàm peccatum Originale a pœna Senſus fingitur liberaſſe. Sicut ergo Damni pœnam non excludit in Adultis, dum gehennæ cruciatum Actualis peccati pœnam eſſe definit; ita nec pœnam Senſus excludit in Parvulis, dum Originalis peccati pœnam ait eſſe Divinæ Viſionis privationem. Quod ſi quis nobis feſtivè reponat, Ratiocinationem noſtram nihil evincere, propterea quòd poſitâ ſemel gehennæ pœnâ, & Divinæ Viſionis privationem poni neceſſe ſit, cùm repugnet, aliquem eſſe unâ ſimul beatum, & ſuppliciis afflictum; idem reponam & ego; repugnare videlicet aliquem in peccati alicujus pœnam privatum eſſe Beatitudine, Deo exoſum, Divinæ Vindictæ ſcopum, Diabolique mancipium, & unâ ſimul nullo ſenſibilium tormentorum genere cruciatum.

Unicum reſtat, quod ex Scripturis præſidium petunt; ex illis videlicet *Apocalypſis* verbis *cap.* 18. : *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum, & luctum*. Porro Parvuli nulla ſe ratione glorificaverunt, aut in deliciis fuere: nullum itaque tormentum experientur.

Verùm univerſalis non eſt illa Scripturæ Sacræ Sententia, ut ex ea pro Parvulis conſecutio duci poſſit. Quanquam enim pro menſura deliciarum, & vanæ gloriæ augendum, minuendumve tormentum ſignificet in Adultis; non tamen innuit, nullum aliis futurum tormentum, qui alio peccati genere tenebuntur: alioquin ſola peccata vanæ gloriæ, & carnalis delectationis pœnâ Senſus in Inferis plecterentur.

Quanquam & aliquo Senſu dici poteſt, Pueros in altera Vita tormenta pati, quia ſe glorificaverunt, & in deliciis fuerunt juxta phraſim Apocalypſis: in quantum Adami peccatum, quod illis transfuſione factum eſt proprium, & pro quo pœnas ſenſibiles luunt, non ſine glorificatione, & delectatione ſenſibili ab Adamo commiſſum eſt.

Cæterùm ſi quid ex Libro illo Apocalypſis ad hujuſce Controverſiæ eliquationem extundi poteſt, Parvuli potius Cauſsâ cadent,

& æt-

& æternis ignibus deputabuntur. Etenim *cap.*20. Infantes ad extremum Judicium acceſſuros ſcribit dilectus Apoſtolus : *Vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu Throni, & Libri aperti ſunt; & alius Liber apertus eſt, qui eſt vitæ : & judicati ſunt mortui*. Tum poſt pauca ſubjungit : *& qui non eſt inventus in Libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis*. Cùm ergo Pueri Sacro Baptiſmate non abluti, & ad Judicium vocati in Libro Vitæ deſcripti non ſint, in ſtagnum ignis procul dubio dejicientur.

Sed quid tandem D. Thomæ Suffragio reponemus? Certò quippe certiùs eſt, Doctorem Angelicum Pueros illos a pœna Senſuum abſolviſſe; imò & ab omni dolore, triſtitia, mœrore in altera Vita liberaſſe, uti legitur *in 2. Sent. Diſt.33. quæſt.2.* : *& Quæſt.5. de Malo art.2.*

Equidem negari omnino nequit, in eam Sententiam Doctorem SS. inclinaſſe, quæ illius ætate communior habebatur in Scholis : verùm eam, qualiſcumque tandem fuerit, retractavit, ac revocavit, velut abſurdam *Lib.3. contra Gentes cap.159.*; ubi pro abſurdo habet, *quòd aliqui Homines ſint, qui nec Beatitudinem conſequantur, nec pœnam patiantur a Deo : cujus contrarium oſtenditur ex eo, quod dicitur Matth.25. quòd omnibus in divino Judicio exiſtentibus dicetur* : Venite poſſidete paratum vobis regnum : *vel*: Diſcedite in ignem æternum. Quod tamen Abſurdum in Parvulis non ablutis certò contingeret, ſi ignis æterni pœnâ nequaquam afficerentur; cùm & ii Regnum æternum nequaquam poſſeſſuri ſint. Franciſci Sylvii celeberrimi Thomiſtæ obſervatio eſt in 1.2. *quæſt. 85. art.6.*

Jam quid ex Ratione in eorundem Puerorum gratiam proferre ſoleant Theologi recentiores, ſequenti Exercitatione expendemus, ac confutabimus.

PRÆ-

Digitized by Google

P R Æ L E C T I O XI.

Adverſariorum Momenta in Cauſſa Infantium ex Ratione deſumta expenduntur, ac refutantur.

GRAVISSIMÆ Controverſiæ de ſenſibili Puerorum ſine Lavacro decedentium pœna coronidem impoſituri, Theologorumque oppoſitum ſententium rationes in præſens confutaturi potiſſima ſubeundi oneris parte levati ſumus. Meminiſſe etenim vos oportet, quàm viriliter potiſſimam adverſæ Partis munitionem in antehabitis Diſſertationibus dimoliti ſumus, dum Senſuum pœnas Originali peccato pares, atque (ut Schola loquitur) proportionatas oſtenderemus: hoc etenim præ cæteris telo Auguſtini Sententiam impetere ſolent; quod jam a nobis obtuſum eſt; ſic ut minutiora duntaxat impræſentiarum diluenda ſuperſint; ne quid ultra deſiderari poſſit a nobis. Agedum; & quid tandem miſericordes Puerorum Patroni in Clientum ſuorum gratiam ex Ratione adferant, expendamus.

Syſtema durum, & inhumanum videri ajunt, ac Divinæ etiam Bonitati minimè conſentaneum, ut ignis æterni pœnas luant tot illi recens nati Pueri, ac de Mundo ſine Lavacro ſublati; qui propria nihil Voluntate peccarunt, ſed alienâ tantùm; quique ſorte, & miſeria ſuæ Originis Originali peccato infecti ſunt. Hæc illos ubique paſſim ſcribere, ac muſſitare videas; quibus viſis Plebecula facilè luditur. At non iis nos retibus capimur; qui eadem ipſa Momenta Auguſtino quondam olim a Pelagianis objecta, & ad nauſeam uſque refricata legimus. Quare cùm illos minimè pudeat nobis opponere, quod aliàs Gratiæ Vindici ejuſdem illius Hoſtes infenſiſſimi decantabant; quid nos pigeat, ea reponere, quæ illis ipſis reponebat SS. Doctor *Lib. 5. ultimi Operis contra Jul. cap.* 13. ? *Si autem crudele eſſe arbitramini, damnari Parvulos quos Originale peccatum trahere non putatis; crudele vobis videatur, non rapi ex hac Vita Parvulos, ſecundùm vos, nullum habentes omnino peccatum, quos Deus utique novit in multis magniſque peccatis ſine ulla in melius mutatione morituros. Nam ſecundùm ratiocinationes humanas crudelius videtur non liberare, cùm poſſit, nullis inquinatum parvis, magniſque peccatis, quàm damnare progeniem peccatoris. Porro cùm illud juſtum eſſe, qua poteſtis voce, clametis; hoc eſſe injuſtum, qua fronte contenditis?*

Certè

Certè ſi res exteriùs, & ſecundùm Senſum unicè penſitemus, non dubito, quin dura nimis ea Puerorum damnatio videatur : at ſi res Animo perpendamus, affulgente præſertim Fidei Lumine, quo Pueros illos verè Peccatores eſſe ſcimus, culpæ reatu infectos, Deo exoſos, vaſa iræ, & contumeliæ, nihil in eorum damnatione non æquum, nihil non juſtum, nihil non debitum reputabimus. Quis verò Divinæ Juſtitiæ vindicativæ, cujus in manus incidere horrendum eſt, Arcana, atque Sacraria Senſibus Carnis potius, quàm Mentis oculis penſitari oportere contendat? Profectò, ſi ſecundùm humanas ratiocinationes librare velimus omnia, videbitur etiam durum, Hominem ob unum pravum deſiderium, quod momento evanuit, damnari nihilominus in æternum; & ob unicum ſuperbiæ actum, in quo nulla Senſus delectatio fuit, interminabilibus atque atrociſſimis Senſus pœnis cruciari : & id tamen credimus, ſi ſumus Catholici, ut debemus. Quid ergo alterum impoſſibile videatur? Certè ſi rem intimiùs penſitemus, morali æſtimatione durior eſt admodum pœna Damni, quàm Senſus : nec dubitandum (quod quidem ſæpius diximus; ſed non piget repetere) quin, ſi Parvulis illis daretur optio, alterutram pœnam eligendi, potius electuri fuiſſent pœnam Senſus ſubeundam, modò Dei fruerentur conſpectu, quàm Divini conſpectus privationem, modò pœnis ſenſibilibus eximerentur. Cur ergo inhumanum, atque crudele dicamus eſſe, ſi Pueri illi pœna Senſus in altera Vita torqueantur; cùm nec inhumanum, nec crudele videatur, quòd pœna Damni, Divini ſcilicet conſpectus privatione puniantur? Tota ergo inde hallucinatio oritur, quòd res non oculis Mentis, ſed oculis Corporis penſitemus.

Succedit alterum ex humana Philoſophia petitum Sophiſma; cui non mediocriter fidunt, qui Pueros ſenſibilibus pœnis abſolvunt. Incredibile eſt, inquiunt, ob illud peccatum æterno ſupplicio multari Parvulos, pro quo nec corripi quidem, aut vituperari ullo modo poſſunt; cùm durius omnino ſit multari, quàm corripi: nemo porro pro Originali peccato corripi poteſt: ait ſiquidem Ariſtoteles *Lib.* 3. *Ethic. cap.* 1., neminem vitupero, aut correptione dignum eſſe, niſi ea faciat, quæ potuerit re ipſa non facere; quod certè Originali peccato accommodari nequit, a quo abſtinere nemini liberum eſt.

Et hoc rurſus telum in Pelagianorum Officina fabricatum eſt, ut Originale peccatum exploderent. Ac re ipſa quidem, ſi quid evinceret hæc Argutia, non modò ſupplicio non affici Originale peccatum evinceret, ſed ne peccatum quidem eſſe demonſtraret; cùm illud, ſecundùm Ariſtotelis Decreta a peccato vacet omnino, quod evitare Homo non potuit. Quid ergo? Fidem noſtram quotquot

quot Chriſtiano nomine gloriamur Ariſtotelis Definitionibus alligabimus? Aut ſecundum Statuta ejus de Eccleſiæ Dogmatibus judicabibus? Abſit. Erat hæc Pelagianorum Mens, atque Voluntas ab Auguſtino irriſa, & confutata *Lib. 6. cont. Jul. cap. 20.*; *Ad hoc enim*, inquit, *redacta eſt Hæreſis veſtra, ut gemant Sectatores veſtri, non inveniri Dialecticos Judices in Eccleſia, de Scholis Peripateticorum, ſive Stoicorum, a quibus poſſitis abſolvi.* Profectò, ſi Ariſtotelis Principiis ſtandum eſt; non ſola Senſuum pœna, ſed & ipſum Originale peccatum explodendum erit: naſcuntur enim Homines, ex ejus Decreto, tanquam tabula raſa; atque adeo nullius peccati labe vitiati naſcuntur: nec niſi Actualia peccata novit ille, ſi quæ verè novit; de Originali peccato nec per ſomnium cogitavit.

Quare Ariſtotelis Suffragio ſepoſito, objectæ Difficultati reſpondeo, æterno ſupplicio peccatum illud multari poſſe, pro quo fortaſſe corripi Homo non poſſet; tametſi durius ſit multari, quàm corripi: quia peccatum (ſecundum Fidei noſtræ Principia) ex vitiata Origine neceſſitate trahi poteſt; quodque in uno Protoparente liberum fuerit, non in nobis: correptio verò ac vituperium, niſi de liberis, a quibus abſtinere potuerimus, eſſe non poteſt. Addo ad Reſponſi cumulum, Originale peccatum correptioni obnoxium viſum eſſe Auguſtino; correptioni, inquam, ad contumeliam, non correptioni ad emendationem: *An verò* (inquit ille *Lib. de Correpť. & Grat. cap. 6.*) *ideo pravitas iſta corripienda non eſt in homine, quia non ejus propria qui corripitur, ſed communis eſt omnibus? Imò verò corripiatur & in ſingulis, quod eſt omnium. Non enim propterea cujuſquam non eſt, quòd ab ea nullus immunis eſt. Peccata quidem iſta Originalia ideo dicuntur aliena, quòd ea Singuli de Parentibus trahunt: ſed non ſine cauſſa dicuntur & noſtra, quia in illo uno omnes, ſicut dicit Apoſtolus, peccaverunt. Corripiatur ergo Origo damnabilis, ut ex dolore correptionis Voluntas regenerationis oriatur.* Ita plane Auguſtinus; nec ita immeritò: Si enim Homo ob unum Originale peccatum *iræ, & contumeliæ vas* eſt, ut Apoſtolus loquitur, quid ni etiam & correptionis, ac vituperii vas erit?

Tertium ex Eccleſiæ Diſciplina præſidium accerſunt, ut nullam Originali peccato ſenſibilem pœnam debitam probent. Eccleſia quippe nullam Adultis ad Baptiſmum accedentibus pœnitentiam imponit; imò nec dolorem de Originali peccato habendum injungit; utrumque verò ab Adultis baptizandis deſideraret Eccleſia, ſi pœnam Senſus Originali peccato debitam arbitraretur. Non itaque debitam putat.

Mirum quanti faciant iſtam Argutiam nonnulli Theologi recentiores.

tiores. Ego vero præ cæteris parvi, ac nihili pendo. Duplex hujuſce Sophiſmatis membrum eſt : primum, quod ad pœnitentiam attinet, nihil conficit. Idcirco enim nullam Adultis ad Baptiſmum accedentibus pœnitentiam imponit Eccleſia, quia Baptiſmus non modò culpam delet, verùm etiam remittit pœnam integram. Non ergo ex ea in Adultos ad Lavacrum accedentes Eccleſiæ indulgentia colligendum eſt, nullam Originali peccato deberi pœnam; aliàs nullam etiam Actualibus peccatis pœnam deberi, colligi poſſet; cùm nec ulla pœnitentia pro iis eluendis in Baptiſmo imponatur; a quibus tamen Adultos ad Lavacrum accedentes immunes non eſſe, certiſſimum eſt. Quidni quoque dicamus, nullam pro Originali peccato pœnam Adultis baptizandis imponi, quia jam ſatis a Deo juſto Judice impoſita pœna eſt, eaque multiplex; innumeræ nempe miſeriæ, quibus vitiata, ac etiam regenerata Natura laceſſitur in hoc Mundo? Non judicatur autem bis in idipſum.

Quod ad alteram Sophiſmatis partem attinet, de dolore, qui nullus habendus Adultis injungitur pro Originali peccato; id ſanè non idcirco fit, quòd nullo in altera Vita dolore ſit caſtigandus; ſed quia nullo iſtius Vitæ dolore diſpungi poteſt, uti Actuale peccatum, quod interno Animi dolore diluitur. Quanquam tamen cum D. Auguſtino omnino nego, nullum dolorem injungi Cathecumenis ob peccatum Originale. Oppoſitum enim expreſsè docet loco paulò ante laudato, ac etiam jubet : *Corripiatur ergo*, inquit, *Origo damnata, ut ex dolore correptionis Voluntas regenerationis oriatur, ſi tamen qui corripitur filius eſt promiſſionis; ut ſtrepitu correptionis forinſecùs inſonante, ac flagellante Deus in illo intrinſecus occulta inſpiratione operetur & velle*. Nonne, quæſo, Catechumenus baptizandus primùm docendus eſt, ſe vel ab ortu in peccato eſſe, inimicum Dei, ſub Diaboli poteſtate, ac de ejus Familia deputatum? Quis porro id audiens non ſtatim dolore & horrore corripiatur, quòd ſub Dæmonis poteſtate ſit natus, ac ſub ejus tyrannide tandiu vixerit? Plus dico : Parvulos ipſos, dum Sacris Undis tinguntur, aliquo ſenſu pœnitere, atque dolere docet SS. Doctor; & Pelagianos, qui eaſdem iſtas Argutias obtrudebant, ut Originale peccatum exploderent, quas iſti Theologi recentiores ad pœnas arcendas obtrudunt, durius exagitat *Lib. 1. de Pecc. merit. cap. 19.* : *Dicet aliquis: quomodo ergo & ipſi vocantur in pœnitentiam? Numquid tantillos poteſt aliquid pœnitere? Huic reſpondetur : ſi propterea pœnitentes dicendi non ſunt, quia ſenſum pœnitendi non habent, nec fideles dicendi ſunt, quia ſimiliter ſenſum credendi nondum habent. Si autem propterea rectè fideles vocantur, quoniam Fidem* per

per verba Geſtantium quodammodo profitentur, cur non prius etiam pœnitentes habentur, cùm per eorumdem verba Geſtantium Diabolo, & huic Sæculo renunciare monſtrantur? Hæc Auguſtinus. Jam ſi pœnitentiam Pueris eo pacto aſſerit SS. Doctor, quantò magis Adultos ad Baptiſmum accedentes pœnitentiam exercere, putandum eſt? Tunc certè dolet illos Originalis peccati, dum renunciare ſe Diabolo profitentur; implicitus enim, ut cum Schola loquar, eſt iſte dolor, in communi illo dolore comprehenſus, quo Cathecumeni dolere debent de averſione a Deo, ut ſummo Bono, & ultimo Fine, quam ſecum affert ipſum Originale peccatum.

Multa demum congerunt Theologi noſtri, quibus Originalis culpam pœnâ Damni ſatis ſuperque caſtigari contendunt; nec ultra deſiderari, ut ſenſibili pœna Parvuli flagellentur. At hæc uſque adeo levia ſunt; ut Originalis peccati naturam ignoraſſe penitus videantur quotquot tricas illas ad faſtidium uſque congeſſerunt. Audiamus tamen: Pœna Senſus, inquiunt, ſita eſt in paſſione Perſonæ peculiaris; cùm ex adverſo Originale peccatum non Perſonæ, ſed Naturæ ſit Vitium.

Quaſi verò Naturæ Vitium unicuique Perſonæ proprium non evaſerit, cui Natura propria facta eſt? An enim Originalis culpæ reatus, & macula, qua inficitur Anima, Platonicæ Naturæ adhæret? An non potius Perſonæ, quæ Naturæ ipſius individua Subſtantia eſt, ut Philoſophorum Schola loquitur? Naturæ porro Vitium dicitur peccatum Originis, quia & a Naturæ Capite eſt, & totam Naturam infecit: at fieri profectò non poteſt, quin vitiata Natura Perſonam ipſam, cujus Natura eſt, etiam inficiat; eamque conſequenter ſua pœna dignam efficiat.

In Originali peccato, ſubjungunt Illi, ſolam reperire fas eſt averſionem a Deo, nullam e contra ad Creaturas converſionem; cùm propriæ Voluntatis actu admiſſum illud non ſit: nulla itaque pœna Senſus plecti debet.

Verùm eſt id oppidò falſum: pari quippe modo & averſus a Deo eſt Homo Originali peccato ſaucius, & ad Creaturam converſus, non actu quidem proprio, ſed alieno; cujus reatus, quantus quantus eſt, ei factus eſt proprius. Cùm enim (ut in antehabitis aſſerebam) totum peccatum, quod Actuale fuit in Adam, in Pueris Originale ſit; adeo ut reatum ejus ex toto Poſteri ſubeant; aliunde verò in Adæ peccato & converſio ad Creaturam, & ſenſibilis delectatio in comeſtione Pomi reperta ſit; hujus etiam converſionis, delectationiſque pœnam ſubit infelix Poſteritas, in quam reatus ille generatione transfuſus eſt. Ecquis etiam neget, Hominem Originali peccato detentum, ſin minus actu, ſaltem habitu

ad

ad Creaturam converſum eſſe; non modò ratione Concupiſcentiæ, quæ ad delectabilia Hominem deordinatè inclinat; verùm etiam ratione reatus, & maculæ, qua Anima infecta eſt? Docet id Doctor Angelicus *in Quæſt. diſputatis quæſt. 4. de Malo art. 2.: Sic ergo in peccato primi Parentis fuit aliquid formale, ſcilicet averſio ab incommutabili bono, & aliquid materiale, ſcilicet converſio ab bonum commutabile. Ex hoc autem, quòd averſus fuit ab incommutabili bono, donum Originalis Juſtitiæ amiſit: ex hoc verò, quòd converſus eſt inordinatè ad commutabile bonum, inferiores vires, quæ erigi debebant ad Rationem, depreſſæ ſunt ad inferiora. Sic ergo & in his, qui ex ejus ſtirpe oriuntur, & ſuperior pars animæ caret debito ordine ad Deum, qui erat per Originalem Juſtitiam; & inferiores vires non ſubduntur Rationi, ſed ad inferiora convertuntur ſecundùm proprium impetum; & ipſum etiam corpus in corruptionem tendit ſecundùm inclinationem contrariorum, ex quibus componitur: Sed ſuperior pars animæ, & etiam quædam inferiorum virium, quæ ſunt ſub voluntate, & ei natæ ſunt obedire, recipiunt hujuſmodi ſequelam primi peccati ſecundùm rationem culpæ. Sunt enim ſuſceptivæ culpæ hujuſmodi partes. Sed inferiores vires, quæ non ſubduntur voluntati; ſcilicet potentiæ animæ vegetabilis, & etiam ipſum corpus, ſuſcipit hujuſmodi ſequelam ſecundùm rationem pœnæ, non ſecundùm rationem culpæ: niſi fortè virtualiter* & cæt. Ex qua D. Thomæ Doctrina ſatis colligitur, in Originali peccato converſionem ad commutabile bonum reperiri habitu, quæ in Actuali Adæ peccato, uti etiam in noſtris, actu continetur.

Sed etſi concederemus, nullam in Originali peccato converſionem ad Creaturam inveniri nec ſecundùm actum, nec ſecundùm habitum; adhuc tamen averſio illa a Deo, quam indivulsè ſecum affert, pœna ſenſibili caſtigari meritò poſſet. Ea quippe averſio, qualis in eo reperiri ſupponitur, non nuda averſio eſt, qualis profectò eſſet illa, qua Homo ſine Gratia, & in pura Natura conditus averteretur a Deo, qui tamen etiam Divina Viſione privaretur; ſed averſio eſt vero peccato, vero reatui, veræ maculæ conjuncta; quæ Hominem Deo facit exoſum, iræ filium, vas contumeliæ. Hanc porro averſionem a Deo ſenſibili pœna caſtigari, atque multari poſſe contendo. Aliàs nihil diſcriminis invenire liceret inter Hominem in Statu Naturæ puræ conditum, & Hominem Originali labe infectum; nihilque plus pœnæ huic accederet, qui ultra puram illam averſionem a Deo, maculam inſuper veram, atque reatum peccati Animæ gerit infixum. Quod vel unum ſi recentiores plerique Theologi attentiùs perpendiſſent, non

 ita

ita liberaliter Parvulos a pœnis ſenſibilibus abſolviſſent : multumque profectò diſcriminis in altera Vita futurum agnoviſſent (quod pœnarum multam attinet) inter Hominem Originali labe vitiatum , & Hominem in Natura pura conſtitutum : cùm tamen nullum ſuo illo novo Syſtemate diſcrimen admittant.

In ſequentibus de fictitia Beatitudine naturali , quam nonnulli minus conſulti Theologi futuram Pueris adpromittunt, diſſeremus; hocque doctrinæ Portentum, uti Errorem graviſſimum , confutabimus.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO XII.

Impugnatur Beatitudo illa naturalis, quam Parvulis ſacro Baptiſmate non ablutis poſt diem Judicii Theologi quidam tam imprudenter, quàm liberaliter adpromittunt.

DUM Beatitudinem naturalem, quam Parvulis non ablutis poſt extremum Judicii diem adpromittunt Theologi quidam, præſenti hac Exercitatione confutamus, non novam Controverſiam aggredimur, ſed agitatæ in antehabitis Controverſiæ colophonem apponimus. Parvulos non renatos ſenſibilibus pœnis in altera Vita abſolviſſe, illoſque ſola pœna Damni multaſſe, ſatis profectò Theologis viſum fuit, quibus eſt aliquis opinandi modus: iique, ſin minùs veritatem attigere, uti certè minùs attigiſſe cumulatiſſimè demonſtravi, ſaltem Fidei, Religioniſque limites tenuerunt. Verùm ſunt & Alii, quibus non æqua opinandi, audendique libertas eſt: qui necdum ſatis gratificatum Parvulis putant integra illa pœnarum omnium ſenſibilium abſolutione, niſi illis Beatitudinem naturalem, feliciſſimamque Vitam liberaliùs impertiantur. Figmentum iſtud, quod Errorem in Fide, poſt Eminentiſſimum Bellarminum, non dubitaverim appellare, in Scholas intulit Ambroſius Catharinus, Vir ob ingenii felicitatem plurimùm commendandus; niſi egregias Animi Dotes novandi prurigine, & audaciori ſentiendi libertate deturpaſſet. Is in Opuſculò ſpecialiter edito, & Cardinali Nicolao Rodulpho dicato, quod extat inter alia ejuſdem Authoris Opuſcula impreſſa Lugduni 1542., pag. 150., *Parvulos non ablutos naturali felicitate donandos* exiſtimat *poſt extremi Judicii diem, uberrimâ, ſuaviſſimâque Authoris Naturæ, ejuſdemque Operum contemplatione potituros; Mundum hunc aſpectabilem veluti Colonos novos inhabitaturos; nec non etiam Cæleſtibus Revelationibus, Angelorumque colloquiis interdum, conſpectuque delectabili recreandos.*

Commentum hoc a Schola Thomiſtica, cui nunquam vectigalem ſe præbuit Catharinus, confeſtim exploſum, atque rejectum amicis ulnis amplexi ſunt Ludovicus Molina, & Alphonſus Salmeronius; quod, velut informem Urſæ fœtum, lambendo foverunt, atque formarunt: is quidem in ſua *Concord. quæſt.* 23. *art.* 4. & 5. *Diſp.* 1. *Memb.* 9.; ubi Pueros *meliorem in naturalibus vitam vitio omni mentis & corporis immunem in perpetuas æternitates ductu-*

ducturos ait, *quàm ullus unquam Mortalium duxerit:* Iſte verò *Lib.* 2. *in Epiſt. ad Rom. Diſp.* 48. in fine, *& Beatitudinem naturalem, & Viſitationes Angelicas novis illis futuris Mundi Colonis ingenti liberalitate largitur.* His adſtipulantur & alii Molinianæ Scholæ Magiſtri; quos inter Martinus Roa in ſuo Libello Italicè conſcripto, cui Titulus *Lo Stato dell' Anime del Purgatorio, cap.* 3. *:* Leſſius in ſuis Opuſculis *Lib.* 13. *de Juſtitia, & Ira Dei cap.* 22. *n.* 144. *de Comparitione Judicis, ejuſque Sententia;* ubi nedum Parvulis Baptiſmate non ablutis lætam in omnem æternitatem vitam largitur; ſed & *Deo laudes daturos eos* aſſerit; & (quod intolerabilius videtur) *tantam iis in cognoſcendo perfectionem adpromittit, ut proximè ad Angelicam cognitionem accedant.* Suareſius etiam in 1. 2. *Diſp.* 9. *de peccato Orig. Sect.* 6. *num.* 6. aſſerit, *poſt reſurrectionem Parvulos illos habituros nedum veram Dei cognitionem naturalem, ſed & amorem ejus ſuper omnia; atque adeo reliquas naturales Virtutes, & corpora impaſſibilia; eorumque habitationem probabiliter in hoc Mundo futuram.*

Quantum nos ab hujuſmodi Errore alieni ſimus, ſignificare hîc non eſt opus. Si etenim Pueros illos æternis cruciatibus in Inferis deputamus, longè profectò ſumus ab æterna eiſdem Beatitudine naturali tam liberaliter concedenda. Cæterùm cùm res opinione libera ſit, num Pueri æternis cruciatibus addicantur; an verò ſolâ Damni pœnâ multentur; alteram hujus Erroris oppugnandi viam aggredimur; palamque oſtenſuri ſumus, Pueros, tametſi ſenſibili pœna eximerentur, nequaquam tamen naturali illa Beatitudine potituros in altera Vita, quam eis Molinianæ Scholæ Sectatores adjudicant; purumque illud putumque figmentum eſſe graviſſimâ cenſurâ percellendum ab iis etiam Theologis, qui ſola illos Damni pœna multandos exiſtimant. Ac re ipſa Cardinalis Bellarminus, qui Pueros illos a Senſibilibus pœnis liberat, cenſuram tamen diſtrinxit *Tom.* 4. *Controv.* 2. *Lib.* 6., qui eſt *tertius de peccato Originali*, ubi hæc leguntur: *Ex enumeratis Sententiis prima* (quæ fuit cujuſdam Vincentii, Zuuinglii, aliorumque) *& ſecunda* (quæ fuit Ambroſii Catharini, Alberti Pighii, Hieronymi Savonarolæ) *non ſolùm falſæ, ſed etiam hæreticæ exiſtimandæ ſunt: & contra, Fide Catholica tenendum eſt, Pueros ſine Baptiſmo decedentes abſolutè eſſe damnatos, & non ſolùm Cæleſti, ſed etiam naturali Beatitudine perpetuò carituros.*

Liquet id, apertèque deducitur ex quatuor Catholicæ Fidei Principiis, quæ indigitare ſufficiet in præſentia, utpote quæ fuſiùs a nobis in ſuperioribus Concertationibus aſſerta ſunt. Primum eſt; poſt extremum univerſale Judicium, nullum præter Regnum Cælorum & Inferos medium futurum locum, ubi Pueri Sacro Baptiſmate

mate non abluti ſedem figant, ac vivant. Ita Patres communi conſenſu. Hinc Auguſtinus locis propemodum infinitis, a nobis jam ſæpius laudatis, Pelagianos, uti Hæreticos traduxit, quòd mediam quamdam Beatitudinem, locumque aliquem medium comminiſcerentur inter Regnum Cælorum & Inferos; ubi Parvuli bene viverent.

Quo telo Figmentum, de quo nunc agimus, palam apertèque confodit; cùm nihil ea in parte a Pelagianis Theologi iſti diſſentiant. Pelagiani enim Pueros illos ob Dominicæ Sententiæ reverentiam, *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non intrabit in Regnum Cælorum*, a Regno Cælorum ablegabant, ut & iſti; quemadmodum ex Auguſtino compertum fecimus *Serm.* 294. *de Baptiſmo Parvulorum*; ſolamque Beatitudinem naturalem Pueris illis altero in loco, quem nec nominare quidem audebant, largiebantur. Unde SS. Doctor *Lib.* 1. *de Origine Animæ cap.* 9.: *Non baptizatis Parvulis*, inquit, *nemo promittat inter damnationem, regnumque Cælorum quietis, vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet quaſi medium locum. Hoc enim eis etiam Hæreſis Pelagiana promiſit*. Pelagianorum igitur Hypotheſim recudunt Theologi Felicitatis hujuſce naturalis fabricatores.

Reponunt Catharinus, & Salmeronius, ita quidem ſenſiſſe Pelagianos, ſed minùs malè; eamque Hypotheſim ab Auguſtino impugnatam eſſe ex privata duntaxat opinione, & præter Eccleſiæ Sententiam. Verùm Reſponſum iſtud non animadverſione tantùm, ſed & virgâ dignum jam ſatis oſtendimus, dum ex Conciliorum, & Romanorum Pontificum Definitionibus planum fecimus, medium illum felicitatis locum non ab Auguſtino tantùm, ſed & ab Eccleſia damnatum fuiſſe. Damnationis hujuſce mentionem ingerit Auguſtinus ipſe *Lib.* 2. *de origine Animæ cap.* 12.: *Novellos*, inquit, *Hæreticos Pelagianos juſtiſſimè Conciliorum Catholicorum, & Sedis Apoſtolicæ damnavit Authoritas, eo quòd auſi fuerint, non baptizatis Parvulis dare quietis, & Salutis locum, etiam præter Regnum Cælorum*. Quibus verbis Decreta Concilii Carthaginenſis, & Innocentii I., a nobis in anteceſſum commendata, indigitat SS. Doctor. Addam ego, nec addidiſſe pigebit, Theologos illos, contra quos agimus, tametſi meliores Catholicos, pejores tamen Philoſophos Pelagianis extitiſſe. Pelagiani quippe Pueris naturalem quamdam extra Regnum Cælorum Beatitudinem concedebant, quòd illos nullo Originali peccato infectos arbitrarentur: cùm contra, eadem illa Beatitudine Pueros donent Theologi iſti, tametſi illos Originali labe inquinatos exiſtiment, atque profiteantur.

Alterum Catholicæ Fidei Caput, quo naturalis illius Beatitudinis

nis Paradoxum exploditur, iſtud eſt : Statum ſcilicet, quo nunc verſantur Infantes non abluti, in altera Vita æternum fore; mortem, ac pœnam, qua plectuntur, æternam; ignem, ſuppliciumque, cui deputantur, æternum : cujuſvis tandem generis velitis eſſe pœnam illam, atque ſupplicium, juxta varias ſaniorum Theologorum Opiniones : de pœnæ ſiquidem, ignisque conditione litigare hîc non eſt opus, modò æternum, quo nunc detinentur, Statum adſtruamus. Ex hoc quippe uno Molinianæ Aſſertionis Error in aperto ponitur; quo Pueros illos poſt extremi Judicii diem ab omnibus moleſtiis, & ærumnis ſupernaturaliter liberandos, omnique Mentis, & Corporis vitio immunes evaſuros opinatur. Hujus porro præſentis Puerorum Status æternitatem plus ſatis evincunt ea SS. Patrum Oracula, quæ magno numero in Superioribus Diſſertationibus attulimus, Auguſtini, Hieronymi, Fulgentii, Gregori Magni, Iſidori, Prudentii. Evincunt & ipſa Scripturarum Oracula, quibus liquet, tales perpetuò fore Hominum pœnas, quales ſtatim poſt obitum luunt : *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit; Eccleſiaſtes cap.* 11.

Jam ſi ea, quibus nunc in altera Vita Pueri deputantur, ſupplicia, cruciatus, gehennæ, miſeriæ, mors ipſa, atque damnatio æternùm duratura ſunt, an non juſtâ Erroris cenſurâ petuntur quotquot illorum Statum immutatum tandem iri fabulantur, ut ſuppliciis, cruciatibus, ac miſeriis (quævis illa dicantur eſſe) feliciter exſolutis, ipſaque etiam devicta morte, meliorem in naturalibus Vitam vitio omni Corporis, ac Mentis immunem in perpetuas æternitates ducant, quàm ullus unquam Hominum duxerit?

Tertium Catholicæ Fidei Caput, unde hoc idem Paradoxum Erroris revincitur, iſtud eſt : Pueros nempe ſolo Originali peccato inquinatos ſub Diaboli poteſtate, atque tyrannide eſſe, ac etiam perpetuò fore; cùm nunquam delendum in illis ſit Originale peccatum, vi cujus tyrannidem in illos exercet Diabolus. Id, ſi bene meminiſtis, oſtendimus Gelaſii I. Definitione, & perenni ad hanc uſque diem Eccleſiæ Diſciplina, quæ baptizandos Exorciſmis, & Inſufflationibus eventilat, ut ab eis immundus Spiritus abigatur. Dicant ergo naturalis iſtius Beatitudinis Promiſſores, qua forte futurum ſperant, ut Pueri non renati poſt extremi Judicii diem ſua illa naturali felicitate fruantur; an durante tyrannide Diabolica beatos illos futuros exiſtimant, omni Mentis, & Corporis vitio prorſus immunes? Quis id credat? An ſolvendam tandem tyrannidem putant? Id certè Catharinus ſubinnuit; ſed Eccleſiæ Fidem negat, quæ tandiu duraturam illam decernit, donec ſacra regeneratione Chirographum deleatur : quod certè nunquam con-

continget. Cùm enim ſub Diaboli poteſtate detineantur Parvuli non abluti ob unum Originale peccatum, tandiu illos detineri neceſſe eſt, quandiu Originale peccatum, unde jus in illos obtinuit, non deletur. Niſi quis Deum Juſtitiæ ſuæ juribus cedere velit, ut id odio non habeat, imò & a Diaboli poteſtate auferat, quod & Hominem verè maculat, & iræ filium facit.

Ultimum, ex quo hujuſce Paradoxi repugnantiam colligere licet, Fidei Caput eſt; Parvulos ſacro Fonte non ablutos iræ filios reputari; in damnationem, & interitum traditos, contumeliæ vaſa; Deo exoſos; Inferis deſtinatos. Abundant iis paſſim loquendi modis Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum Codices. At hæc omnia a naturali Beatitudine, plenaque vitiorum cùm Corporis, tum Animæ immunitate procul abſunt. Quocirca cùm aliàs Auguſtinus præſentis Vitæ miſerias, quibus Parvuli affliguntur, obſervans ſubdubitanter affirmaſſet, futuram tandem Parvulis illis, neſcio quam, in altera Vita bonam compenſationem; ut nimirum Dei Juſtitiam, quæ illos etiam in hac Vita miſeriis afficit, in tuto poneret adverſus Manichæorum obtrectationes; hoc ipſum *in Epiſt.* 28. *ad* Hieronymum data retractavit: *Ego quidem*, inquit ille, *non de ingeniis, ſed ſaltem de pœnis Parvulorum, quas in hac vita patiuntur, dixi aliquid in Libris illis de libero arbitrio. Quod quale ſit, & cur mihi in iſta, quam habemus in manibus, quæſtione non ſufficiat, intimabo*. Unde ſubdit *numero* 25. *ejuſdem Epiſt.: Quæ cùm ita ſint, quærenda cauſſa eſt, atque reddenda, quare damnentur animæ, quæ novæ creantur, ſingulis quibuſque naſcentibus, ſi præter Chriſti Sacramentum Parvuli moriantur. Damnari enim eas, ſi ſic de corpore exierint, & Sancta Scriptura, & Sancta eſt teſtis Eccleſia*. Quàm igitur longè aberat SS. Doctor ab ea felicitate naturali poſt diem Judicii Parvulis concedenda; quæ certè cumulatiſſimæ præſentium miſeriarum compenſationis loco eſſet!

Ecquis etiam neſciat, Pueros illos a Deo, etiam ut Authore Naturæ, averſos eſſe? Cùm & ipſam quoque Naturæ Legem violarit Adamus, cujus reatum ex toto incurrunt Parvuli. Quis verò cum ea averſione naturâlem Beatitudinem ſociare poſſit? Dicant etiam, amabò, liberales iſti Promiſſores: ubinam ſuum illud Figmentum expiſcarunt? Ubinam novam illam poſt Judicium extremum hujuſce Terræ inhabitationem; amœnam, jucundamque Parvulorum Vitam; Cæleſtes Illuſtrationes; Angelorum etiam frequentes aditus perlegerunt? Quis id Propheta novus revelavit? Itane Theologis hariolari impunè licet, & Rabularum more in Scholæ theatro fabulas ludere? Quibus e contra nihil in magni momenti rebus procudere tutum eſt, quod non ex Scripturis, aut Eccleſiaſticæ Traditionis Ærario derivarint.

Sed vultis tandem ſcire, viri Theologi, quo ducat ea fingendi licentia? Ea Originalis peccati imminuendi, extenuandi, ac pro nihilo computandi libertas? Legite, ſi per otium vacat, Nodum Prædeſtinationis diſſolutum, a Cæleſtino Cardinali Sfondrato editum. Facilè comprobabitis, abyſſum abyſſum invocare; & magna etiam Sidera eclipſim pati. Is enim cùm altum, ac ſublime Ingenium Molinianorum Scriptorum lectioni devoviſſet, nedum Pueros *non damnari* aſſerit *1. part.* §. 2. *n. 16. in Reſp. ad 5. Object.* : Sed, quod ſtupendum magis, *illud eis beneficium exhiberi* comminiſcitur, *quod Divina Sufficienti Gratia longè præſtantius ſit, quodque infinitis partibus ipſam Gratiam antecellat; eoſque Perſonalem innocentiam ſervare, & in eum Statum bonorum naturalium tranſferri*, de quo antea dixerat Paragr. primo. Quam ob rem de violata Fide coram Apoſtolica Sede a Gallicanis Epiſcopis poſtulatus eſt: cujus tamen in hanc uſque diem judicium nec dum prodiit. Ea Aſſertionum Monſtra non moramur hìc, ne actum jam reagere videamur. Quantum enim hæc a vero procul aberrent, ex poſitis quatuor Fidei Principiis, magnaque Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum ſuppellectili fusè in anteceſſum a nobis producta, nemo non inferat. Illud fidenter pronunciamus, nunquam eò laxitatis Catharinum, ac Molinam deveniſſe; imò nec Pelagianos tam abſonum propudium expuiſſe, ut ad Chriſti Gratiam pertinere dicerent, quòd ſine Baptiſmo raperentur Infantes; uti novo iſti Diſſolutori effutire placuit. Quanquam enim Pelagiani Parvulis non ablutis Vitam quamdam æternam, ac naturalem Beatitudinem aſſignarent; non tamen eam qualemcumque felicitatem Gratiæ Divinæ præferendam exiſtimarunt: quod certè tam vanum, tamque abſurdum eſt, ut Chriſtianæ aures ferre omnino non poſſint. Ecquid enim, ſi id verum eſt, reſtat aliud, niſi ut Chriſtianis Parentibus Parvulos ſuos ſine Baptiſmi Gratia amittentibus non luctus, ut fieri ſolet, ſed gratulatio indicatur? Ipſi verò Pueri, tanti licet Sacramenti exſortes, lætis vocibus magis, quàm lacrymis, ad tumulum deducantur? Quid aliud reſtat, niſi ut nos etiam miſeros arbitremur, qui ſtatim, ac lucem aſpeximus, ſine Lavacro ſublati non ſumus? Accepto quippe regenerationis Sacramento, ſi novi Diſſolutoris Principiis hærere velimus, ſortem amiſimus Chriſti Gratiâ feliciorem. *O quam ima Summis atra dies miſcuit*! Sic ſanè malis rebus malæ res ſe agglutinant; eumque in infauſta conſectaria prolabi neceſſe eſt, qui deſertis Scripturæ Sacræ, & Eccleſiaſticæ Traditionis Principiis Sacra Dei Myſteria humana Mente metiri voluerit.

Jam quid illos ad nova iſta Opinionum Portenta parturienda compulerit; quæ illos ad Fabulas obtrudendas rationes adduxerint, in Sequentibus, Deo volente, perpendemus.

PRÆ-

PRÆLECTIO XIII.

Objecta Catharini, & Sfondrati adverſus præcedentem Aſſertionem confutantur.

CATHARINUM, ejuſdemque Sectatores, qui Paradoxum inauditum de naturali Beatitudine Pueris poſt diem Judicii concedenda in Scholas intulerunt, noviſque etiam figmentis cumularunt, ad congreſſum admittimus, ut quæ illos ad iſtiuſmodi fabulas procudendas Momenta moverint, liberè proferant. Neque verò veremur, ne iis quiſquam veſtrum vel leviter moveatur: imò potius ſperamus fore, ut inauditi Paradoxi novitatem ex ipſis, quibus illud munierunt, rationibus multò magis intelligatis; adeo ſunt illæ futiles, & elumbes.

Puerorum ergo non ablutorum damnationem ad tempus duntaxat eſſe duraturam, finemque in extremo ſaltem Judicio habituram ex triplici Scripturæ Loco demonſtrandum ſibi ſumit Ambroſius Catharinus. Primus Locus extat *ad Rom.* 5.; ubi de Chriſto dicitur: ***Per unius Juſtitiam in omnes Homines in juſtificationem vitæ:*** unde colligere ſibi putat, Pueros etiam non ablutos per Chriſtum tandem aliquando eſſe juſtificandos; non ut juſtificentur ad Gloriam æternam, abſit Hæreſis; ſed ut perpetuæ mortis damnationi minimè ſubdantur. Alter Locus extat 1. *ad Cor.* 15.: ***Noviſſima autem inimica deſtruetur mors:*** non ergo (ſubjungit ille) poſt Mundi finem mortis Legibus Parvuli ſubjacebunt. Ultimus legitur *Joan.* 12.: ***Nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foras:*** unde pariter infert, Pueros illos a Diaboli hujus Mundi Principis tyrannide eſſe liberandos.

Quis quæſo tam ſtulto aucupio capiatur? Et quis vel mediocriter eruditus non ſtatim intelligat, Chriſti Juſtificationem ad eos duntaxat Homines perventuram, mortem inimicam deſtruendam, & Mundi Principem ejiciendum tandem aliquando in illorum duntaxat gratiam, quibus Chriſti Fides, & Gratia Sacramentorum ope conferuntur? Quo in ordine Pueri non abluti minimè continentur. Aliàs ſi hæc Scripturarum Oracula inconditè, & indiſcretè ſumantur, æquo perinde jure Fideles omnes, ac Peccatores juſtificandos, ab æterna morte, & a Diaboli poteſtate liberandos effutiremus. Et certè dum Origenes omnium Damnatorum pœnas tandem aliquando finiendas commentus eſt (qua de cauſſa a Conſtantinopolitano Concilio damnatus fuit) hæc ipſa eadem Teſtimonia in ſui Erro-

Erroris confirmationem arripuit. Neque dubito, quin Origenes, tametſi minùs Catholicus, melior tamen Philoſophus extiterit Catharino; & conſecutionem ex allatis Scripturæ Locis veriſimiliùs fluentem intulerit. Si quid enim ea Scripturæ Loca ad præſens Inſtitutum evincerent, Origenis Errorem potius adſtruerent, quàm Catharini Paradoxum. Sed abſit, ut alterutrum adſtruant.

Pergit quo pede cœpit Catharinus, utque felicitatem quamdam mediam Pueris illis obventuram probet inter Regnum æternum, & Inferos, Danielis Oraculum producit in medium *cap.* 12., quo rem ſuam plane confici putat: *Et multi*, inquit Propheta, *de his, qui dormiunt in Terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant ſemper*. Si multi evigilabunt, non igitur omnes, inquit Catharinus. Superſunt itaque aliqui dormientium, qui nec in Vitam æternam evigilaturi ſunt, nec in opprobrium: iique non alii, niſi Pueri, qui medium inter illos Statum, mediamque felicitatem obtinebunt.

At ſpuria profectò conſecutio eſt. Quod enim inquit Propheta, *multi, qui dormiunt* abſolutè, non comparatè dictum eſt; idemque ſonat, ac omnes; quia & omnes illi numero multi ſunt. Prophetæ interpretem habemus Chriſtum ipſum *Joan.* 5.; ubi & Catharini Figmentum evidenter explodit: *Omnes*, inquit, *qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei, & procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem Vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem Judicii*. Fruſtra ergo ſupereſſe aliquos colligit Catharinus, qui nec in Vitam æternam abeant, nec in opprobrium, atque judicium, ſed in medium aliquem locum. Neque verò huic Scripturæ Loco ſingulare eſt, ut *τὸ multi* abſolutè ſumatur; idemque ſignificet, ac *omnes*: hoc idem obſervamus *ad Rom.* 5., ubi cùm dixiſſet Apoſtolus: *Per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi*, dixit in anteceſſum, quaſi id explicans, *in quo omnes peccaverunt*: & infra: *per unius delictum in omnes Homines in condemnationem*. Id ipſum habemus in verbis conſecrationis Vini: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur*; cùm tamen Sanguinem ſuum pro omnibus omnino Hominibus, (ſaltem quo ad ſufficientiam, ut Schola loquitur) fudiſſe Chriſtum, Fidei veritas ſit.

Infeliciùs multò hariolatur Catharinus, dum Terram iſtam a Pueris in æternum poſt Judicii diem inhabitandam fabulatur, ut naturalem in ea felicitatem ducant. Ea Scripturæ Loca congerit Vir acutus, ubi Terra in æternum manſura dicitur: *Terra autem in æternum ſtat*; ubi Chriſtus Cælum novum, & Terram novam facturus adpromittitur; ubi omnia in Cælo, & in Terra per Jeſum inſtaura-

ſtaurata dicuntur; ut Parvulos Terræ hujus perpetuos Habitatores futuros inde colligat.

Pudet, ut verum fatear, me iſta refellere: ita quippe levia ſunt, ut ne novitium quidem Theologum morari poſſint. Terram in æternum manſuram concedimus Catharino; ſed quæ neceſſitas eſt, ut tales ei Habitatores concedamus? Imò communis eſt illa Interpretum Opinio; aquas univerſam Terræ ſuperficiem poſt Judicium extremum occupaturas, uti plane initio Creationis occupabant, antequam, jubente Deo, in locum unum congregarentur, ut aptam Mortalibus ſedem facerent. Niſi ergo in aquis, piſcium inſtar, nataturos Parvulos velit Catharinus, nullam profectò in hoc Mundo ſedem habere poterunt. Quæ autem per Chriſtum Cæli, & Terræ novitas inducta dicitur, aut quæ facta per illum inſtauratio, perperam ad novam Puerorum in hoc Mundo inhabitationem detorquetur: nihil enim ſignificat aliud, quàm reparatas in Cælo Angelorum ruinas, & in Terra Genus Humanum de captivitate redemptum. Hinc illud Auguſtini *in Enchirid. cap. 62.*, cæterorum Patrum adſtipulatione confirmatum: *Inſtaurantur quippe* (in Chriſto) *quæ in Cælis ſunt, cùm id, quod inde in Angelis lapſum eſt, ex hominibus redditur: inſtaurantur autem quæ in Terris ſunt, cùm ipſi Homines, qui prædeſtinati ſunt ad æternam Vitam, a corruptionis vetuſtate renovantur.*

Hinc cernitis, opinor, quàm falſum, abſonumque ſit, quod idem Catharinus obtendit, Pueros illos Regno Cælorum propriè Exſules non eſſe, ſed Relegatis magis eſſe ſimiles; nec idcirco Cæleſtibus Revelationibus, & Viſitationibus carituros; ut iis etiam in hacce terreſtri Habitatione recreentur. Enimverò illud Exſulem inter, & Relegatum diſcrimen affertur, quòd Exſules jus Civitatis amittant, Relegati retineant. Quare ſi Parvuli non abluti non Exſules a Regno Dei, ſed Relegati dicendi eſſent, profectò & Cives Sanctorum, & Domeſtici Dei, & Regni Filii haberentur; quod nemo Catholicus feret unquam.

At, inquit Vir acutus, reſurgent etiam Parvuli in die ultimo. Ita ſanè reſurgent; ſed non ut deinceps illorum Animæ ſint, ubi fuerant Corpora; nimirum in Terra; ſed e contra, ut ibi ſint illorum Corpora, ubi fuerant Animæ; hoc eſt, in Inferis; ut vel ardeant juxta Auguſtini Sententiam; vel ut anguſtiis, ac tenebroſis Receptaculis deliteſcant; ut Theologi mitiores opinantur: ubi certè ab Angelicis illis Revelationibus, & Illuſtrationibus procul aberunt.

Catharino feliciter exſoluto, jam mihi adoriundus eſt Nodi Prædeſtinationis Diſſolutor, qui confutatum naturalis Beatitudinis Paradoxum novis coloribus, ac fabellis obduxit. Doctoris imprimis An-

Angelici Suffragium implorat, ut Pueros gaudio quodam frui, ac felicitate demonſtret, *in* 2. *Sent. diſt.* 33. *quæſt.* 2. *art.* 2. *ad* 5. : *Quamvis Pueri non baptizati ſint ſeparati a Deo quantum ad illam conjunctionem, quæ eſt per gloriam; non tamen ab eo penitus ſunt ſeparati; imò ipſi conjunguntur per participationem naturalium bonorum; & ita etiam de ipſo gaudere poterunt naturali cognitione, & dilectione*.

Verùm in D. Thomæ lectione peregrinum prorſus illum eſſe oportet, qui laſciviam iſtam ad novum illud Paradoxum accommodarit. Enimverò quod hìc de Pueris non ablutis habet Doctor Angelicus, de Dæmonibus quoque docet 1. *part. quæſt.* 60. *art.* 5. per totum; ubi ait, *Deum ſecundùm quod eſt univerſale bonum, a quo dependet omne bonum naturale, diligi naturali dilectione ab unoquoque: in quantum verò eſt bonum beatificans . . . . diligi dilectione Charitatis* (in Reſponſ. ad 4.) Ubi certè Dæmones ipſos, & Damnatos minimè excludit. Et in *Reſp. ad* 5. : *quia in quantum eſt bonum commune naturaliter amatur ab omnibus*. Et in *corp. art.* rationem ſubdit, cur omnis Creatura naturali dilectione Deum diligat; nimirum, *quia omnis Creatura naturaliter ſecundùm id, quod eſt, Dei eſt*. Imò concludit, tali dilectione Creaturas *plus Deum diligere quàm ſe ipſas*. An ergo fortaſſis comminiſcetur aliquis, Doctorem Angelicum ipſis etiam Dæmonibus naturalem Beatitudinem conceſſiſſe? Eſſet id profectò ſatis lepidum, atque feſtivum. Quod ergo hoc loco habet Præceptor Sanctiſſimus, *de ipſo gaudere poterunt naturali cognitione, & dilectione*, non de dilectione naturali, quam amicabilem, & efficacem Schola vocat, diſſerit D. Thomas; hæc enim cum averſione a Deo, ut Naturæ Authore, qua Pueri non abluti laborant, ſtare nequit; ſed de dilectione naturali, quæ fertur in Deum, ut eſt naturale rerum omnium Principium; quæ Damnatis etiam inhæret, & Naturæ cuicumquæ creatæ indivulſa eſt; ſeu (ut clariùs dicam) de amore Concupiſcentiæ, non de amore Amicitiæ. Non eſt itaque, cur D. Thomæ patrocinium Pueris impenſum fidentiùs oſtentet Nodi Prædeſtinationis Diſſolutor; niſi & illum Diabolo quoque patrocinatum perinde velit: quod refugiunt piæ aures, & S. Doctori nil magis injurium excogitari poſſet.

Gravia ſunt hæc; ſed fiunt eorum, quæ ſubdit idem Author, comparatione leviſſima. Pueros non ablutos Innocentiâ perſonali præditos vocat, novo in Eccleſiam invecto Vocabulo, & a nullo, quod ſciam, Doctore Catholico hactenus uſurpato. Quod ut probet, iſto utitur Sophiſmate: non ha-

Ler t

bent Parvuli perſonale peccatum; hoc eſt, propria actione commiſſum: igitur perſonalem Innocentiam habent. Sophiſma dixi, ac re ipſa ſic eſt: quanquam enim peccatum nulla propria actione commiſerint Puerorum Perſonæ; non tamen ſine peccato ſunt ipſæ Perſonæ; cùm hæreditaria illa Naturæ labes unicuique Perſonæ generatione fiat propria. Innocens, inquam, Perſona vocitari non poteſt, ad quam peccatum ipſum, quod eſt Animæ macula, neceſſariò tranſit. Eſt hæc profectò Eccleſiæ Catholicæ Fides in Concilio Arauſicano II. *Capitulo ſecundo*: & in Tridentino *Seſſ. 5. in Decreto de Peccato Originali*; & *Seſſ. 6. cap.* 3. iiſdem ipſis verbis ſancita, ac definita. Et verò ubi ſemel Catholica Fide certum eſt, Naturam Humanam ad ſingulos Adæ Poſteros propagatam Originali peccato ſauciatam eſſe, atque vitiatam, Philoſophia ſola duce colligere facile eſt, uniuſcujuſque Perſonam ream eſſe eodem ipſo Naturæ peccato; atque idcirco innocentem vocitari minimè poſſe. Quid etenim Perſonæ nomine venit in mentem? *Naturæ rationalis individua Subſtantia*: eſt hæc profectò acceptiſſima Philoſophorum definitio. At nulla fieri ratione poteſt, ut Natura rea eſſet, ipſa tamen *individua Subſtantia Naturæ* rea non eſſet: Fidei ergo, & Philoſophiæ Principia ex æquo ſubruit futilis illa novi Diſſolutoris Argutia: ſola quippe Ratione duce ſatis novimus, repugnare, ut quæ Naturæ individuæ ſunt propria, Perſonæ etiam propria non dicantur. Sed & dicat ſubtilis ille Diſſolutor: dum Puero Baptiſma confertur, quid baptizatur, quid abluitur, quid regenerationis Gratiâ renovatur? An non, amabo, Perſona ipſa? Perſona itaque peccatrix, ac rea creditur, non peccato quidem ab ſemetipſa admiſſo, ſed peccato, quod ei propriæ Naturæ propagatione factum eſt proprium.

Accedit alterum ejuſdem Diſſolutoris Sophiſma nil minùs abſonum, ut Paradoxum nil minus inauditum nobis obtrudat; nempe, ut nobis oſtendat, Parvulos ſine Baptiſmo ſublatos eo in Statu eſſe, qui Chriſti Gratiæ ſit anteponendus, (quod neſcio, an piæ aures ſine horrore ferre poſſint) ita ſubtiliter argumentatur: [attendite, quæſo, & argutiam demiramini] Parvuli ſine Baptiſmate ſublati ſubducuntur periculo peccandi mortaliter; ſeu ſunt extra periculum peccandi mortaliter: eſſe extra periculum peccandi mortaliter melius eſt, quàm Chriſti Gratiam poſſidere; cùm mortale peccatum majus ſit in genere mali, quàm Chriſti Gratia in genere boni: in eo ergo Statu ſunt Pueri non abluti, qui Chriſti Gratiæ ſit anteponendus. Unde & colligit, nullum eſſe Chriſtianum, qui, ſi daretur optio, Statum illum non anteponeret ſuo,

Quis

Quis credat, Virum [aliàs eruditum, ac pium] talia Argumentationum Portenta procudiſſe; talia Confectaria derivaſſe, quæ vel ſolùm cogitare horret Animus? Singula Argumentationis membra diſpungamus; ut paremus antidotum: Parvuli, inquit ille, ſine Baptiſmo ſublati eripiuntur, ac ſubducuntur periculo peccandi mortaliter: Ita certè. Verùm qui ita eripiuntur periculo peccandi mortaliter, aliunde infecti ſunt Originali peccato, quod illos Deo facit exoſos, & inimicos, vaſa iræ, & contumeliæ. Uni ergo malo ſubducuntur; ſed interim alteri ſubjacent, æternùmque ſubjacebunt. Rurſus, dum morte præmatura periculo peccandi mortaliter ſubducuntur Pueri non abluti, occaſioni etiam ſubducuntur ſuſcipiendi Sacramenta, Gratiam obtinendi, propriiſque deinceps actibus merendi, & acquirendi Vitam æternam. Hæc verò, ſi mutuò conferantur (peccandi periculum, quo liberantur, & merendi occaſio, quæ illis juſto Dei Judicio, ſed occulto, præripitur) nemo non intelliget prudens, Parvulos ante Baptiſma ſublatos minori periculo liberari, quàm commodo, & emolumento fraudentur.

Jam ad alteram Argumenti Propoſitionem veniamus: Eſſe extra periculum peccandi mortaliter melius eſt, quàm Chriſti Gratiam, ac etiam Gloriam poſſidere: diſtinguo juxta ſenſum ſuperioris Propoſitionis; ſi liberatio a periculo peccandi mortaliter nudè ſpectetur, eſto: at ſi, qui eo periculo liberatur, peccatum aliunde Originale ſecum ferat, quo manet Deo exoſus, & inimicus; ſi, qui eo periculo liberatur, merendi etiam occaſionem amittat; ut plane in Puero ante Baptiſma ſublato contingit; nego omnino, iſtiuſmodi periculi immunitatem iis conditionibus onuſtam Chriſti Gratiæ eſſe ullo modo anteponendam. Sed nec plane concedo, liberationem a periculo peccandi mortaliter nudè ſpectatam, ac ſine duabus illis conditionibus a me notatis, meliorem eſſe Gratiæ poſſeſſione; cùm & ipſa Gratiæ poſſeſſio ab eo etiam peccandi periculo multò feliciùs liberet. At, inquit ille, mortale peccatum majus eſt in genere mali, quàm Chriſti Gratia in genere boni. Demus id, tametſi ea de re lis eſſe poſſet: at tranſit nodi Diſſolutor a peccandi periculo ad peccatum ipſum: peccandi tamen periculum longè minus eſt malum ipſo peccato. Illud eſt defectus Naturæ, iſtud eſt malum culpæ: illud Hominem nec avertit a Deo, nec Deum facit inimicum; cùm & juſti ſubſint peccandi periculo; iſtud è contra id totum præſtat. Quanquam ergo mortale peccatum majus eſſet in genere mali, quàm Gratia Chriſti in genere boni; non tamen ita peccandi periculum. Perperam ergo concludit novus

iſte

iſte Diſſolutor, eo in Statu eſſe Pueros non ablutos, qui Chriſti Gratiæ ſit anteponendus. Quin etiam dubito, an ullum unquam Paradoxum inauditum magis in Scholas illatum ſit, aut inferri poſſit impoſterum: quo non modò Originale peccatum damni loco non computatur; verùm etiam illatum ab eo damnum Divinæ Gratiæ antefertur: quod vel audire Chriſtianæ aures horreſcunt.

Expoſitâ jam Originalis peccati Naturâ eidemque debitâ pœnâ, reliquum eſt, Viri Theologi, ut quam in Humana Natura ſtragem egerit, in extenuandis præſertim Hominum viribus ad bonum proſequendum, expendamus. Erit hoc ſubſequentium Tractationum Argumentum.

PRÆLECTIO XIV.

Naturam Humanam Protoparentis culpâ nedum gratuitis Innocentiæ Donis fuiſſe ſpoliatam; verùm etiam in naturalibus Dotibus ita vulneratam ac læſam, ut vires poſtmodum longè debiliores ad bonum peragendum habuerit, quàm prius in feliciſſimo illo Statu poſſidebat, Summorum Pontificum, & Conciliorum Definitionibus demonſtratur.

MAGNAM impræſentiarum provinciam ſuſcipimus, dum de fatalibus peccati Originalis effectibus diſputaturi convenimus. Primum medicinalis Chriſti Gratiæ Fundamentum ponimus adverſus novitiæ cujuſdam Scholæ Theologos, qui ut Chriſti Salvatoris Gratiam minùs æquo magnificent, primum, ex quo ejuſdem neceſſitas petitur, Fundamentum ſubruunt, ſuffodiunt, demoliuntur. Dicam id, ſi datis veniam, aliquantulum explicatiùs. Naturæ Humanæ Originali peccato ſauciatæ altiſſima vulnera, ægritudines, languores, infirmitates detecturi, oſtenſuri, probaturi ſumus: ut inde noverint Omnes, quantæ neceſſitatis fuerit medicinalis Gratia Redemtoris, adverſus Molinianæ Scholæ Sectatores; qui, ne potentiſſimæ, invictiſſimæque Gratiæ neceſſitatem agnoſcere compellantur, Naturam Humanam Originali peccato minùs læſam, ſauciatamque contendunt, & prædicant. Primum Hominem, admiſſo peccato, gratuitis quidem Donis ſpoliatum, ſanctificante Gratia deſtitutum profitentur; verùm naturales ad bonum agendum Vires diminutas, Inclinationes ed ea, quæ Juſtitiæ ſunt, in deterius immutatas, liberum arbitrium inflicto vero proprioque vulnere attenuatum, ac læſum omnino inficiantur; ita quidem, ut eaſdem modò ad bonum proſequendum Vires Hominem obtinere aſſeverent, quales habiturus fuiſſet, ſi in Statu Naturæ nudæ, videlicet ſine peccato, & ſine Gratia, conditus eſſet. Ita plane Ludovicus Molina in ſua illa Concordia, quæ tot diſcordiarum Seminarium fuit, *Quæſt.* 14. *art.* 13. *Diſp.* 3.; Gabriel Vaſquez *in* 1. 2. *Diſp.* 138. *cap.* 2.; Franciſcus Suarez *in ſuo Opere tripartito Prolegom.* 4. *de Statibus Hum. Nat. cap.* 8.; Ferdinandus Salazar *in Defenſ. immac. Concep. cap.* 1.; Robertus Bellarminus *Lib. de Gratia primi Hominis cap.* 5.; Joannes Azorius, aliique ex eadem Schola bene multi, quos recenſere longum eſſet.

Iſtud itaque Doctrinæ Monſtrum aggredior hodie debellandum: Mon-

Digitized by Google

Monſtrum dixi; nec elapſi verbi me pœnitet: imò, veriùs dixerim, Monſtrum plurium Monſtrorum fœcundiſſimus Parens. Vultis enim ediſcere; qualia inde, quotque immania Portenta ſoboleſcant? Quæ Doctrinæ Paradoxa ex, eo ſemel ſtatuto Dogmate derivarint Fabricatores ejus, atque Aſſertores? Molinam conſulite totius Doctorem Exercitus. Is ſiquidem, eo ſemel Principio poſito, nimirum Hominem primum, admiſſo peccato, Donis duntaxat gratuitis eſſe ſpoliatum, ſuaſque ſervaſſe naturales Virtutes minimè læſas, nulloque vero inflicto vulnere ſauciatas, quales in pura Natura habuiſſet, ſi in ea fuiſſet conditus; continuò, quid iis inſtructus Viribus poſſit Homo, nulla licet Chriſti opitulante Gratia donatus, feſtivè colligit. Ac primò infert, poſſe Hominem abſque Gratiæ adjutorio efficere opus morale, quod ſit verè bonum, ac veræ Virtutis opus. Tum, poſſe Hominem ſine Gratia Myſteriis ſupernaturalibus aſſentiri, ut a Deo revelatis. Subinde, poſſe Hominem abſque Gratia Chriſtum medicum quærere, ac medicinam deſiderare. Poſtmodum, poſſe abſque Gratia omnia Legis Naturæ Præcepta ſervare; ſuperare graviſſimas tentationes, tametſi mors oppetenda eſſet; diligere Deum ſuper omnia ſimpliciter; aliaque id genus Opinationum Portenta, quæ olim ſub Clemente VIII., & Paulo V. Romanis Pontificibus, tanquam Pelagiana, proſcripta ſunt unà cum ſtatuto Principio, unde a Ludovico Molina deducebantur; quanquam Pontificium Diploma meditatum, ac etiam inſtructum nondum ex forma Juris ſit promulgatum. Quid plura? Vultis alia ex eo Principio deducta ab Aſſertoribus ſuis Conſectaria? Audite. Peccatum Originale veri nominis peccatum non eſſe, inde intulit idem ille Molina, quòd videlicet ſolà Gratià adpromiſsà Poſteros Adæ ſpoliaverit, nec verè idcirco nos læſerit: ac demum iſtud aliud omnium Figmentorum maximum ex eo fonte cum ſuis Aſſeclis derivavit, ut in ante habitis Prælectionibus vobis expoſui, Parvulos ſine Baptiſmate decedentes, ſolo illo Originali peccato detentos, pœnis tandem omnibus, atque ærumnis a Deo liberatos iri; melioremque vitam aliquando ducturos, quàm ullus unquam mortalium duxerit. En Molinæ verba, ne quis putet, me ſtudio domeſticæ Cauſſæ nimis abreptum peregrinos ei ſenſus affingere: *Parvuli reprobati* (inquit ille *Quæſt.* 23. *art.* 4. & 5. *Diſp.* 1. *Memb.* 9.) *in reliquis perinde ſe habebunt, ac ſi in ſolis naturalibus fuiſſent conſtituti. Imò poſt diem Judicii, cùm ipſorum Animæ ſuis fuerint Corporibus reſtitutæ, ab omnibus moleſtiis, & ærumnis, quibus in hac mortali vita ſubjacemus, ſupernaturaliter liberabuntur; melioremque in naturalibus vitam vitio omni Mentis & Corporis immunem in perpetuas æternitates ducent, quàm ullus unquam Mortalium duxerit.* Quod quidem uſque adeo fatuum eſt,

Ddd ij   & Pe-

& Pelagianorum Hæreſi omnino germanum, ut plane mirari ſubeat, fuiſſe etiam noſtris hiſce diebus, qui idipſum fabulari non erubuerint: quos tamen in præcedentibus noſtris Theologicis Tractationibus, ſi bene meminiſtis, ſatis pro meritis exagitavimus. Interim ſtemus in incæpto; & ſecurim ad radicem ponamus; Principiumque illud piis auribus exoſum, unde tot ea infauſta Conſectaria deducuntur, omnium Argumentorum genere confutemus. Agedum, admoveamus Operi manum, ut oſtendamus, Naturam Humanam Protoparentis crimine nedum gratuitis Innocentiæ Donis exutam, verùm & in naturalibus Dotibus ita fuiſſe vulneratam, ut Vires modò longè debiliores ad bonum proſequendum teneat, quàm in feliciſſimo primo eo Statu poſſidebat.

Offert ſe primo in limine huic noſtro Inſtituto accommodatiſſima Parabola *Lucæ cap.* 10. ab univerſis Eccleſiæ Patribus longè celebratiſſima: *Homo quidam* [inquit Sacer Textus] *deſcendebat ab Jeruſalem in Jericho, & incidit in Latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum: & plagis impoſitis abierunt, ſemivivo relicto.* Nemo etenim Patrum eſt, qui id de Adamo, vel de Natura Humana intelligendum eſſe non moneat. Unus præ omnibus ſatis ſit Auguſtinus *Lib.* 2. *Quæſt. Evangel. Quæſt.* 19. *: Homo quidam deſcendebat ab Jeruſalem in Jericho; ipſe Adam* [inquit] *intelligitur in Genere humano .... Latrones, Diabolus, & Angeli ejus.* Porro duo hæc plane diſtincta in Homine primo attentarunt nefarii Latrones. *Deſpoliaverunt eum:* en primum quod ad Gratiam, & primævam Innocentiam, qua deſtitutus eſt primus Homo, jure referas: *plagis impoſitis abierunt, ſemivivo relicto*: en alterum, quod, niſi omnia promiſcuè confundere velis, ad aliud referas neceſſe eſt: nimirum ad naturalia Dona, in quibus vulneratus fuerit. Aliud ſi velis, Parabolæ vim maximam inferes. Sed ad cætera properemus, quæ Adverſarios arctiùs ſtringant, nec ab iis declinari facilè poſſint: ad Eccleſiaſticas videlicet Definitiones, quibus jam quondam aliàs Pelagianorum Reliquiæ attritæ fuerunt.

Explicatiſſima imprimis eſt Cæleſtini Pontificis Maximi Definitio *in Epiſt. Decret. ad univerſos Galliarum Epiſcopos;* ubi inter cætera Fidei Capita, quæ de Divina Gratia adverſus illius ætatis Hæreſes credenda proponit, iſtud loco primo decernit: *In prævaricatione Adæ omnes Homines naturalem poſſibilitatem, & Innocentiam perdidiſſe*: [apud Labbæum Tom. 3. pag. 473.] ubi duo amiſſa cernitis; *Innocentiam*, de qua quidem nulla eſt hodie Controverſia, & *naturalem poſſibilitatem*. Quid porro naturalis poſſibilitatis nomine intelligamus, niſi Naturæ robur, atque vigorem inflicto vulnere deperditum, & amiſſum? Ac ne quis id aliter intelligendum exiſtimet, omnes ſiniſtras interpretationes eliminat idem ille

ille Sanctiſſimus Pontifex, dum de Divino præveniente Adjutorio differit; ita quippe ſancit *Cap. 9.* loco laudato : *Quo utique Auxilio*, *&* *Munere Dei non auſertur liberum arbitrium*, *ſed liberatur*, *ut de tenebroſo lucidum*, *de pravo rectum*, *de languido ſanum*, *de imprudente ſit providum*. Liberum igitur arbitrium primi Parentis peccato tenebroſum , pravum , languidum, & imprudens evaſiſſe certò exiſtimavit Summus Pontifex Cæleſtinus.

Cæleſtino in ea edenda Definitione præiverat Gelaſius I. *in Epiſtola ad Epiſcopos per Picænum conſtitutos* [apud Labb. Tom. 5. pag. 302.] ubi nedum conceptiſſimis verbis adſtruit, Naturam Originali peccato vitiatam eſſe, quod ſanè ultra gratuitorum Donorum ſpoliationem inflictum aliquod Naturæ vulnus ſatis indicat; quin etiam addit, *ipſam Humanam Subſtantiam depravatam eſſe*. Qua verò ratione Subſtantiam Humanam depravatam aſſereret, ſi Donorum gratuitorum ſpoliatio duntaxat contigiſſet?

Sed & adeſt, quæ nulla cavillatione, nulla ſubtilitate declinari poteſt, Concilii *Arauſicani II.* (apud Labb. Tom. 5. pag. 809.) *Capitulo* 1. Definitio; cujus hæc verba ſunt: *Si quis per offenſam prævaricationis Adæ non totum*, *id eſt*, *ſecundum Corpus*, *&* *Animam in deterius dicat Hominem commutatum*.... *Pelagii errore deceptus adverſatur Scripturæ*. Et *Cap.* 13., *Arbitrium Voluntatis in primo Homine infirmatum* appellat. En ergo totum Hominem ſecundum Corpus , & Animam in deterius commutatum. Rurſus *Capit.* 25. : *Ac ſic ſecundùm ſuprascriptas Sanctarum Scripturarum Sententias*, *vel antiquorum Patrum Definitiones hoc Deo propitiante*, *&* *prædicare debemus*, *&* *credere* ; *quòd per peccatum primi Hominis inclinatum*, *&* *attenuatum fuerit liberum arbitrium*, *ut nullus poſtea aut diligere Deum*, *ſicut oportet*, *aut credere in Deum*, *aut operari propter Deum*, *quod bonum eſt*, *poſſit*, *niſi Gratia eum Miſericordiæ Divinæ prævenerit*. En rurſus liberum arbitrium inclinatum, & attenuatum : quod ſimiliter profitetur Concil. *Valentinum III. Can. 6.* (Tom. 9. pag. 1153. apud Labbæum) & *Moguntinum* celebratum anno 1549. *Cap.* 5. ; ubi expreſsè legitur, *peccatum primorum Hominum* reddidiſſe in nobis *libertatem arbitrii exiguam*, *&* *infirmam* : (apud Labb. Tom. 19. pag. 1405.)

Jam quid ad hæc Ludovicus Molina ? Audite Viri ſubtiliſſimi egregium interpretamentum. Nihil, inquit, hæc omnia ſignificant, quàm Hominem Originali peccato vitiatum non tantas habere vires, quantas habebat Homo in Innocentiæ Statu conſtitutus. Bellum profectò, bellum. Sic ſanè Eccleſiaſticas Definitiones ludit egregius Interpres; eaque Oracula univerſa, quibus liberum arbitrium Protoparentis peccato naturali poſſibilitate deſtitutum, obte-

tenebratum, pravum, languidum, attenuatum, in deterius immutatum ſignificatur, eò tantùm collimare contendit, ut velint iis duntaxat viribus non pollere, quibus valebat Homo Innocens, ac potentiſſimus. Perinde ac ſi ego Virum aliquem dicerem vulneribus confoſſum, languidum, ac ſemivivum; ſtatimque ſurgeret feſtivus Interpres, nihilque aliud a me iis verbis ſignificatum garriret, quàm, non iis pollere viribus Virum illum, quibus & Saul in Hoſtes, & Samſon in Philiſteos valuerunt. *O quàm ima ſummis atra dies miſcuit?*

Verùm, ſi eas Definitiones Eccleſiaſticas paulò pœnitius attendamus, perſpectum erit, quantum abſit ab omni veritatis ſpecie illud Molinæ Interpretamentum. Enimverò non in Pelagianos, ſed in Semipelagianos, ac Maſſilienſes iſta omnia jam a me laudata ſanxerunt Cæleſtinus I., Gelaſius I., Concilium Arauſicanum II., Valentinum III.; & Moguntinum ſupra relata. Porro Semipelagiani nec peccatum Originale negabant, ut Pelagiani; nec diffitebantur, fuiſſe primum Hominem Originali Integritate, atque Juſtitia deſtitutum. In iis quippe duobus Capitibus a Pelagianis diſſidebant, & cum Catholicis conſentiebant: unde nonniſi Semipelagiani vocitabantur. Suam igitur luſiſſent operam, atque aerem verberaſſent tot illi Pontifices, atque Concilia, ſi nihil aliud ſuis illis Definitionibus voluiſſent, quàm Originalis Integritatis, atque Juſtitiæ viribus fuiſſe Homines deſtitutos ex quo Primus Hominum a Deo transfuga factus eſt. Id enim contra Semipelagianos ſtatuiſſent, quod & illi ſummo conſenſu fatebantur. Aliquid igitur amplius, ac majus iis Definitionibus voluerunt; nempe, ultra illam Originalis Juſtitiæ, roboriſque ſpoliationem, fuiſſe etiam re ipſa inflictum Humanæ Naturæ vulnus, quo læſa, ſauciataque fuerit.

Ecquid aliud, amabò, iis Sanctionibus definitum dicat, qui tantiſper Semipelagiani Erroris Caput agnoverit? Ii quippe in Homine lapſo, doniſque omnibus gratuitis deſtituto reſiduam ſaltem exiſtimabant Naturæ vim, congenitum robur, quibus ad bonum conari ex ſe ſe poſſet: atque illud ipſum eſt Erroris Caput, quod ſuis illis Definitionibus contriverunt laudati Pontifices, atque Concilia; dum (ut illud fictitium robur a Semipelagianis excogitatum eliminarent) liberum arbitrium Protoparentis peccato languidum, extenuatum, naturali poſſibilitate deſtitutum ſuis Sanctionibus affirmarunt. Apage ergo ſpuria illa, & incondita Molinianorum Interpretamenta, quibus Eccleſiæ Definitionibus illudunt; ſeque plus nimio Semipelagianiſmi luto hærere ſignificant.

Jam verò, ſi Concilium Tridentinum appellem, compendio confecta res erit; ſiquidem *Seſſ. 5. in Decreto de peccat. Originali* ita

Digitized by Google

ita ſancit : *Si quis non confitetur, primum Hominem, cùm Mandatum Domini in Paradiſo fuiſſet transgreſſus, ſtatim Sanctitatem, & Juſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe*; (ecce Donorum gratuitorum expoliationem luculenter expreſſam ; Sanctitatem ſcilicet, & Juſtitiam amiſſam) *totumque Adam per illam prævaricationis offenſam ſecundùm Corpus, & Animam in deterius commutatum fuiſſe*; *anathema ſit*. En itaque commutationem & Animæ, & Corporis in deterius factam. Hoc certè aliquid præter amiſſam Juſtitiam ſignificat ; aliàs mera eſſet repetitio eorum, quæ dicta primùm fuerant. Sed audite jam clariùs expreſſam naturalium Donorum attenuationem initio *Seſſ. 6. cap.* I. : *Tametſi in eis liberum arbitrium minimè extinctum eſſet, viribus licet attenuatum, & inclinatum*. Neque verò dici poteſt, liberum arbitrium eatenus attenuatum nuncupari, quatenus Sanctitate, & Juſtitia deſtitutum eſt; quaſi idem omnino ſit attenuatio, & Donorum ſupernaturalium deſtitutio: fruſtra enim duo illa diſtinctis Definitionibus ſtatuiſſet Tridentina Synodus, ſi unum idemque prorſus eſſent.

Rurſus (quod hìc notari omnino velim ad hujuſce Suffugii a Molina, & Suareſio quæſiti confutationem) plane definit Tridentina Synodus eo loci, liberum arbitrium Originali peccato extinctum non eſſe, bene tamen viribus attenuatum ; ſic etenim verba ſonant: ſecundùm ergo eas vires attenuatum eſt liberum arbitrium, ſecundùm quas extinctum non eſt : at ſecundùm vires ſupernaturales ex Donis ſupernaturalibus provenientes extinctum fuit in Adamo liberum arbitrium, Molinianis ipſis fatentibus : itaque ſolis duntaxat viribus naturalibus extinctum non eſt : igitur in ipſis viribus naturalibus attenuatum eſt ex Concilii Tridentini Definitione. Et certe ſi ex Inſtituto illius Definitionis liceat verborum ſenſum explorare, quoſnam ea Definitione petit Concilium Tridentinum? Certè Lutheranos, & Calviniſtas, qui liberum arbitrium ex peccato primi Parentis extinctum omnino fabulantur; eorum prorſus occaſione definit, *liberum arbitrium Adami prævaricatione nequaquam extinctum eſſe* : quorſum autem ſubjungit, *fuiſſe nihilominus idem liberum arbitrium viribus ſuis attenuatum, & inclinatum?* Ne ſcilicet Lutherani, & Calviniſtæ Concilio improperare poſſent, quod in extremum Semipelagianorum Errorem abiiſſet ; ideo & in illos hoc ultimum telum vibratum voluit, qui liberum arbitrium nequidem ex peccato primi Parentis attenuatum agnoſcebant. Jam, inquio, dum Lutherani, & Calviniſtæ liberum arbitrium extinctum dicebant; extinctum profectò intelligebant ſecundùm vires ejus naturales; aliàs ſi in viribus ſupernaturalibus extinctum duntaxat dixiſſent, nullum eis idcirco negotium

tium

tium faceſſiviſſet Eccleſia; id etenim certiſſimum eſt. Pariter dum Semipelagiani liberum arbitrium nequidem attenuatum garriebant, de attenuatione in viribus naturalibus ſermo erat, de ſupernaturalibus quippe viribus nec per ſomnium cogitabant. Igitur horum alterutrum aſſerendum eſt; vel neſciviſſe quod ſibi vellet Concilium Tridentinum; nec eorum Hæreticorum Errorem, ac ſenſum probè noviſſe, dum illos hac ſua Definitione æquo pede pulſavit; aut, ſi novit, uti plane noviſſe fatendum eſt, de attenuatione liberi arbitrii in ipſis viribus naturalibus ea pronunciaſſe: atque idcirco Molinianos Synodicæ Definitionis ſenſum perperam accepiſſe.

Quandoquidem autem de Hæreticorum Sententia a Tridentino Concilio damnata ſermonem ex occaſione injecimus, poſſumus hoc etiam ex Capite Sententiæ noſtræ præſidium accerſere: ſi videlicet obſervemus, id ipſum ſenſiſſe Semipelagianos, quod & ii Theologi, cum quibus hìc quæſtionem habemus; illudque ſui Erroris Fundamentum poſuiſſe; Adamum ſcilicet ſibi, nobiſque peccaſſe; primi Status Sanctitatem atque Juſtitiam amiſiſſe; cæterùm naturales facultates ad bonum nec primo peccato læſas, nec imminutas evaſiſſe. Ita quippe de illis ſcribit S. Proſper *in Epiſtola ad Demetriadem* circa medium [in Patrum Bibliotheca Colon. anno *1618.*] *Cùm inter noſtros Originalis peccati vulnera faterentur, inter ſuos tamen hoc tenere oſtenderent, quòd primorum Hominum prævaricatio ſolis imitatoribus obfuiſſet: naturalem autem facultatem* [notate verba] *nihil ſui in alieno amiſiſſe peccato.* En plane quod Theologi iſti Novitii nobis obtrudunt; naturalem videlicet facultatem nihil ſui amiſiſſe per Adami peccatum. Vultis aliquid explicatius? Audite Caſſiani hujus Sectæ Coriphæi Sententiam ab eodem S. Proſpero relatam *cap. 9. contra Collatorem: Qui ergo putat, conſequens eſſe, ut ſi liberum arbitrium obcœcatum eſſe dicatur, obcæcatio ipſa ad Naturæ referatur Authorem; vult perſuadere, quod tam ſanum ſit in Adæ Poſteris liberum arbitrium, quàm in Adam fuit ante peccatum: quod ſatis alienum a Catbolica Fide duximus.* [Tom. 10. Oper. S. Auguſt. in App.] Certè audire hìc mihi videor Theologos illos, cum quibus nobis eſt Controverſia. Ea enim ipſa, iiſdem plane verbis, ſuis paſſim in Libris venditant quotquot amiſſam duntaxat Juſtitiam Originalem exiſtimant; liberi tamen arbitrii vires nullatenus ſauciatas, ac læſas ſibi fingunt.

Coronidem huic Exercitationi imponet obſervatio minimè pœnitenda, a me non ſemel in Superioribus facta; peccatum ſcilicet Originale non in nuda Originalis Juſtitiæ privatione ſitum eſſe; ſed reatum culpæ ſimul importare, veram Animæ maculam, & immunditiam inferre. Eſt hæc profectò Eccleſiæ Catholicæ Profeſſio

feſſio ſacrorum Conciliorum Oraculis expreſſa, maximè verò Tridentinæ Synodi *Decreto de Peccato Originali, & Seſſ. 6. cap.* 1. Quis autem facilè capiat, reatum illum, maculam illam, & immunditiam nullum ultra Originalis Juſtitiæ ſpoliationem Humanæ Naturæ nocumentum intuliſſe, cùm ſint ipſamet graviſſima nocumenta, a quibus pura Natura immunis penitus extitiſſet, ut notum eſt? Magna certè vis eſt Originalis peccati: magnam in Humana Natura ſtragem egit. Quod neſcio, an rectè, ac plane intelligant, qui iſta in Scholas Paradoxa intulerunt.

Reſtat Sanctorum Patrum, ac præſertim Auguſtini, ac Thomæ Sententia ea de re inveſtiganda. At, ut eſt illud magnæ molis opus, in ſequentem Exercitationem mittimus conficiendum.

Digitized by Google

PRÆLECTIO XV.

SS. Auguſtini & Thomæ Sententia de vulnere per peccatum Originale Humanæ Naturæ inflicto expenditur, declaratur.

EXPENSIS Eccleſiæ Catholicæ Definitionibus, quibus Naturam Humanam Protoparentis peccato infectam, nedum Donis gratuitis ſpoliari, verùm etiam naturalibus viribus debilitari, attenuari, veroque inflicto vulnere ſauciari demonſtravimus, poſtulat inſtitutæ Quæſtionis dignitas, ut Auguſtini, Angelicique Doctoris mentem paulò intimiùs expendamus. Neque etenim veſtrum aliquem latere puto, eorum nomina omnem humanam exiſtimationem prætergreſſa tantum in Eccleſia Authoritatis habuiſſe in Quæſtionibus maximè de Divina Gratia controverſis, ut veritatem ea parte ſtare [Divino Numine afflante] certò definierint Romani Pontifices, in quam illos propendiſſe cognoviſſent. Quid ergo de inſtituta Quæſtione pronunciaverint magna illa Eccleſiæ Lumina videamus.

Auguſtinum quod attinet, exſcribere illum opus eſſet, ſi quidquid de ſequutis ex Protoparentis peccato vulneribus, plagis, infirmitatibus, ſuis paſſim contra Pelagianos Libris editis docuit, referre velim ex integro. Parabolam Viri deſcendentis ab Jeruſalem in Jerico, nedum a Latronibus ſpoliati, verùm etiam adjectis inſuper plagis ſauciati, ac ſemivivi relicti, Protoparenti, totique ſubinde Humano Generi ſexcentis plus minùs locis accommodat: hincque apud ejus diſcipulos Proſperum, Fulgentium, Hilarium Epiſcopos in Sardinia exſules ea familiaris Sententia fuit a tanto Magiſtro propagata: *Peccans itaque ille* [Adam] *qui ſine peccandi neceſſitate creatus eſt, in eo, quòd animæ ſanitatem delinquendo perdidit, etiam illam cogitandi, quæ ad Deum pertinent, amiſit protinus facultatem. Oblitus eſt enim manducare panem ſuum, & expoliatus veſtimento Fidei, carnaliumque concupiſcentiarum vulneribus ſauciatus, ſic jacuit oppreſſus ditione peccati, ut nullatenus aliquod bonæ voluntatis initium habere potuiſſet.* Ita S. Fulgentius *Lib. de Incarnatione & Gratia cap.* 13. Rurſus *Lib. de Natura & Gratia contra Pelagium cap.* 19. ſuper illum *Pſalm.* 40. *verſ.* Ego dixi; Domine miſerere mei; ſana animam meam, quia peccavi tibi; ſubdit Auguſtinus: *Quid ſanatur, ſi nihil eſt vulneratum, nihil ſauciatum, nihil debilitatum, atque vitiatum?*

De-

Decretorium etiam eſt illud, nullaque unquam cavillatione declinandum, quod habet eximius Divinæ Gratiæ Defenſor eodem *Lib. de Natura, & Gratia. Cap.* 53. adverſus Pelagianos Naturæ vires pauld petulantiùs jactitantes: *Quid tantum de Naturæ poſſibilitate præſumitur? Vulnerata, ſauciata, vexata, perdita eſt.* Porro Pelagiani eas Naturæ Humanæ vires, agendique poſſibilitatem, quas altiùs exaggerabant, non quaſi ex Juſtitia Originali progerminantes obtrudebant, cùm Hominem peccantem ea deſtitutum agnoſcerent; ſed ex ipſis puræ Naturæ Principiis repetebant, ut unicuique notum eſt. Dum ergo eam Naturæ poſſibilitatem ab iis jactitatam, *vulneratam, ſauciatam, vexatam, perditamque* aſſerit Auguſtinus, planè vulneratam, ſauciatamque Naturam intelligit in iis ipſis naturalibus donis, de quibus eum inter, ac Pelagianos quæſtio vertebatur.

Nec minùs planum, apertumque eſt, quod ejuſdem *Libri cap.* 19. ſcriptum reliquit: ubi poſtquam ex Divinis Scripturis oſtendit, ex Originali peccato debilitatam, & infirmatam eſſe Naturam Humanam, hoc ſibi ex Perſona Pelagii Argumentum opponit: *Quomodo potuit Humanam debilitare, vel mutare Naturam, quod ſubſtantiâ caret?* At ſi eam Naturæ debilitationem, & immutationem in ſola ſupernaturalium Donorum privatione ſitam dixiſſet Auguſtinus, non uſque adeo animo obtuſus, & hebes Pelagius extitiſſet, ut eam a re, quæ ſubſtantiâ careret, oriri poſſe non intelligeret. Quis enim non facilè capiat, ſupernaturalium Donorum privationem ab aliquo ſubſtantiâ carente derivari poſſe? Quid porro ad retundendam Pelagii Argutiam reponat SS. Doctor *cap.* 20., audite: *Sed abſtinere a cibo non eſt ſubſtantia; & tamen ſubſtantia corporis, ſi omnino abſtinetur a cibo, ita langueſcit, ita valetudinis inæqualitate corrumpitur, ita exhauritur viribus, ita laſſitudine debilitatur, & frangitur; ut ſi aliquo modo perduret in vita, vix poſſit ad eum cibum revocari, unde abſtinendo vitiata eſt. Sic non eſt ſubſtantia peccatum: ſed ſubſtantia eſt Deus, ſummaque ſubſtantia . . . . . a quo per inobedientiam recedendo, & per infirmitatem non valendo capere, quo debuit & gaudere, audis quemadmodum dicat:* percuſſum eſt ſicut fœnum, & aruit cor meum, quoniam oblitus ſum manducare panem meum. Quid, amabo, explicatius? Quid apertius?

Sed nec id ſatis. Principium eſt Auguſtinianæ Doctrinæ ſexcentis plus minùs locis a Sancto Doctore ſtatutum adverſus Pelagianos, & Manichæos; Ignorantiam veri, & Difficultatem recti, quas quiſque ab ipſo vitiatæ Originis ortu patitur, non primordia, ſed ſupplicia eſſe Naturæ; non Naturam eſſe inſtituti Hominis, ſed pœnam damnati. Extant eæ apud Auguſtinum locutio-

nes *Lib.* 3. *de libero arb. cap.* 18.; *in Enchiridio ad Laurentium cap.* 24.; *de Dono Perſeverantiæ cap.* 11., *Lib.* 1. *de Peccat. meritis, & remiſs. capp.* 35. 36. 37.; *Lib.* 22. *de Civitat. Dei cap.* 22.; *Epiſt.* 194. *ad Sixtum*; *Lib.* 1. *Retract. cap.* 9. Jam, inquio, ſi ea Ignorantia, & Difficultas ſupplicia Naturæ ſunt, non debita merita; ſunt igitur vulnera Naturæ inflicta, quibus infirmatur, debilitatur, & læditur.

At erit fortaſſe qui aſſerat, Ignorantiam quoque veri, Difficultatemque recti in pura Natura reperiri potuiſſe; fruſtraque uti lapſæ Naturæ propria vulnera jactitari; atque uti talia ab Auguſtino aſſerta profectò eſſe.

Audiant, qui iſta reponunt, quantum SS. Doctori repugnent: *Approbare falſa pro veris, ut erret invitus, & reſiſtente, atque torquente dolore carnalis vinculi non poſſe a libidinoſis operibus temperare, non eſt Natura inſtituti Hominis, ſed pœna damnati Lib.* 3. *de lib. arb. cap.* 18. Scire ergo illos juvat, aliam fore Ignorantiam Naturæ puræ congenitam, aliam Naturæ lapſæ ſupplicium, atque vulnus; fruſtraque promiſcuè confundi, ut Auguſtinianæ Doctrinæ nebulas offundant. Prior, quam ingenitum puræ Naturæ defectum eſſe ſcimus, Ignorantia negativa (ut Schola loquitur) ſeu ſimplicis neſcientiæ vocitatur; altera poſitiva, ut ita dixerim, pravæque diſpoſitionis, & indocilitatis, ut loquitur Auguſtinus; qua videlicet & neſcit Homo, & ſcire recuſat, & libenter falſa pro veris approbat: atque illa ipſa eſt, quam & Naturæ puræ congenitam negat Doctor SS., & plagam, vulnuſque eſſe, atque etiam vitium contendit *Lib.* 1. *de peccat. meritis, & remiſſ. cap.* 36.: *In illas*, inquit, *ignorantiæ denſiſſimas tenebras, ubi Anima Infantis recentis ab utero, utique Anima hominis, utique Anima rationalis, non ſolùm indocta, verùm etiam indocilis jacet, quare, aut quando, aut unde contruſa eſt? Si Natura eſt hominis ſic incipere, & non jam vitioſa eſt illa Natura, cur non talis creatus eſt Adam?* Quiſquis ergo Ignorantiam illam, quam hodie patimur, aut cum Ignorantia puræ Naturæ confundit, aut Naturæ jam fauciatæ vulnus eſſe diffitetur, ut nullam in naturalibus Facultatibus ex primo peccato plagam inflictam fabuletur, ineptum ſe ſe, ac prorſus inſulſum SS. Doctoris Interpretem prodit.

Unicum addam, quod citrà piaculum ſilere nequeam: nihil adeo apud Auguſtinum frequenter occurrit; nihil adeo contra Pelagianos nervosè aſſertum, vindicatumque eſt; quàm non naſci Homines in Statu Naturæ puræ. Si quæ porro ab adverſa Parte Sententia defenditur, ſtaret, profectò in Statu Naturæ puræ naſceremur. Omnes etenim Facultates naturales, Propenſiones,

In-

Digitized by Google

Inclinationes, puras, & abſque læſione naſcendo nobiſcum afferremus, quales poſtulat pura Natura. Neque verò obeſset, quòd cum peccato Originali naſcamur. Si enim, ut ajunt Theologi Moliniani, nullam Originale peccatum læſionem affert, vulnus nullum Naturæ inflictum; ſed ſolam Gratiæ Sanctificantis, & Originalis Juſtitiæ privationem, profectò Originale peccatum Naturæ puræ non officeret; cùm & illam quoque Gratiæ Sanctificantis privationem Naturæ puræ Status involvat.

Te ne verò in hac celebri Concertatione inſalutatum prætermittam, Doctor Angelice, qui, ut in omnibus Auguſtinum Doctrinæ Magiſtrum excipis, in hacce potiſſimùm Aſsertione, cui tota pene ſtat Auguſtini de Gratia Chriſti medicinali Doctrina, Magiſtrum illum, ac Ducem religioſiùs, atque tenaciùs ambiviſti? Nec fallor. Parabolam imprimis Evangelicam vulnerati Samaritani, quam toties huic Inſtituto accommodavit Auguſtinus, accommodavit quoque Doctor Angelicus *in 2. Sent. diſtinct. 29. quæſt. 1. art. 2.* in Argumento *ſed contra : Adam*, inquit, *peccando fuit vulneratus in naturalibus, & ſpoliatus gratuitis, ut dicitur in Gloſſa Lucæ 10.*; ubi vulnus naturalium a gratuitorum ſpoliatione ſecernit : ad aliud vulnus refert, ad aliud ſpoliationem; illud ad naturalia, iſtam ad gratuita. Rurſus *Diſtinctione ſequenti quæſt. 1. art. 1. ad 3. Et hoc modo* (ſecundùm quod ordinantur in finem ultimum) *in utraque* (Angelo & Adamo) *bona naturalia imminuta ſunt, non quidem penitus amiſſa; in quantum uterque factus eſt minus habilis, & magis diſtans a finis conſecutione; & propter hoc etiam homo gratuitis ſpoliatus dicitur, & in naturalibus vulneratus, Lucæ 10. in Gloſ.* Quæ omnia uſque adeo eliquata, aperta, diſtinctaque ſunt, ut nulla noſtra commentatione egeant.

Quid plura? Quo potiſſimùm Capite ſtet illud Humanæ Naturæ in Donis naturalibus vulnus, explicat idem Doctor Angelicus *1. 2. quæſt. 85. art. 3. in corp. : Hæc autem Originalis Juſtitia*, inquit, *ſubtracta eſt per peccatum primi Parentis, ſicut jam dictum eſt : & ideo omnes vires Animæ remanent quodammodo deſtitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem : & ipſa deſtitutio vulneratio dicitur Naturæ.* Unde porro illa ordinis deſtitutio? Quia a Creatore ſuo averſus Homo, totus in bonum proprium inclinatur, retrahiturque a profeſſione Virtutis. Ne quis autem fortaſſis hariolетur, contendatque, Doctorem Angelicum eam ordinis deſtitutionem in ſola privatione Juſtitiæ primitivæ, non in confixione, atque vulneratione propria, ac vera naturalium Facultatum repoſuiſſe, quod continuò Moliniani decantant, omnem ſiniſtræ interpretationi præcluſit aditum in eadem 1. 2. *quæſt.* 82.

82. *art.* 1. *ad* 1., ubi hæc habet *: Dicendum, quòd ſicut ægritudo corporalis habet aliquid de privatione, in quantum tollitur æqualitas ſanitatis, & aliquid habet poſitivè, ſcilicet ipſos humores inordinatè diſpoſitos; ita etiam peccatum Originale habet privationem Originalis Juſtitiæ, & cum hoc inordinatam diſpoſitionem partium Animæ. Unde non eſt privatio pura, ſed eſt quidam habitus corruptus.* Sṗat, ſi poteſt, Molina huic pannulo aliquam diſtinctiunculam, ut Figmentum ſuum tueatur; erit mihi magnus Apollo.

Cæterùm ne quid ad integram hujus materiæ Tractationem deſiderari a quoquam poſſit, quot ſint ea ex Originali peccato ſequuta vulnera, quaſve potiſſimùm Potentias inficiant, exponit Angelica prorſus ratiocinatione, ejuſque Ingenio digniſſima D. Thomas eadem illa 1. 2. *quæſt.* 85. *artic.* 3. *in corp.*: *Sunt quatuor*, inquit, *Potentiæ Animæ, quæ poſſunt eſſe ſubjecta virtutum, ut ſupra dictum eſt: ſcilicet Ratio, in qua eſt Prudentia: Voluntas, in qua eſt Juſtitia: Iraſcibilis, in qua eſt Fortitudo: Concupiſcibilis, in qua eſt Temperantia. In quantum ergo Ratio deſtituitur ſuo ordine ad verum, eſt vulnus Ignorantiæ: in quantum verò Voluntas deſtituitur ordine ad bonum, eſt vulnus Malitiæ: in quantum verò Iraſcibilis deſtituitur ſuo ordine ad arduum, eſt vulnus Infirmitatis: in quantum verò Concupiſcentia deſtituitur ordine ad delectabile moderatum Ratione, eſt vulnus Concupiſcentiæ. Sic igitur iſta quatuor ſunt vulnera inflicta toti Humanæ Naturæ ex peccato primi Parentis.* Faceſſant igitur inania illa recentium quorumdam Theologorum Figmenta, qui quantas in Humana Natura ſtrages fecerit Originale peccatum, minùs capiunt; ut Gratiæ Chriſti medicinalis neceſſitatem commodiùs oppugnent. Naturæ quippe per peccatum vulneratæ Infirmitas prima veluti Baſis, ac Fundamentum eſt, cui tota de Gratia Chriſti medicinali Doctrina nititur; quam, eo avulſo, concidere neceſſe eſt. Dolebam, ut verum fatear, unum e noſtris Joannem Baptiſtam Gonetum his demum temporibus in eam Molinianæ Scholæ laxitatem incautè, & incircumſpectè declinaſſe; nec ſatis animadvertiſſe, Angelicam Scholam adverſus illud Doctrinæ Paradoxum in celeberrimis Auxiliorum Congregationibus tanquam pro aris & focis adverſus naſcentem Molinianiſmum ſtrenuè decertaſſe: at magno tandem perfuſus ſum gaudio, dum mutatam ab illo Sententiam vidi *in quarta Manualis Thomiſtici Editione, pag.* 218., quam Lugduni curavit anno 1681. apud Aniſſonios, & Joan. Poſuel; ubi *re maturiùs diſcuſſa, & attentiùs ponderata*, ut ipſemet fatetur *Tract.* 8. *de Homine cap. ultimo num.* 1., *veram omnino* exiſtimavit *Sententiam oppoſitam, quæ nempe Hominem aſſerit per peccatum Ori-*

Originale non ſolùm eſſe ſpoliatum Donis gratuitis, ſed etiam vulneratum in naturalibus; ſubindeque minores eſſe vires morales in Homine lapſo, quàm fuiſſent in Homine puro, ſeu in puris naturalibus conſtituto. Ita agnita veritate priorem Sententiam, quam minùs cautè amplexus fuerat, retractavit Theologus celeberrimus.

Neque verò eſt illa propria Angelicæ Scholæ Doctrina; cùm in eo Dogmate Theologia Scholaſtica nata ſit. Hanc enim Doctrinam ante Angelici Doctoris tempora Petrus Lombardus Sententiarum Magiſter, primuſque Scholaſticæ Theologiæ Parens, cujus in Expoſitione ex Inſtituto verſamur, adeo luculenter, atque diſtinctè propugnavit, ut nihil deſiderari ultra poſſit, *Lib. 2. Diſt. 25. cap. 8.*: ubi agens de corruptione liberi arbitrii per peccatum hæc habet: *Per illud namque peccatum naturalia bona corrupta ſunt in Homine, & gratuita detracta: hic eſt enim ille, qui a Latronibus vulneratus eſt, & ſpoliatus. Vulneratus quidem in naturalibus bonis, quibus non eſt privatus; alioquin non poſſet fieri reparatio: ſpoliatus verò gratuitis, quæ per Gratiam naturalibus addita fuerant. Hæc ſunt data optima, & dona perfecta, quorum alia ſunt corrupta per peccatum, ideſt naturalia; ut Ingenium, Memoria, Intellectus: Alia ſubtracta, ideſt gratuita; quanquam & naturalia ex Gratia ſint; ad generalem quippe de Gratiam pertinent.*

Suadet hoc ipſum etiam ratio ex primis Theologiæ Principiis petita. Ex quo etenim Originali peccato infectus eſt Homo, a Deo prorſus avertitur nedum, ut Fine ſupernaturali, verùm etiam naturali. Cùm enim naturalem ſimul, & ſupernaturalem Legem prætergreſſus ſit primus Parens, ſe ipſum, totamque Progeniem avertit a Deo. Quis porro averſionem illam grave vulnus eſſe neget, grave ad rectè agendum impedimentum; cùm nullus ſeſe ad agendum accingat, nullus recta media ſumat, niſi converſus ad finem? Nihil verò ejuſmodi quidquam eſſet in pura Natura, cùm Homo eo in Statu poſitus ex ipſa Naturæ ſuæ conditione Deo, uti Fini naturali, adhæreſceret; illumque non amore duntaxat Concupiſcentiæ, verùm etiam Amicitiæ ſuper omnia diligeret.

Quid jam, ſi in cætera inquiram impedimenta, quibus ex Peccati Originalis vitio a bono retrahitur Homo læſus, quibus profectò liber omnino foret Homo purus? Acrior tentatio Dæmonum; minùs ſuavis in Homines Providentia Dei; vera, ac propria indignitas recipiendi Divina Beneficia; Ira Dei in nos concitata; ſumus enim vel ex ipſo ſolo Originali peccato iræ Filii; Malitia longè gravior, Ignorantia major, Concupiſcentia vehementior. Concupiſcentiam vehementiorem appello, ut intelligatis, eo etiam ex Capite debiliores eſſe lapſæ Naturæ vires quàm puræ; etiamſi verum eſſet, quod nonnulli Theologi putant, fore ſcilicet Concupiſcen-

ſcentiæ rebellionem in pura Natura : cùm & illi ipſi, qui ita ſentiunt, graviorem, vehementioremque perduellionem eſſe velint in lapſa Natura, quàm in pura fuiſſet. Cæterùm ſi ſtat, quod in antehabitis ex hocce Suggeſtu propugnabam, certumque omnino eſſe puto; nullam ſcilicet fuiſſe Concupiſcentiæ perduellionem in pura Natura, profectò compendio confecta res eſt, actumque de Dogmate Moliniano : nullum enim futurum exiſtimo, qui Naturam Concupiſcentiâ perduelli ſauciatam debiliorem omnino non dicat eâ Naturâ, cui nulla ineſſet Concupiſcentiæ rebellio.

Videndum jam quid pro ſuis tuendis Finibus proferant Adverſarii. Erit id, auſpice Deo, ſequentis Diſputationis Argumentum.

Digitized by Google

PRÆLECTIO XVI.

Satis fit Objectionibus contra læſionem naturalium Donorum a peccato Originali Humanæ Naturæ illatam.

SATIS pro aſſerenda veritate litavimus: ſatis Humanæ Naturæ Originali peccato ſauciatæ vulnera, digito veluti, monſtravimus: poſtulat inſtituti operis ratio, ut Adulatores, qui eam nihilo ſuis Facultatibus læſam, nulliſque proprii nominis vulneribus, ac plagis infirmatam fabulantur, audiamus; eorumque Momenta, ſi quæ ſunt, ad trutinam revocemus. Horum nonnulla in anteceſſum occupavimus, dum Concupiſcentiam perduellem Statui Naturæ puræ repugnantem oſtenderemus; atque illud imprimis ex Dionyſio Areopagita, atque etiam ex Angelico Doctore jactitari ſolitum; Dona ſcilicet naturalia in Dæmonibus, atque adeo in Homine poſt peccatum integra remanſiſſe. Quæ etenim Dona naturalia integra remanſiſſe voluerit D. Thomas, apertiſſimè oſtendimus; phyſica ſcilicet, ac ſimpliciter naturalia; eſſe nimirum, vivere, & intelligere; non illa, quæ moris ordinem ingrediuntur, qualia ſunt Inclinationes, Propenſioneſque naturales ad bonum. Quocirca naturales Vires diminutas, ſauciataſque noviſſe Doctorem Angelicum, adeo apertum eſt, ut mirari mihi ſubeat, reperiri potuiſſe Theologos aliquos, qui contrariam illi Sententiam affinxerint.

Accedit alterum, cui illi potiſſimum fidunt, decantatum ſcilicet illud quorumdam Theologorum Pronunciatum, *peccatum Originale non eſſe, niſi removens prohibens*: ſic enim loquitur Scholæ barbaries: hoc eſt, peccatum Originale Originalem duntaxat Juſtitiam amoviſſe, qua inordinati Naturæ motus prohibebantur, coercebantur: atque idcirco ex Originali peccato majorem Naturæ Propenſionem ad malum non acceſſiſſe, quàm ipſa ſuapte ingenita conditione haberet. Eo plane modo, quo lapis columnæ ſuſpenſus majori in centrum propenſione non fertur ſemota columna, quàm ingenita ſibi Natura ferri petat.

Ego quidem, ut fatear ipſe quod ſentio, riſum cohibere vix poſſum, dum hæc audio. Equidem Originale peccatum removiſſe prohibens; hoc eſt, Originalem Juſtitiam ſuſtuliſſe, certiſſimum habeo; at nihil aliud præſtitiſſe, plane nego; ſatiſque, ni fallor, ſuperioribus Tractationibus Conciliorum, ac Patrum Oraculis de-

monſtravi, quàm longè a vero abſcedant, qui hæc ſibi fingunt. An enim Juſtitiam Originalem duntaxat ſuſtulit, quòd Hominem a Deo etiam ut Authore Naturæ avertit, cui ſuapte natura adhæreſceret? Quòd Iræ filium fecit? Quòd Ignorantiam pravæ diſpoſitionis, & indocilitatis induxit? Quòd Concupiſcentiam effrænem, & ſolis Naturæ Viribus inſuperabilem intulit? Quòd a Finis naturalis aſſecutione dimovit? Quòd Dona naturalia fauciavit, vulneravit, Hominemque ſemivivum reliquit? Hæc porro omnia ex Originali peccato conſecuta eſſe, cumulatè probavimus. Equidem, ſi quo pacto Deus ex mero beneplacito Voluntatis ſuæ Originalem Juſtitiam Adæ contulit, eamdem ſolus ipſe ſuſtuliſſet, nullo accedente Adæ peccato; nil magis debilitata Natura manſiſſet, quàm ipſamet ex ingenita conditione debilis eſſe ſoleat. At rem aliter ſe habuiſſe Fides docet. Peccatum Originale non in nuda Originalis Juſtitiæ ſubtractione ſitum eſſe; ſed veri nominis eſſe peccatum, quod nobis transfuſione fit proprium. Animam vero reatu commaculare; fœditatem quamdam ſpiritualem, & immunditiam inferre, quæ mortis debitum ſecum importet, Eccleſia Catholica profitetur. Non ergo perinde omnino ſe habet Originale peccatum, ac qui columnam, cui lapis innititur, ſubmoveret, ut ingenita duntaxat gravitate rueret; ſed potius ut ille, qui præter columnæ ſubmotionem ingentem ſuperpoſito lapidi vim imprimeret, ut celerius rueret, quàm ex ſola ingenita ſibi Natura ruere ſoleat: qui novum pondus adjiceret lapidi, ut ocius declinaret in præceps, quàm ex ſeſe labi, ac declinare poſtularet.

Hoc ipſum confirmat Doctor Angelicus eo ipſo in loco, ubi peccatum Originale removens prohibens appellat, modò non curſim, & perfunctoriè, ut Adverſarii ſolent, ſed seriò legatur: ita quippe loquitur ille 1. 2. *quæſt.* 82. *art.* 1. *ad* 3. *: Quamvis etiam ex peccato Originali ſequatur aliqua inclinatio in actum inordinatum, non directè, ſed indirectè, ſcilicet per remotionem prohibentis, ideſt Originalis Juſtitiæ, quæ probibebat inordinatos motus: ſicut etiam ex ægritudine corporali indirectè ſequitur inclinatio ad motus corporales inordinatos*. Notate quæſo verba; & ſignate myſteria. Ibi quidem Originale peccatum appellat removens prohibens; hoc eſt, removens Juſtitiam Originalem; non tamen ſolùm removens dicit. Tum motus inordinatos indirectè tantùm ex eo peccato oriri ſignificat; quia directè, ac veluti primariò Juſtitiam expellit: at non negat, ſecundariò ſaltem ſuboriri motus illos ex ipſo quoque peccato. Sed & quod addit ægritudinis Exemplum, difficultatem omnem eliminat. Quis enim dubitet, ægritudinem, ſemota atque depulſa ſanitate, per ſe etiam debilitare Naturam; & ex debilitata Natura inordinatos quoque debilis Corporis motus per ſe ſequi,

qui, tametſi ſecundariò; hoc eſt, poſt depulſam ſanitatem? Aut quis ſibi fingat, ægritudinem ſolùm eſſe removens ſanitatem, ac non ultra producere in debilitata Natura inordinatos Corporis motus? Idem porro ex peccato Originali nobis accidere contendit Doctor Angelicus. Quod ergo ex eo D. Thomæ Teſtimonio præſidium petunt, iis ipſis e contrario jugulum petit.

Sed inquient: ſi peccatum Originale inordinatos illos motus per ſe generaret, tametſi ſecundariò; hoc eſt, poſt ſublatam Juſtitiam Originalem; æqualis in omnibus eſſet ea motuum deordinatio; cum Originale peccatum æqualiter omnibus inſit: ut enim communi Scholæ Adagio fertur, æqualitas cauſſæ per ſe cauſſat æqualitatem effectuum. Porro experimento comprobatum eſt, non omnes æqualiter Ignorantiæ tenebris involvi, & inordinatis Concupiſcentiæ motibus inardeſcere. Ardent enim alii plus, alii minus; plus alii, alii minùs deſipiunt.

Certè & hoc ipſum in Oppugnantes potiori jure regeri poſſet. Si etenim inordinati motus ex ipſa Natura ſecundùm ſe ſe ſpectata ſoboleſcerent, cùm primùm Originali Juſtitiâ deſtituitur, ut ipſi quidem opinantur, quorſum variam in variis motuum deordinationem experimur, cùm Natura ſecundùm ſe ſe ſpectata ſit una, eademque prorſus in illa Originalis Juſtitiæ deſtitutio? Quare dicendum, omnino ſtante eâdem efficiente cauſsâ diverſos quandoque effectus ſuboriri ob varias materiæ diſpoſitiones: ſic ſanè idem ignis plus in uno ligno quandoque poteſt, quàm in altero; quòd illud iſto meliùs diſponatur. Cùm ergo propria cujuſque Corporis diſpoſitio, variaque Complexio augendæ, minuendæque Concupiſcentiæ, & Ignorantiæ plurimùm juvent, alii quidem plus, alii minùs Ignorantiæ tenebris immerguntur, aut Concupiſcentiæ motibus agitantur. Addam, Naturæ Originali peccato ſauciatæ vulnera peccatis etiam Actualibus creſcere plus minùſve, prout quiſque ad peccatum aſſueſcit. Explicatiſſima eſt D. Thomæ Sententia 1. 2. *quæſt.* 85. *art.* 3.: *Quatuor*, inquit, *ſunt vulnera inflicta toti Humanæ Naturæ ex peccato primi Parentis. Sed quia inclinatio ad bonum Virtutis in unoquoque diminuitur per peccatum Actuale, ut ex dictis patet, etiam iſta ſunt quatuor vulnera ex aliis peccatis conſequentia; in quantum ſcilicet per peccatum & Ratio hebetatur præcipuè in agendis, & Voluntas induratur ad bonum, & major difficultas bene agendi accreſcit, & Concupiſcentia magis exardeſcit*. Pravis igitur Habitibus ex frequenti peccatorum Actualium perpetratione generatis adſcribenda venit potiſſimùm in Adultis varia illa ad motus inordinatos inclinatio; tametſi primam ex Originali peccato originem trahant.

Accedit alterum, quo ſolent nobis aures obtundere: Homo, in-

inquiunt, in Statu Naturæ lapſæ conſtitutus, peccatoque Originali ſauciatus ab Homine in Statu Naturæ puræ poſito differt ſolùm, ut Homo nudatus a nudo: is enim Gratia, & Charitate, quas ante ſuſceperat, ſpoliatur; iſte Gratia, & Charitate nunquam ſuſceptis nudus eſſet. Id ſibi videntur adſtruere Teſtimoniis Auguſtini, qui multis admodum locis Adami lapſum, totamque jacturam ejus nudationis nomine ſignificat: Sic *Lib.* 13. *de Civit. Dei cap.* 13.: *Nam poſtquam Præcepti facta tranſgreſſio eſt, confeſtim Gratiâ deſerente Divinâ, de corporum ſuorum nuditate confuſi ſunt.* Sic *Lib.* 11. *de Geneſ. ad lit. cap.* 31.: *Mox ut ergo Præceptum tranſgreſſi ſunt, intrinſecùs Gratiâ deſerente omnino nudati, quam typbo quodam, & ſuperbo amore ſuæ poteſtatis offenderant, in ſua membra oculos injecerunt.* Similiter etiam *Lib.* 4. *contra Julian. cap. ultimo: Quid eſt*, inquit, *guſtato cibo prohibito nuditas indicata, niſi peccato nudatum, quod Gratia contegebat? Gratia quippe Dei magna ibi erat, ubi terrenum & animale corpus beſtialem libidinem non habebat. Qui ergo veſtitus Gratiâ non habebat in nudo corpore, quod puderet, ſpoliatus Gratiâ ſenſit, quod operire deberet.*

Magnam, ut fatear quod res eſt, nuditatem ſentio hoc in Argumento; nuditatem, inquam, judicii, & acuminis. Quid ergo? An enim quia alicubi nudatum primum Hominem dixit Auguſtinus, nudatum, inquam, Gratia, ac Sanctitate, totam Hominis lapſi in ea nuditate jacturam poſuit, ut nihil ultra vitii, infirmitatiſque contraxerit? Lepidum id profectò foret. Quid ergo tot aliis in locis ſibi vellet, ubi & ſpoliatum gratuitis dicit, & inſuper in naturalibus vulneratum, ac ſemivivum etiam derelictum? Spoliatum itaque primum Hominem dicant Theologi recentiores, per me licet; modò totam in ea ſpoliatione jacturam poſitam minimè aſſerant: nudatum appellent, & ab Homine puro, uti a nudo, diſtantem aſſerant; dabo manus; modò ne alia quoque diſcrimina negent a SS. Patribus toties aſſerta, ac commendata. Aut ſi hoc in uno diſtare dicant, Aſſertionem circumſcriptione aliqua temperent; nempe quantum attinet gratuitorum amiſſionem, non naturalium Donorum ſauciationem; ne ipſimet Auguſtino, cujus Suffragium implorant, apertè repugnent. Is enim Pelagianos non admodum diſſimiles ſubtilitates obtrudentes non ſine ſtomacho retudit *Lib. de Natura, & Gratia cap.* 53.: *Quid tantum de Naturæ poſſibilitate præſumitur? Vulnerata, ſauciata, vexata, perdita eſt.*

Eo Reſponſo exſufflata manet altera eorumdem Theologorum Cavillatio, qui nihil lapſum Hominem a puro diſtare volunt, niſi quòd deſtitutio Gratiæ Sanctificantis, & Originalis Juſtitiæ

pœnæ

pœnæ rationem induit in Homine lapſo, non in Homine puro. Sunt enim hæc pura putaque Figmenta. Peccatum ſiquidem Originale nedum pœnæ rationem importat; verùm & culpæ, neque res iſta Opinionis duntaxat eſt, ſed Religionis, & Fidei: ita quippe definitum eſt in Concilio Valentino III. *can. 6.*; Arauſicano II. *capp.* 1., & 13.; Moguntino *cap.* 5. (ſuperiùs relatis in Prælectione XIV.) & tandem in Tridentino *Seſſ.* 5. *in Decreto de pecc. Orig.*, & *Seſſ.* 6. *cap.* 1., juxta Doctrinam ab Apoſtolo luculenter expreſſam *ad Rom.* 5.: *Per unius delictum Peccatores conſtituti ſunt multi*.

Sed inquient fortè, qui nodum in ſcirpo quærunt: peccatum Originale formaliter, atque ex ipſa ſui natura ſitum eſt in privatione Juſtitiæ Originalis, ex decreto D. Thomæ 1. 2. *quæſt.* 82. *art.* 3.: privatio porro Juſtitiæ non eſt culpa, ſed pœna; nec niſi ſpoliationem Donorum ſupernaturalium præſefert. Verùm terminos ipſos præpoſterè ſumunt, qui ita ſtolidè argutantur: nec enim nomine privationis Juſtitiæ nudam privationem intelligit D. Thomas, ſed poſitivam deordinationem, & averſionem a Deo, atque idcirco veram Animæ maculam. Addam, ex decreto ejuſdem Doctoris Angelici 1. 2. *quæſt.* 82. *art.* 3., Concupiſcentiam effrænem ſolis Naturæ Viribus inſuperabilem in peccato Originali, ſaltem materialiter, importari. Qua ratione in Natura pura non eſſet, ex Sententia Theologorum omnium. Qui enim ex iis Concupiſcentiam perduellem Naturæ puræ minimè repugnare putant, eam tantùm intelligunt, quæ Naturæ Viribus vinci poſſet: atque adeo quocumque ſe vertant Theologi recentiores, quos in hacce præſenti Concertatione exagitamus, nihil in ſui præſidium ex Originalis peccati natura extundere poſſunt, nec ſanè poterunt unquam.

Supereſt ultimum in Pelagii Officina fabricatum Argumentum. Quærebat Coluber ille Britannicus quondam aliàs ab Auguſtino, per quas rimas inter tot præſidia Innocentiæ in Mundum intraſſet Originale peccatum? Quærunt & illi, per quas rimulas intrarit iſta naturalium Facultatum depravatio. Rimas quærunt, nec vident apertiſſimam januam. Facultas, inquiunt ſubtiles illi Argutatores, ſeu Virtus alicujus Naturæ duplici tantùm pacto minui, depravarique poteſt; aut ſubtractione phyſicæ cujuſpiam perfectionis; vel additione contrariæ alicujus, & incommodæ qualitatis: Porro in Homine lapſo nihil hujuſmodi reperire licet: neque enim perfectio naturalis ulla ſublata eſt; aut qualitas inconveniens adjecta: fabula quippe eſt, quod de morbida qualitate ſubſecuta hariolantur Aliqui. Ita Vaſquez, & Leſſius.

Verùm id quidem, ſed ruinoſo ſuperſtruunt Fundamento: tertium

tium quippe reſtat, unde naturalis Virtus debilitari, minuique poſſit; impedimenti ſcilicet appoſitio, ne præſcriptum ſibi terminum attingat, uti definit Doctor Angelicus 1. 2. *quæſt.* 85. *art.* 2. Atque id quidem in Originali peccato contigiſſe, ſatis ſuperque ſignificavimus, dum Hominem a Deo averſum diximus, in bonum privatum propenſum, minùs habilem ad bonum, aliaque hujuſmodi multa, quæ ex D.Thoma in antehabitis oſtendebamus. Stat ergo (ut ejus terminis utar) phyſica Facultas integra; ſed Moralis vitiata eſt. Quidni etiam dicamus, adjectam eſſe Naturæ Originali peccato ſauciatæ qualitatem aliquam inconvenientem, qua debilitari potuerit; non illam quidem phyſicam, ſed moralem; propenſionem ſcilicet in bonum privatum, deordinationemque ſenſitivi Appetitus? Quæ duo, ſin minùs ad eſſentiam rationemque formalem Originalis peccati pertinent, ſaltem ad materialem illius rationem ſpectant, ut loquitur ſæpius Doctor Angelicus. Sed etſi modus ignoraretur, quo vulnera iſta inflicta ſunt, num propterea res ipſa neganda foret? Si ita ſit, peccati etiam Originalis transfuſio certè pari ratione reprobanda erit; cùm illius transfuſionis modus perinde nos lateat: totque alia, ac pene omnia, Fidei noſtræ Myſteria neganda eſſent, quorum quidem nec rationem reddere, nec modum, quo eſſe dicuntur, ſatis percipere valemus.

Jam poſt veritatem in tuto poſitam, & a quorumdam Recentiorum cavillationibus vindicatam, poſtulat Officii ratio, ut impactam nonnullis Scholæ Thomiſticæ calumniam occupemus, quantum reſidui temporis anguſtia tulerit. Vocantur præ cæteris in Sententiæ a nobis confutatæ præſidium Joannes Capreolus, & Eminentiſſimus Cajetanus; tum ſubinde Conradus Medina, & Dominicus Soto; quaſi eas quoque novitiæ Scholæ laxitates ſectati fuiſſent, quas nonniſi e Pelagianorum Officina prodiiſſe demonſtravimus. Ego quidem, tametſi nullius illorum juratum me diſcipulum dicam, ex fraternæ nihilominus Charitatis officio duo præſtabo, ut illos ab injuria liberem. Primum; nihil apud illos identidem aſſertum reperiri, niſi quod apud Doctorem Angelicum paſſim legitur; Dona ſcilicet naturalia integra poſt peccatum remanſiſſe; lapſum Hominem a puro diſtare, uti nudatum a nudo; Originale peccatum eſſe removens prohibens; aliaque id genus; quæ ſi debitis expoſitionibus emollire, ſanoque ſenſu interpretari fas fuit, ne abſona Sententia Angelico Doctori affingeretur, non video, qua ratione, dum & apud illos Scholæ Thomiſticæ Principes reperiuntur, debitis quoque temperamentis accipi nequeant. Alterum; eadem D. Thomæ Principia, e quibus Aſſertionem noſtram ſuperiori Diſſertatione confirmabamus, apud illos eoſdem Theologos inveniri, & ab iis

ner-

nervosè defendi. Exemplo ſit Cardinalis Cajetanus, cujus Suffragium ambitioſiùs jactitant. Is in 1. 2. *quæſt.* 82. *art.* 1. *in Reſolutione tertii Dubii* ita decernit : *Peccatum Originale eſt languor Naturæ etiam abſolutè : quoniam conſiſtit in contraria diſpoſitione non ſolùm Juſtitiæ Originali, ſed ſanitati naturali ipſius Hominis, in quantum rationalis*. Ex peccato igitur Originali nedum Originalem Juſtitiam ſublatam exiſtimavit Cajetanus; verùm etiam ſanitatem naturalem Homini ex ipſa ſui ingenita conditione debitam : quo nihil ad flagellandos Adverſarios luculentiùs afferri poteſt. Sed & rationem Dicti ſui profert ad noſtrum Inſtitutum accommodatiſſimam : *Conſtat enim*, inquit, *ſecundùm Naturam noſtram, qua rationales ſumus, eſſe bonum ſecundùm Rationem in omnibus partibus Animæ Rationis participibus, ut Dionyſius cap.* 4. *de Divinis Nominibus dixit. Naturalia autem, etſi non ſint ablata a nobis, ſunt tamen infirmata*. Quid quæſo apertius, & explicatius? Fruſtra itaque ſpecioſo ſe velo tegunt Adverſarii, ut ſub venerando Scholæ Thomiſticæ Principum nomine Doctrinæ ſuæ Portenta nobis obtrudant; quibus Naturæ vitiatæ blandiuntur, Chriſti Crucem evacuant, Gratiamque medicinalem minùs neceſſariam fabulantur, aut ſaltem minùs expanſam, vel efficacem comminiſcuntur.

De Naturæ Humanæ infirmitate, languore, vulneribus jam ſatis dictum. In ſequentibus Exercitationibus de Naturæ ipſius reparatione per Chriſti Gratiam, ſeu de Gratia, qua Naturæ infirmitas ſanari, juvarique poſſit, Diſputationes auſpicabimur. In hoc porro Argumento, quod amplum ſatis eſt, Cornelium Janſenium Yprenſem Epiſcopum exagitandum ſuſcipiemus; & quinque illius a Sancta Sede proſcriptas Propoſitiones ad examen vocabimus; ut quiſque intelligat, quàm juſtè, quàm meritò Eccleſiaſticâ Cenſurâ confixæ fuerint, atque Hæreſeos notâ ſignatæ. De Hæreſi itaque Janſeniana in hac poſtrema de Humanæ Naturæ Statibus Diſputatione ſermo fiet jucundus ſimul & utilis; ut qui de Janſenio, & Janſeniſmo toties audiunt, nec tamen quid rei ſit, ſatis capiunt, ignorantiam tandem excutiant.

PRÆ-

DISPUTATIO QUARTA.

De Natura reparata adverſus Janſenium.

PRÆLECTIO PRIMA.

Janſenianæ Hiſtoriæ primùm Synopſis exhibetur : tum Hæreticos minimè dicendos eſſe propugnatur , qui damnatam Janſenii Doctrinam catholicè ejurantes , hæreticum tamen ſenſum in quinque proſcriptis Propoſitionibus Janſenium minimè adoptaſſe contendunt : qui tamen temeritatis , ac pertinaciæ crimine non abſolvuntur.

HACTENUS Humanæ Naturæ morbum exaggeravimus , Viri Theologi : tempus eſt , ut medicum requiramus . Quibus vulneribus fauciatus fuerit Homo primi Adæ peccato , pro modulo noſtro expoſuimus : qua Medicina ſecundi Adæ Virtute ſanandus ſit , exponendum impræſentiarum aggredimur . Celeberrimam de Divinorum Auxiliorum neceſſitate Diſputationem auſpicamur, Auguſtino præſertim , & Angelico Doctore Ducibus ; quos primarios hujuſmodi Controverſiarum Magiſtros excipere non ſemel Eccleſia juſſit ; quos ſequi gratiſſimum nobis eſt . Verùm cùm in tanta movendarum Quæſtionum ſegete diu, multùmque dubius hæſerim, quas potiſſimum tractandas aſſumerem, quæ Conſeſſum noſtrum & delectare, & erudire præ cæteris poſſent, id tandem occurrit Menti, facturum me pro votis Singulorum , ſi celeberrimas de Janſeniſmo Quæſtiones agitarem ; quæ tanto Animorum æſtu , tanta Eruditorum contentione, fragore tanto ab annis circiter quinquaginta in Galliis potiſſimùm eruperunt . Ita ſanè fiet , ut qui de Janſenio, & Janſeniſmo toties audiunt , nec tamen quid rei ſit , ullatenus capiunt , ignorantiam excutiant ; nec ultra in iſto Argumenti genere impoſterum cœcutire ſinantur : quod quidem, qua potero, fide tractabo ; qua fas fuerit , Eruditione reſolvam .

Ab Hiſtoriæ Janſenianæ Synopſi ducam exordium, quantum ad Controverſias internoſcendas ſatis erit. Si enim referre adamuſſim omnia velim , non dies, aut menſis, ſed annus integer me deficiet.

Erat Cornelius Janſenius Regius in Academia Lovanienſi Profeſſor, ac poſtmodum a Rege Catholico ad Epiſcopatum Ypren-

ſem deſtinatus; ab altero Cornelio Janſenio ſecernendus, qui & ejuſdem Academiæ Doctor, & Gandavenſis Epiſcopus fuit. Librum ſpiſſum ſatis edidit de Divinæ Gratiæ Auxiliis, cui titulum fecit *Auguſtinus Janſenii*; hoc eſt, Auguſtinus a Janſenio illuſtratus; in quo Auguſtini Doctrinam, cujus ſe ſtudioſiſſimum profitebatur, exponendam aggreſſus eſt. Ereptus ille præmatura morte Librum typis committere non potuit; at typis committendum Teſtamento legavit Capellano ſuo; eam etiam Clauſulam Teſtamento adjiciens, qua totum Opus Eccleſiæ Romanæ Judicio committebat, id omne expungendum, corrigendumque profeſſus, quod Illa & expungere, & corrigere vellet.

Typis ergo poſt mortem Authoris editus Liber in Gallias delatus eſt, quo tempore Gallici Imperii ſupremum Miniſterium obibat Cardinalis Julius Maſarinus; qui illum Illuſtriſſimo viro Iſaaco Haberto Vabrenſi Epiſcopo examinandum commiſit. Is poſt longam Libri lectionem Propoſitiones quinque excerpſit Cenſurà configendas.

Prima hæc erat: *Aliqua Dei præcepta Hominibus juſtis, volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires ſunt impoſſibilia: deeſt quoque Gratia, qua poſſibilia fiant.*

Secunda: *Interiori Gratiæ in Statu Naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

Tertia: *Ad merendum, & demerendum in Statu Naturæ lapſæ non requiritur in Homine Libertas a neceſſitate; ſed ſufficit Libertas a coactione.*

Quarta: *Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei: ſed in hoc erant hæretici, quòd vellent, eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana Voluntas reſiſtere, vel obtemperare.*

Quinta: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino Hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe.*

Excerptæ quinque illæ Janſenii Propoſitiones ad Judicium Epiſcoporum Gallicanorum, qui ſolita tunc Comitia Pariſiis celebrabant, delatæ ſunt. Has omnino configendas cenſuit ſacer Conſeſſus. At cùm de Epiſcopo hìc quæſtio eſſet, & quidem alienæ Ditionis, in quem nullum jus, authoritatem nullam Galliarum Epiſcopi obtinebant, damnationem in quinque Propoſitiones excerptas non ferendam quidem judicarunt, ſed ſupplicandum cenſuerunt Apoſtolicæ Sedi, ut de iis Sententiam ipſa ferret. Quare Literas obſequentis officii teſtes Innocentio X., qui tunc Eccleſiam moderabatur, ſcripſerunt Epiſcopi Gallicani; quibus configendas Propoſitiones ad illius Tribunal detulere.

Cauſſa Romam delata maturo judicio diſcuſſa eſt: ac tandem Pro-

poſitiones illæ quinque, ut hæreticæ, erroneæ, impiæ, ſcandaloſæ proſcriptæ ſunt anno 1653. Ut primùm in Gallias pervenit Diploma Pontificium, non defuere, qui, ut damnationis vim effugerent, illico reſponderunt, Propoſitiones meritò quidem damnatas eſſe; at alieno omnino ſenſu, quàm quo illas Janſenius docuiſſet. Hincque factum eſt, ut Alexander VII., qui Innocentio X. proximè ſucceſſit, novo Diplomate edito eaſdem Propoſitiones a Prædeceſſore ſuo damnatas & a ſe damnari declaraverit in ſenſu ab Authore intento.

Credi vix poteſt, quot inde Janſenianorum obmurmurationes prodierint. Janſenii ſenſum ab Errore penitus alienum multò altiùs conclamarunt; tametſi Propoſitionibus illis ſenſus aliquis ineſſet meritò proſcribendus. Eccleſiam in Juris Quæſtione dirimenda, an ſcilicet Propoſitiones illæ hæreticæ eſſent, nulli obnoxiam Errori faſſi ſunt; ſecus in Facti Controverſia decernenda; qualis profectò eſt illa: *quiſnam Janſenii ſenſus eſſet:* atque idcirco non pauci Alexandri VII. Conſtitutioni parere renuerunt.

Quid plura? Creſcente in dies Virorum Janſenii partibus addictorum Factione Fidei formulam edidit Summus Pontifex, cui Viri omnes in ſuſpicionem vocati (atque etiam Sanctimoniales, quæ ea fuligine reſperſæ putabantur) ſubſcribere coacti ſunt. Et hìc rurſus Circulatio non minima fuit. Subſcriptionem nonnulli negarunt; alii Subſcriptionem circumſcriptione aliqua reſtrinxerunt; ita nempe ſubſcribendo: *In Dogmatibus Fidem præſto, in Factis reverentiam*: hoc eſt, Fide credo, Dogmata illa quinque juſtè eſſe damnata; ſed in altero, quod Facti Caput attinet, Janſenium nempe Dogmata illa eo ipſo hæretico ſenſu docuiſſe, non Fidem, ſed reverentiam Eccleſiæ præſto. Non minimas in Eccleſia Gallicana turbas excitavit ille ſubſcribendi modus. Hunc Epiſcopi nonnulli, quibus Subſcriptiones illas ſuſcipiendi munus incumbebat, recipiebant, ac ratum habebant; alii nullas iſtiuſmodi Subſcriptiones acceptabant; ſed nudè, nulloque appoſito temperamento ſubſcribi volebant abſque diſtinctione Juris, & Facti. Atque ii quidem duas in partes ſcindebantur. Quidam nullum idcirco Subſcriptioni temperamentum apponi patiebantur, quòd Quæſtionem Facti a Quæſtione Juris ſecerni non poſſe crederent, Eccleſiamque in utraque dirimenda infallibilem exiſtimarent: alii ab iſtiuſmodi reſtrictione abſtinendum volebant, tametſi Factum a Jure longè ſecernerent; quia eam inutilem reputabant, & ab Eccleſiæ uſu alienam. Quoties enim (inquiebant) alicui Inſtrumento ſubſcribitur, ad omnes Inſtrumenti partes Subſcriptio refertur, prout cujuſque partis conditio poſtulat; nec neceſſe eſt, ut tot illa in Subſcriptionibus temperamenta, & clauſulas reponamus. Cùm ergo Janſenianarum Propoſitionum Damnatio Dogma complectatur, & Factum; quorum pri-

primum Fidem exigit, alterum puram, ac meram reverentiam, Subſcriptio etiam nudè appoſita Fidem Dogmati præſtat, & Facto ſolummodo reverentiam; tametſi diſtinctis illud verbis nullatenus exprimatur.

Verùm cùm Janſenii Partiarii reponerent, id quidem verum eſſe, ſeque etiam Damnationis Formulario ſine clauſula ſubſcripturos, niſi pertimeſcerent, ne fortè Nebulones aliqui abſolutam illorum Subſcriptionem perperam interpretarentur; illamque ad Factum non aliter, quàm ad Jus iniquè detorquerent.

Res compoſitione finita eſt. Declararunt ſcilicet Epiſcopi viginti publicis Inſtrumentis a Notariis exceptis, ſe Subſcriptionem quidem abſolutam ab iis exigere, non quòd Factum cum Jure promiſcuè confundi, eademque religione utrumque a Fidelibus credi vellent; ſed quòd duo hæc ſatis per ſeſe diſtincta ſupponerentur; nec clauſulis, & additamentis in Subſcriptione diſtingui neceſſe eſſet præter ſolitum Eccleſiæ morem.

Negotium iis Epiſcopis aliquandiu faceſſitum eſt, quaſi Janſenii Partiariis abundantiùs indulſiſſent. At re ad Clementis IX., qui Alexandro VII. ſucceſſit, Tribunal delata, eorum agendi ratio probata eſt, Zelus laudatus, pacis amor commendatus; eoque pacto Eccleſiæ Gallicanæ inteſtino veluti bello diſciſſæ reſtituta pax fuit.

Neque tamen partibus ſuis omnibus abſoluta fuit. Hanc nonnulli Ardeliones quantò citiùs interturbarunt. Cum enim quinque famoſas Propoſitiones hæreticas pronunciaſſet Alexander VII. in ſenſu a Janſenio intento; nec tamen, quis ſenſus ille eſſet, expoſuiſſet; non defuere male feriati Cavillatores, qui varios in Janſenio ſenſus a damnato remotiſſimos, corraſis inde verbulis, venarentur; legitimas Auguſtini, & D. Thomæ Sententias a Janſenio fortè aſſertas exquirerent, [nemo enim Errantium eſt, qui non veri aliquid obiter dixerit] ut in illas Pontificiam Damnationem referrent. Quam audaciam, ut opportuno remedio frænaret SS. Pontifex, qui Eccleſiam Catholicam pari tunc Religione, ac Majeſtate regebat, Innocentius XII., ſenſum in quinque famoſis Propoſitionibus damnatum fixit in *Brevi ad Belgii Epiſcopos dato anno 1694.*: illumque eſſe pronunciavit, quem verba ipſa præſeferunt, quique per ſe legentibus obvius eſt; ne in fabricandis pro arbitrio Janſenii ſenſibus iniquo, & fraudulento labore deſudarent inquieti Homines, qui nihil obliquè non moverant, ut Scholæ Thomiſticæ Doctrinam Janſenii Damnatione petitam effutirent. Quin etiam in eodem Brevi vetuit, ne quis aliquem invidioſo Janſeniani nomine inſimularet, niſi Eccleſiaſtico Judicio convictus eſſet, proſcriptas quinque Propoſitiones, aut ſaltem ex illis aliquam propu-

 gnaſſe

gnaſſe *: Injungimus*, inquit SS. Pontifex, *ne ulla ratione quempiam vaga illa accuſatione, & invidioſo nomine Janſeniſmi traduci, aut nuncupari ſinatis, niſi prius ſuſpectum legitimè conſtiterit, aliquam ex his Propoſitionibus docuiſſe, aut tenuiſſe*. (Apud Graveſon Epiſt. 5. Theol.) Ecquis enim petulantiam illam ferat, qua Homunciones plerumque inſcientes, ac prorſus ignari Viros eruditos, ac pios invidioſo *Janſeniſtæ* nomine traducunt ob id unum, quòd in Divinæ Gratiæ Controverſiis Auguſtini Dogmata tenaciùs æmulentur, a Molinianis laxitatibus abhorrentes; cùm cæteroquin a Janſenii Erroribus ita procul abſint, ut abeſt Moliniana ab Auguſtini Doctrinâ; illorumque Damnationi ſponte ſubſcripſerint? Sciant, ſciant quotquot eruditos Viros, ac pios iis titulis infamare non pudet, pœnis ſe Canonicis in Contumaces ſtatutis eſſe ſubjiciendos.

En viri Theologi, quantum ex Janſeniana Hiſtoria ſcire neceſſe eſt, ut jam movendæ a nobis Controverſiæ intelligi facilè poſſint. De ſingulis damnatis Janſenii Propoſitionibus diſſerendum amodo; ac ſingillatim de qualibet inquirenda duo ſunt: primum; quid Facti ſit: alterum; quid Juris. Primum, inquam, an Janſenius Propoſitionem ſub ejus nomine damnatam re ipſa docuerit, ac in eo ipſo ſenſu, qui hæreticus eſt, pronunciaverit: alterum; an Propoſitio in ſenſu obvio, quem verba præſeferunt, eam re vera Cenſuram meruerit, quæ illi ab Summis Pontificibus inuſta eſt: quod eo nitore, ea methodo pertractabo, ut neminem fore putem, qui non ſtatim intelligat, Janſenium & in Facto, & in Jure ab APOSTOLICA SEDE rectè, ac juſtè fuiſſe damnatum; nullaque ejuſdem Partiariis patere Suffugia, quibus eum ab hæretico ſenſu liberare ullo pacto valeant.

Huic graviſſimæ Tractationi brevi Quæſtiuncula præludam in præſentia, quæ cæteris deinceps agitandis non mediocrem lucem afferre poſſit. Quid nempe de iis Janſenii Partiariis ſentiendum ſit, qui damnatas quinque Propoſitiones in ſenſu obvio, quem verba præſeferunt, hæreticas eſſe profitentur, Janſenium tamen ab hæretico illo ſenſu procul fuiſſe ſibi putant?

Qua in re ſtatuo imprimis, illos pro Hæreticis haberi non poſſe. Enimverò Hæreticus nemo dici poteſt, niſi ob negatum aliquod Fidei Caput: porro tametſi Fidei Caput ſit, hanc, vel illam Propoſitionem in ſenſu obvio, & naturali vel admitti, vel damnari oportere; non Fidei tamen, ſed Facti Quæſtio eſt, an is, vel ille Author Propoſitionem illam hoc, vel illo ſenſu docuerit. Quæſtiones ſiquidem Fidei ex Scriptura Sacra, & Traditione ab Eccleſia dirimuntur: at nemo, ut opinor, adeo hebes erit, ut dicat, ex Scriptura Sacra, & Traditione judicari poſſe, quis Janſenii ſenſus extiterit.

Rem

Rem Exemplo compertam habemus. In ſecunda, & tertia Synodo Œcumenica Origenis Doctrina damnata fuit; ac nec ſola ipſa Doctrina, ſed & ejuſdem Perſona, in quam anathema dictum eſt. Quid ſubinde factum? Habuit ille Partiarios ſuos; ſed non omnes æquo modo affectos. Alii ita Origeni patrocinabantur, ut ejus etiam proſcriptos Errores tuerentur: Alii proſcriptos Errores execrabantur; ſed Origeni falsò, & perperam affictos aſſerebant. Priores pro Hæreticis habiti ſunt; Cæteri non ita; quia, Jure admiſſo, Factum duntaxat diffitebantur. Extat ea de re elegans S. Hieronymi *Epiſtola* num. 65. *adverſus Origeniſtas*. Porro quod tunc in Origenis Partiariis factum eſt, potiori jure ad Janſenii Partiarios referri poteſt; qui cùm Propoſitiones ejus nomine damnatas in ſenſu obvio hæreticas fateantur, Janſenium tamen ab eo ſenſu remotiſſimum fuiſſe contendunt. Potiori jure dico; nam durius cum Origene actum erat, quàm cum Janſenio actum ſit: nedum enim Origenis Doctrina damnata erat; ſed & ejus Perſona anathemate percuſſa; quod in Janſenium tentatum non eſt.

Statuo nihilominus ſecundò de iſtiuſmodi Janſenii Partiariis, illos in hac ſua exiſtimatione falli, & gravis pertinaciæ reos eſſe, dum Janſenium ab obvio damnatarum Propoſitionum ſenſu alienum effutiunt. Falli illos demonſtrabimus, dum de iiſdem Propoſitionibus ſingulatim ſermo fiet; unamquamque enim eo in ſenſu ab illo aſſertam, productis ejus Libri locis, demonſtrabimus: gravis autem pertinaciæ reos illos eſſe, triplici ex capite palam facio. Primò; quia ii privatum judicium de Janſenii ſenſu Romani Pontificis Judicio anteponunt, qui Propoſitiones illas hæretico ſenſu a Janſenio aſſertas declaravit. Secundò; quia licet in Factis ad Fidem non attinentibus decernendis errare Romanus Pontifex poſſit; religiosè tamen exiſtimandum eſt, tantam illum in iis decernendis diligentiam præſtitiſſe, quantum Viri prudentes præſtare ſolent. Si ergo Janſenii ſenſum a damnato alienum putat aliquis, quia in illo inveſtigando ſatis ſe valere Ingenio putat, vel ſatis ſtudii, ac laboris impendiſſe exiſtimat; cur quæſo minore Ingenio valuiſſe, minùſque ſtudii, ac laboris impendiſſe credit eos, quos huic Facto expendendo deputavit Romanus Pontifex? Tertiò; ſi abſque pertinaciæ ſaltem vitio Janſenii ſenſus ab Errore abſolvi poſſet eo ſolo prætextu, quòd in diſcutiendis Authorum ſenſibus aberrare Pontifex poſſit, poſſet quis citra pertinaciæ vitium proſcriptos quoſcumque Libros pro arbitrio abſolvere; damnatoſque, quos libèret, Authores ab Errore liberare. Statim enim obtrudere poſſet, hanc Facti Quæſtionem

eſſe

eſſe; & in diſcutiendis Librorum, & Authorum iſtorum ſenſibus Pontificem ceſpitaſſe. Sic ergo ultimò concludendum, illos, qui obvium quinque Propoſitionum ſenſum, ut hæreticum, ejurant; Janſenium tamen ab eo ſenſu alienum eſſe volunt; ab Hæreſi quidem liberos eſſe; pertinaciæ tamen vitio laborare. In Exercitatione, quæ ſequitur, de prima Janſenii Propoſitione ſermo erit; eamque ab Illo in ſenſu verè hæretico traditam eſſe demonſtrabimus.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO II.

Propoſitionem primam ex quinque damnatis Janſenium in hæretico ſenſu verè propugnaſſe, defenditur.

JANSENIANAM Hæreſim, cujus Synopſim hiſtoricam in antehabitis exhibuimus, præſenti hac Theologica Diſputatione confutaturi a prima proſcripta Propoſitione exordium ducimus. Hæc hiſce verbis in Pontificio Damnationis Diplomate expreſſa eſt : *Aliqua Dei præcepta Hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires impoſſibilia ſunt; deeſt quoque illis Gratia, qua poſſibilia fiant.* Qua parte ſitus ſit Error, nemo eſt, qui ſtatim prima fronte non videat; nempe quòd juſtis ipſis volentibus, atque conantibus Dei Precepta impoſſibilia eſſe dicat, illiſque Gratiam ipſam deeſſe velit, qua illis Præcepta Dei poſſibilia fiant.

Jure ne, an injuriâ hæc Aſſertio Janſenio affiɛta fuerit, inveſtigandum imprimis exiſtimo; ne ad Controverſiam Facti Quæſtionem Janſeniani detorqueant; ſuoque Anteſignano peregrinas Propoſitiones a malevolis affiɛtas oblaterent, a quibus ille remotiſſimus fuerit : eſt enim illud Janſenianorum pervulgatum Effugium. Quocirca liberè, ac ſine cunɛtatione pronuncio, Janſenium hanc ipſam Propoſitionem primam verbis totidem propugnaſſe, ſenſuque prorſus hæretico.

Res in propatulo eſt ex ejus *Lib.* 3. de Gratia Salvatoris *cap.* 13., ubi poſt congeſta bene multa S. Auguſtini Teſtimonia, quæ ad Divinorum Mandatorum impoſſibilitatem oſtendendam perperam, & iniquè detorſerat, ita demum colligit paulò poſt hujus Capitis medium : *Hæc igitur omnia pleniſſimè planiſſimèque demonſtrant, nihil eſſe in S. Auguſtini Doctrina certius, atque fundatius, quàm eſſe Præcepta quædam, quæ Hominibus non tantùm infidelibus, excæcatis, obduratis, ſed fidelibus quoque, & juſtis volentibus, conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires ſunt impoſſibilia; deeſſe quoque Gratiam, qua fiant poſſibilia.* En, uti cernitis, totidem verbis expreſſam Propoſitionem illam primam, quæ SEDIS APOSTOLICÆ cenſurâ confixa eſt. Quin & aliquid addit crudius, atque durius : *Hoc enim*, ſubjungit ille, *S. Petri Exemplo aliiſque multis quotidie manifeſtum eſt, qui tentantur ultra quàm poſſint ſuſtinere* : nempe D. Petro impoſſibilem fuiſſe Chri-

Chriſti Domini Confeſſionem Janſenius exiſtimat; illumque, ultra quàm ſuſtinere poſſet, ad negationem Chriſti tentatum eſſe: cùm e contra diſertè pronunciet Apoſtolus 1. *ad Cor.* 10.: *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.*

Sed neque Propoſitionem illam ex occaſione tantùm poſuit Janſenius, aut ſui velut immemor, & incogitanter effutiit: fluit hæc ex intimis Doctrinæ ſuæ Principiis, uti neceſſarium penitùs conſectarium.

Primum, unde fluat, Principium iſtud eſt: Potentiam implendi Præceptum nunquam in ratione Potentiæ completam eſſe, donec, efficaci Gratia adjuvante, re ipſa Præceptum adimpleat. Hinc quippe conſequens eſt, toties completam non eſſe Potentiam, quoties Præcepta non implet; cùm tunc efficaci Gratia non juvetur: atque ita toties impoſſibilia eſſe Præcepta, quoties non implentur. Totum id colligere licet ex *Cap.* 15. *Lib.* 3. *de Gratia Chriſti*; ubi quatuor duntaxat modis Dei Præcepta poſſibilia eſſe contendit Yprenſis Epiſcopus: Primò, remotiſſimè per naturalem liberi arbitrii flexibilem Facultatem: ſecundò, paulò propinquiùs per Fidem: Tertiò, adhuc pleniùs, per habitus Virtutum: Quartò, completiſſimè, per Gratiam efficacem, quæ cum actuali Præcepti obſervantia conjungitur. Ubi, ut cernitis, completam Potentiam dicit duntaxat Gratiæ efficacis auxilio; & ab habitibus Virtutum ad efficaciam Auxilii nullo medio tranſitum facit: cùm e contra Potentiam in ratione Potentiæ completam ſupponere debuiſſet actualis Gratiæ ſufficientis auxilio, ut non efficaci Auxilio compleretur; ſed jam completa operi applicaretur. En primum.

Alterum Janſenianæ Doctrinæ Principium, ex quo idem Error pullulavit, iſtud eſt: nimirum in Statu Naturæ lapſæ Auxilium omne ex ſeſe, & ab intrinſeco eſſe efficax; nullum ſufficiens omnino dari, quod item ſimul efficax non ſit. Id videri poteſt *Lib.* 3. *de Gratia Chriſti cap.* 4.; ubi tametſi prima fronte Gratiam ſufficientem Moliniano duntaxat ſenſu expoſitam oppugnare videatur; quæ videlicet ex liberi arbitrii aſſenſu vel diſſenſu efficax, vel inefficax fiat; ſubinde tamen, ultra quàm par erat progreſſus, ſufficiens omne Auxilium oppugnavit, præter quod alterum efficax poſtulatur. Quo Principio Errorem ſuum de Divinorum Mandatorum in Juſtis a Juſtitia excidentibus impoſſibilitate, exerto veluti digito, Janſenius demonſtravit. Cùm enim Auxilii ſufficientis munus eſſe dicatur, ut Potentiam expediat, compleatque; Potentiam hanc minùs expeditam, completamque eſſe neceſſe eſt, cui nulla Gratia ſufficiens præſto eſſe putatur: ubi autem expedita Poten-

Potentia non eſt, res impoſſibilis meritò dicitur. Quiſquis porro Gratiam ſufficientem ab efficaci nullo pacto diſtinguit, Juſtos a Juſtitia excidentes ſufficienti Gratia deſtitutos ſupponit, cùm & tunc efficaci Gratia deſtituti cenſeantur.

Tertium, ut alia mittam, Janſenianæ Doctrinæ Principium, ex quo ad Errorem illum obtrudendum viam ſtravit, legitur *Lib.* 3. *de Gratia Chriſti cap.* 14.; ubi Deum, Hominem juſtum prius deſerere docet Auxiliorum ſubtractione, quàm Deus ab Homine deſeratur; additque, non aliam eſſe cauſſam, cur Homo juſtus deſeratur a Deo, niſi quia Deus Gratiam nec dare vult, neque offert. Cùm e contra Univerſi Catholici fateantur poſt Auguſtini, & Conciliorum Definitiones ſuo ordine proferendas, Deum Hominem juſtificatum non deſerere, niſi prius deſeratur ab eo; Deumque nemini unquam Gratiam denegare, niſi is aut duritie, aut ſocordia obicem, & impedimentum opponat. Porro ex eo Janſeniano Principio fluxiſſe primæ Propoſitionis Errorem, nemo non videt. Cùm enim implendi Præcepti poteſtas a Natura eſſe non poſſit, niſi Divina opitulante Gratia; implendi Præcepti, vitandique peccati poteſtatem non habet Juſtus, ſi antequam Juſtitiam, & Deum ipſum peccando deſerat, a Deo ipſe Auxilii ſubtractione deſeratur.

Hinc Janſenii Partiarii viderint, nihil Antiſtiti ſuo perperam affictum eſſe in hujuſce primæ Propoſitionis Damnatione: cùm eam ipſam diſertiſſimis verbis expreſſerit; eaque Doctrinæ ſuæ Fundamenta poſuerit, ex quibus filo ducto neceſſariò ſequitur. Jam quid ad Janſenii fidem liberandam in hacce Facti Quæſtione Janſeniani proferant, perpendamus.

Janſenius, inquiunt illi, ſolam Gratiam ſufficientem exploſit, qualis a Molinianis accipi ſolet; ultra quam ſcilicet nihil aliud a Deo requiri dicitur inſtar Principii operationis; alteram autem Thomiſtico ſenſu acceptam, intactam, atque illæſam eſſe voluit; eam nempe, quæ poſſe confert, tametſi efficacem inſuper Gratiam poſtulet, ut actus re ipſa exeratur. Mentem ſuam aperit ille *Lib.* 3. *de Gratia Salvatoris cap.* 1., ubi hæc habet: *Quapropter ſufficientem illam Gratiam, quam Scholaſtici multi in Theologiam, velut Adjutorium Salvatoris, intulerunt, ab Auguſtino deſtructam, funditusque everſam eſſe libens fateor. Hæc enim Principia hactenus ex eo tradita, cum quibus illa Gratia ſubſiſtere nullo modo poteſt, perſpicuè probant. Vocamus autem illam ſufficientem Gratiam, ſeu ſufficiens Adjutorium, præter quod nihil aliud ex parte Dei, per modum Principii neceſſarium eſt, ut homo velit, aut operetur. Sic enim a multis recentioribus, & Vulgo ferè accipi ſolet* (nempe a Molinianis) *Quod ſi verò ſic accipiatur, ut ſufficiens dicatur, ſicut a quibusdam dicitur*, (nempe a Thomiſtis) *quòd ſatis eſt, ut Ho-*

mo dicatur poſſe operari, quamvis aliud neceſſarium ſit, ut de facto operetur; de hujuſmodi ſufficienti Gratia non eſt hic noſtra Controverſia. Ita plane Janſenius. Molinianam itaque Gratiam ſufficientem impetiit, non Thomiſticam: atque ita Catholicum ſenſum habet.

Nihil nos iſta movent, ſi, quæ Janſenius e veſtigio ſubdidit, attendamus: poſtquam enim de Thomiſtarum ſufficienti Gratia Controverſiam eo loci non eſſe pronunciavit, ita ſubjungit: *Talem enim Gratiam ſufficientem fortaſſe non difficulter S. Auguſtinus admitteret, quamvis eſſe veram illam Chriſti Gratiam, de qua Quæſtio eſt, pernegaret.* Hoccine eſt Gratiam Thomiſtarum admittere; cùm dubitet, an eam admiſſurus eſſet Auguſtinus; audacterque pronunciet, Doctorem SS. eam pro vera Chriſti Gratia nullatenus habiturum? Sed quid tandem? Molinianam quidem ſufficientem Gratiam eo loci, nimirum *cap.* I. potiſſimùm Janſenius impetiit; de Thomiſtica Controverſiam eo loci non eſſe declaravit: ſit ita. At ſubinde, longiùſque progreſſus iſtam quoque oppugnandam aggreſſus eſt *cap.* 3., velut ſingulare, & inauditum Gratiæ monſtrum; idque magno cum ſtomacho. Quid ergo Janſenium abſolvemus, ſi quod *capite primo* non attigit, *capite* 3. perfecit? Per gradus procedebat Vir acutus; & ex unius impugnatione Gratiæ ad alterius confutationem properabat.

At eſto daremus, Janſenium Gratiam ſufficientem Thomiſtico ſenſu propugnaſſe; necdum propterea ſtaret in tuto; niſi & alia duo, quæ ſimul Thomiſtæ docent, agnoviſſet. Primum: Potentiam in ratione Potentiæ eo Auxilio ſufficienti expeditam eſſe, atque completam, nec ultra Gratiam efficacem deſiderari, ut in ratione Potentiæ compleatur; ſed ſolùm, ut actui applicetur. Quiſquis enim id negat, uti profectò Janſenius pernegavit, toties impoſſibilia eſſe Mandata ſupponit, quoties non implentur; cùm implendi Potentiam minùs expeditam, ac minùs completam eſſe dicat, quo tempore efficaci Gratiâ non juvatur. Alterum, quod ultra Gratiam ſufficientem Thomiſtarum agnoviſſe Janſenium neceſſe erat (ut omnis vitaretur Error) iſtud eſt: Auxilium ſcilicet efficax (ad actualem Divinorum Mandatorum obſervantiam neceſſarium) Juſtis cadentibus ſubtractum eſſe ex illorum culpa; quòd nempe impedimentum, & obicem appoſuerint. In eo quippe Thomiſtarum Syſtemate Dei Præcepta Juſtis a Juſtitia excidentibus verè obſervatu poſſibilia intelliguntur; partim ex Gratiæ ſufficientis adminiculo, quæ illis adhuc præſtò eſt, & Potentiam in ratione Potentiæ completam facit, & expeditam; partim, quia in Juſtorum poteſtate erat, Gratiam efficacem habere, qua re ipſa Præceptum implerent, niſi obicem propria Voluntate appoſuiſſent. At duo hæc perfractè Janſenius negat.

Po-

Potentiam in ratione Potentiæ compleri negat, niſi Gratiæ efficacis auxilio; Gratiamque efficacem Juſtis a Deo ſubtrahi putat, quòd eam ille dare nolit; non quòd illi obicem ponant: uno verbo, Juſtos prius a Deo deſeri putat, quàm ille deſeratur ab eis.

Hinc cernitis, opinor, Viri Theologi, quàm inutiliter Ingenium torqueant, qui primam iſtam Janſenii Propoſitionem, quæ totidem omnino verbis legitur *Lib.* 3. *de Gratia Salvatoris cap.* 13., benignè interpretari volunt hoc pacto, ut Dei Mandata Juſtis a Juſtitia excidentibus impoſſibilia a Janſenio dicantur impoſſibilitate conſequente, & actus ſecundi; iiſque tunc deeſſe Gratiam, qua poſſibilia fiant potentia conſequente, & in actu ſecundo; quamvis illis poſſibilia ſupponantur in actu primo, & potentia antecedente. Ingenium, inquam, inutiliter torquent, qui ea circulatione Janſenium abſolutum vellent. Hanc enim interpretationem duo illa Janſenii Principia a me paulò antea recenſita minimè patiuntur, ut cernitis; cùm Potentiam in ratione Potentiæ, & in actu primo expeditam non eſſe velit, niſi Gratiæ efficacis auxilio, quo tunc Juſti deſtituti cenſentur: eamque ipſam Gratiam efficacem, qua potentia conſequens, actuſque ſecundus conferendus eſſet, ex nullo Hominis cadentis defectu ſubtrahi putet.

Accedit alterum, quod Janſenii Partiarii reponant: nempe illum Gratiam ſufficientem Thomiſtarum ex nomine duntaxat impugnaſſe; re ipſa tamen agnoviſſe. Is enim *Lib.* 2. *de Gratia Chriſti cap.* 27. quaſdam Gratias actuales tenuiores agnoſcit, quibus Mens colluſtratur; Voluntas percellitur; ſuaſiones bonæ inſpirantur; Voluntas imperfecta, Velleitaſque aliqua bona inſtillatur; ac veluti per gradus ad converſionem ducitur Homo, donec efficaci tandem Gratiâ Converſio perficiatur. Hoc porro tenuioris Gratiæ genus illud ipſum eſt, quod Schola Thomiſtica ſub Gratiæ ſufficientis nomine profitetur.

Verùm nec iſta moramur. Ac primo quidem, nullam Janſenio litem moveremus, ſi ſufficientis Gratiæ vocabulum minùs probaſſet; cùm & inter Thomiſtas non pauci inveniantur, qui ab eo Vocabulo, æquivocationi ſatis obnoxio, abſtinendum exiſtimant. Hos inter eminet Thomas de Lemos *Lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 6. Enimverò id ſufficiens appellare Vulgus ſolet, ultra quod nihil ultra requiritur. Quia ergo Schola Thomiſtica ultra Gratiam actualem excitantem, requiri inſuper efficacem docet, ut re ipſa quis convertatur, non defuere, qui dixerint, minùs commodè ſufficientem appellari Gratiam excitantem. At modò res in tuto ſit, minor erit, ac etiam nulla de nomine controverſia: quanquam ego Gratiam illam ſufficientem commodè appellari putem; nimirum ſufficientem ex parte Potentiæ; quia nihil præter ipſam deſideratur, ut Potentia com-

pleta ſit, & expedita : quo jure oculum ſanum ſufficientem dicimus ad videndum, tametſi luce inſuper egeat : quia lux ad Potentiam viſivam complendam, & expediendam non requiritur; ſed ſolùm ut actus Medio diſpoſito exeratur. Verùm miſſo vocabulo, de quo minùs litigare velim, ad rei caput accedo.

Janſenium ab Errore non liberat ea tenuioris excitantis Gratiæ confeſſio, niſi eam cum neceſſariis appendicibus admiſerit : niſi, inquam, agnoverit, Gratiam illam excitantem ſufficientes conferre Vires, Potentiamque in ratione Potentiæ penitus expedire : niſi conceſſerit, Homini eamdem a Deo concedi ex Voluntate ſaltem antecedente Converſionis ipſius, atque Salutis : niſi dixerit, Deum ad uberius conferendum Auxilium paratiſſimum eſſe, niſi Homo obicem poneret. Quæ tria tantùm abeſt, ut Janſenius admiſerit, quin potius oppugnavit ex Inſtituto. De primo, ac tertio nota res eſt ex antedictis. De ſecundo dubitationem excutiet omnem quiſquis *caput* 20. *Lib.* 3. legerit; ubi Voluntatem antecedentem Converſionis, Salutiſque omnium a Statu Naturæ lapſæ prorſus eliminat ; & intra Naturæ innocentis terminos coercet; Gratiaſque illas excitantes nullo pacto ſeu ex ipſarum natura, ſeu ex Dei intentione, & ordinatione ad Converſionem, actumve perfectiorem deſtinari contendit. Quò fit, ut ex Doctrina Janſenii Hominibus juſtis volentibus, & conantibus Dei Præcepta impoſſibilia dicantur, quoties a Juſtitia peccando excidunt.

En eliquatam Facti Quæſtionem, Janſeniique ſenſum in aperto poſitum. Quæſtionem juris in Diſputatione ſequenti auſpicabimur; Erroremque a ſummis Pontificibus meritò proſcriptum demonſtrabimus.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO III.

Primam ex quinque proſcriptis Janſenii Propoſitionibus nedum a Sacris Conciliis in anteceſſum anathemate fuiſſe confixam; verùm etiam a D. Auguſtino, cujus ille ſe Diſcipulum profitebatur, reprobatam, ac data opera confutatam, demonſtratur.

DE prima Janſenii Propoſitione, quod Factum attinet, ſatis diximus. Hanc a Janſenio ita propugnatam oſtendimus, ut nihil illi affictum, nihil impoſitum Janſeniani obtendere poſſint. Jam quid Juris ſit, inquirendum: an Erroris meritò damnata fuerit, diſputandum. Eſt porro, uti meminiſtis, his verbis concepta Propoſitio hæc: *Aliqua Dei Præcepta Hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent, vires impoſſibilia ſunt; deeſt quoque Gratia, qua poſſibilia fiant.* Qua in re ita ſtatuo: Aſſertionem hanc judicio Pontificio proſcriptam, nedum a ſacris Conciliis prædamnatam fuiſſe ſub anathemate; verùm etiam a D. Auguſtino, cujus præſertim Suffragio tectam illam exiſtimavit Janſenius, proſcriptam, ac data opera confutatam.

Prodit primo in ordine Synodus *Arauſicana II.* totius Orbis veneratione conſecrata *Canone XXV.*, ubi ita decernunt ſanctiſſimi Præſules: *Hoc etiam ſecundùm Fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per Baptiſmum Gratiâ omnes Baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad Salutem Animæ pertinent, poſſint, & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* Si poſſunt, quæ ad Salutem pertinent, adimplere, Mandata profectò implere poſſunt; cùm hæc Saluti obtinendæ præ cæteris neceſſaria reputentur, juxta illud Chriſti Oraculum: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva Mandata.*

Diſtinctiùs verò Concilium *Tridentinum* Janſenianum Errorem in Calvinianis enatum occupavit, ac ſub ipſis Janſenii terminis prædamnavit *Seſſ. 6. cap. 11.*: *Nemo temeraria illa, & a Patribus ſub anathemate prohibita voce uti debet, Dei Præcepta Homini Juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia: nam Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis; & adjuvat, ut poſſis.* Quibus verbis & Errorem confodit, & fundamentum Erroris occupavit, Gratiam adjuvantem præſtò eſſe decernens, qua Dei Præcepta poſſibilia fiant: cùm e contra deeſſe

deeſſe illam Janſenius effutierit. Hoc porro Tridentinæ Synodi Sacrum Oraculum totidem omnino verbis ex D. Auguſtino deſumptum eſt *Lib. de Natura, & Gratia cap.* 43.; ut hoc uno ictu duplici telo petitum Janſenium agnoſcatis.

Ac neque hoc uno loco Catholicam veritatem expreſſit ſanctiſſimus Doctor. Totus in ea firmanda videtur eſſe : ut planè mirari ſubeat, Janſenium, qui totum Auguſtinum quindecies ex integro ſe legiſſe gloriatur, rem meridiana in luce poſitam non obſervaſſe. Sed hoc, Deo volente, ad ejus contundendam ſuperbiam, qua ſe unum verum Auguſtinianæ Doctrinæ ſenſum attigiſſe jactitabat, effectum credendum eſt. Auguſtinus enim prælaudato *Libro de Natura, & Gratia cap.* 69. hæc habet : *Eo quippe ipſo, quo firmiſſimè creditur, Deum juſtum, & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Difficilia nonnulla Præcepta vocat; nulla tamen impoſſibilia : atque illa ipſa, quæ difficilia eſſe monet, impleri omnino poſſe ſignificat Gratia opitulante, quam petendam eſſe nos docet. Rurſus *Enarrat. in Pſal.* 56. *n.* 1. *Neque imperaret hoc Deus, ut faceremus, ſi impoſſibile judicaret, ut hoc ab Homine fieret.* Similiter etiam *Serm.* 236. *in Appendice Tom.* 5. *Execramur blaſphemiam eorum, qui dicunt, impoſſibile aliquid Homini a Deo eſſe præceptum, & Mandata Dei non a ſingulis, ſed ab omnibus in commune poſſe ſervari.* In quem locum reſpexiſſe arbitror Innocentium X., qui cæteras inter infamiæ Notas, quibus primam illam Janſenii Propoſitionem confixit, blaſphemam illam declaravit. Iterum *Lib.* 2. *de Actis cum Felice Manichæo cap.* 5.: *Qui enim ſervare Legem non vult, in poteſtate ejus eſt, ſi velit: non enim dixit : non potuerint, ſed noluerint. Hoc certè, quod nolunt ſervare Legem non a gente tenebrarum coguntur : Si enim coguntur, non nolunt, ſed non poſſunt : ſi autem nolunt, non utique coguntur, ut non faciant, ſed Voluntate ſua nolunt.* Quid hoc porro eſt, quòd ad Voluntatem refert SS. Doctor Legis implendæ poteſtatem? An ſolis Voluntatis viribus eam impleri poſſe putat? Abſit: ſed ad Voluntatem refundit, quæ, niſi Deo Miſericordi obicem ponat, Gratiam obtinebit, qua Præceptum adimpleat.

Cæterùm non modò Catholicum Dogma ſtatuit Divinæ Gratiæ Vindex; verùm etiam ratione confirmat, cui nihil reponi poſſe omnino video : nimirùm fruſtra correptum, & injuſtè damnatum iri Hominem ob violatum Dei Mandatum, ſi nulla ei eſſet implendi Mandati poteſtas : *Quis non clamet*; inquit ille *Lib. de Fide contra Manichæos cap.* 10., *in Append. Tom.* 8. (qui licet in præſentia Auguſtino abjudicetur, Janſenii tamen ætate inter ge-

nuina

nuina Auguſtini Opera recenſebatur; unde Janſenius Errorem ſuum dignoſcere facilè poterat) *Quis*, inquit, *non clamet*, *ſtultum eſſe*, *Præcepta dare ei*, *cui liberum non eſt*, *quod præcipitur*, *facere*; *& iniquum eſſe*, *eum damnare*, *cui non fuit poteſtas juſſa complere?* *Libro* verò *de duabus Animabus*: *Etiamne hi libri obſcuri mihi ſcrutandi erant*, *unde diſcerem*, *neminem vituperatione ſuppliciove dignum*, *qui aut id velit*, *quod juſtitia velle non prohibet*, *aut id non faciat*, *quod facere non poteſt? Nonne iſta cantant & in montibus Paſtores*, *& in theatris Poetæ*, *& Indocti in Circulis*, *& Docti in Bibliothecis*, *& Magiſtri in Scholis*, *& Antiſtites in ſacratis Locis & in Orbe terrarum Genus humanum?* Et hoc tamen cantare noluit Janſenius, Juſtoſque peccare commentus eſt, iis Præceptis violatis, quorum impoſſibilitatem ſomniavit.

Quid plura? Principium, quo turpiter Janſenius luſus eſt ad Errorem procudendum, ex Inſtituto confodit D. Auguſtinus. Janſenium enim ſi lubet interrogare, quorſum Hominibus juſtificatis, quo primùm momento a Juſtitia recedunt, impoſſibilia Mandata ſint: plane reſpondet: quia Deus illos Auxilii ſui ſubtractione prius deſerit, quàm deſeratur ab eis; ſicque nullâ ſui culpâ a Deo deſerti neceſſariò cadunt. E contra verò Auguſtinus *Lib. de Natura*, *& Gratia cap. 26.*: *Deus*, inquit, *cùm per mediatorem Dei & Hominum Hominem Jeſum Chriſtum ſpiritualiter ſanat ægrum*, *vel vivificat mortuum*, *id eſt juſtificat impium*; *& cùm ad perfectam ſanitatem*, *hoc eſt*, *ad perfectam vitam juſtitiamque perduxerit*, *non deſerit*, *ſi non deſeratur*, *ut piè ſemper*, *juſtèque vivatur*. Quæ verba etiam protulit Tridentina Synodus *Seſſ. 6. cap.* 11.

Reſpondet Janſenius, Auguſtinum de ſubtractione Gratiæ ſanctificantis fuiſſe loquutum, qua Deus neminem juſtificatum ſpoliat, niſi admiſſo peccato; non de ſubtractione Gratiæ adjuvantis, & actualis, quæ Præceptis implendis eſt neceſſaria: hanc enim ſubtrahi putat antequam Homo delinquat.

At reclamat Auguſtini Textus, & Janſenium ineptum interpretem prodit. Agit quippe hoc loco Doctor SS. contra Pelagianos, quibuſcum nulla de Gratia ſanctificante concertatio fuit, ſed de Auxiliis duntaxat actualibus: affertque diſcrimen inter ſanantem Medicum, & Deum opitulantem; quòd Medicus, ſanitate reſtituta, Hominem ſanum veluti deſerat, ſibique relinquat; cùm contra Deus perpetuò ſervet Hominem poſt reſtitutam etiam ſanitatem: quod certè nonniſi de actualibus Auxiliis accipi poteſt. Probat hoc ipſum ſubjunctâ eodem in *capite 26.* a Sancto Doctore Comparatio: *Sicut enim oculus corporis*, inquit, *etiam pleniſſimè ſanus*, *niſi candore lucis adjutus non poteſt cernere*: *ſic & homo etiam perfectiſſimè juſtificatus*, *niſi æterna luce Juſtitiæ divinitus adjuvetur*,

tur, rectè non poteſt vivere. Sanat ergo Deus, non ſolùm ut deleat, quod peccavimus; ſed ut præſtet etiam, ne peccemus. Quis non videat, de Gratia actuali hic eſſe ſermonem? De Gratia videlicet adjuvante; quæ Homini jam juſtificato confertur, ut acceptam Juſtitiam continuò ſervet.

Idem illud ex aliis Auguſtini locis apertius eſt, quàm, ut cavillari Janſenius poſſit. Hinc *Serm.* 22. (*in Append. Tom.* 5.) exponens illud *Exodi cap.* 9. Induravit Dominus cor Pharaonis; iſtud imprimis tanquam ſolidum Principium ſtatuit: *Hoc fideliter, & firmiter credat Dilectio Veſtra, quia nunquam Deus deſerit Hominem, niſi prius ab Homine deſeratur. Cum enim ſemel, & ſecundò, & tertiò unuſquiſque gravia peccata commiſerit; exſpectat tamen illum Deus, ſicut per Prophetam dicit*, ut convertatur, & vivat. Et poſt pauca concludit: *Iſta enim Teſtimonia Scripturarum ideo Charitati Veſtræ inſinuare volumus, ut intelligatis, quia obduratio non Dei potentia compellente perficitur; ſed Dei remiſſione, vel indulgentia generatur: ac ſic Pharaonem non Divina Potentia; ſed Divina Patientia credenda eſt obduraſſe.* Quæ cum de ſubtractione Auxiliorum actualium, unde oritur obduratio, intelligantur, perſpicuum eſt, ea nunquam Homini, præſertim juſtificato, ſubtrahi, niſi prius ipſe Deum, Juſtitiamque deſeruerit, quam prius poſſidebat. Scio, Sermonem iſtum a recentioribus Criticis Auguſtino abjudicari, & Cæſario Arelatenſi tribui: verùm Janſenii tempore pro legitimo Auguſtini fœtu habebatur ab omnibus, & nunc primùm in Appendice collocatus eſt, ut eruditi Benedictini teſtantur. Quamobrem nullus Janſenio declinandæ Difficultatis pateſcit aditus.

Sed quid, ſi Principium iſtud ex aliis Auguſtini Libris, quorum dubium occurrit nullum, oſtendero? Profectò paſſim eadem profert aurea verba SS. Doctor: *Lib.* 4. *Confeſ. cap.* 9.: *Te nemo amittit, niſi qui dimittit. Enarrat in Pſalm.* 58. *Serm.* 1. *n.* 2. loquendo de Adamo inquit: *Et verè dereliquit illum Deus, quia ipſe deſeruit Deum:* & *Enarrat. in Pſalm.* 145. *n.* 9.: *Non enim deſeret Opus ſuum, ſi ab Opere ſuo non deſeratur.* Et *Tract.* 34. *in Joan. n.* 6.: *Deus tuus ubique totus eſt: Si non ab illo facias caſum, nunquam a te ipſe facit occaſum.*

Non minori religione, atque conſtantia repellit SS. Doctor alteram Janſenii Ratiocinationem, qua impoſſibilia eſſe aliqua Dei Præcepta contendit, quia id S. Petri Exemplo, aliorumque quotidie manifeſtum eſt, qui tentantur ultra, quàm poſſint ſuſtinere. Contrarium omnino decernit Auguſtinus *Enarratione in Pſal.* 61.: *Ad menſuram enim permittitur tentare Diabolus:* Dein paucis interjectis: *Noli ergo timere permiſſum aliquid facere Tentatorem:*

habes

habes enim miſericordiſſimum Salvatorem. Tantum permittitur ille tentare, quantum tibi prodeſt, ut exercearis, ut proberis; ut qui te neſciebas, a te ipſo invenaris. Nam ubi, vel unde, niſi de hac Dei poteſtate, & miſericordia ſecuri eſſe debemus? Ecquid aliud decerneret Auguſtinus, cùm ab Apoſtolo, cujus ipſe Doctrinam adamuſſim expreſſit, ſcriptum legamus 1. *ad Corint.* 10.: *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere?* Hinc & aliis Scripturæ locis *tendere funiculum* Deus dicitur: *habere in manu menſorium funiculum: dolorem, ac laborem attentè conſiderare; vireſque conſulere;* ne quemquam ultra, quàm poſſit ſuſtinere, tentari patiatur: ut plane mirum videri debeat, Janſenium tam ruinoſo Fundamento ſuperſtruere voluiſſe.

At quid tandem Ipſe in ſui præſidium proferat, perpendamus. Multa imprimis Auguſtini Teſtimonia congerit, quibus ſignificat SS. Doctor, Sanctos a Juſtitia excidentes Dei Gratiâ deſeri, Cæleſti Præſidio deſtitui; aliaque id genus multa, quæ paſſim in Libris adverſus Pelagianos adornatis occurrunt. Sed ſunt hæc nimis levia, quàm ut eruditum aliquem Theologum morari poſſint. Ad Gratiæ ſiquidem per ſe efficacis deſtitutionem referuntur; qua illos deſtitui perſpicuum eſt. Unde minùs colligere liceat, Juſtis eâ Gratiâ deſtitutis impoſſibilia eſſe Mandata; quorum poſſibilitas, ut antea monebamus, duplici ex capite colligi poteſt: Primò; ex Gratiæ ſufficientis adminiculo, cujus præſidium præſtò eſt illis, Potentiamque completam, & expeditam in ratione Potentiæ conſtituit: Secundò; quia nonniſi illorum defectu Gratia ſe ipſa efficax deeſt illis; quam Deus de ſuo bonus ſine cunctatione largiretur, niſi ii obicem poſuiſſent.

Reclamare videtur in oppoſitum D. Chryſoſtomus *Hom.* 72. *in Joan.*; ubi de caſu D. Petri diſſerens negationem ejus Divini Auxilii ſubtractioni duntaxat videtur adſcribere; nullo verò pacto hujuſce Apoſtoli culpæ, ac negligentiæ, qua is a Deo deſeri meruiſſet: *Neque enim*, inquit ille, *frigiditate, ſed ſuperni Auxilii derelictu contigit.* Et *Homil.* 31. *in Epiſt. ad Hebræos: Negatio non tàm erat ſocordiæ, ac negligentiæ, quàm ex eo, quòd Deus eum deſeruerat.* Verùm nihil hæc Chryſoſtomi Teſtimonia conficiunt. Demus enim Petro ſubtractum non eſſe Divinum Auxilium ob ejus frigiditatem, ac negligentiam; nam & is optimè animatus erat; non id tamen obeſt, quominus ob alterius generis culpam ei fuerit denegatum; nimirum ob ejus elationem, qua ſe plus cæteris Apoſtolis poſſe præſumſerat, dum ait: *Etiamſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor:* ob ejus petu-

petulantiam, qua Chriſti verbo reſtiterat, dum ei dicenti *Antequam Gallus cantet, ter me negabis*, audacter reſpondit: *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo*. Unde idem Chryſoſtomus, de quo lis eſt, *Hom.* 83. *in Cap.* 26. *Matth.* loquendo de Petro ait: *Ingens enim pavor eum invaſerat, & ingens ideo, quoniam Divina Protectione valde fuit denudatus: quod porro factum eſt* (notate) *propter arrogantiam, & contradicendi pertinacem duritiam*. Et poſt pauca ſubdit: *Puto autem ambitione quoque aliqua, & jactantia in ea verba Petrum lapſum fuiſſe*. Quid ergo Inſtitutum noſtrum intereſt, quòd non ob ejus frigiditatem denegata ei Gratia fuerit, ſi alia de cauſſa ſubtracta eſt? Stat quippe, quod poſuimus, Fundamentum; nunquam Homini juſtificato ſubtrahi Divinum Auxilium, quo re ipſa in Juſtitia perſeveraret, niſi is aliquâ ſui culpâ ſubtractionem demereatur, aliquemve Divinæ Miſericordiæ obicem ponat: ut ita juſtè omnino conqueri Deus poſſit, illudque Prophetæ uſurpare: *Perditio tua ex te Iſrael; tantùm ex me Auxilium tuum*.

Eam eſſe communem Patrum Sententiam profitetur Doctor Angelicus *in* 1. *Sent. diſtinct.* 40. *quæſt.* 4. *art.* 2., *in ſed contra eſt: Dicunt communiter Sancti, Dionyſius, Auguſtinus, & Anſelmus, quod cauſſa, quare iſte non habet Gratiam, eſt; quia ipſe noluit accipere, & non quia Deus noluit ei dare*. Quod ſubinde probat ſolidiſſima ratione: *Iſtum autem carere Gratia ex duobus contingit: tum quia ipſo non vult recipere; tum quia Deus non illi infundit, vel non vult illi infundere. Horum autem duorum talis eſt ordo, ut ſecundum non ſit, niſi ex ſuppoſitione primi. Cùm enim Deus non velit niſi bonum, non vult iſtum carere Gratia, niſi ſecundùm quòd bonum eſt: ſed quòd iſte careat Gratia non eſt bonum ſimpliciter. Unde hoc abſolutè conſideratum, non eſt volitum a Deo. Eſt tamen bonum, ut careat Gratia, ſi eam habere non vult, vel ſi ad eam habendam negligenter ſe præparat: quia juſtum eſt; & hoc modo eſt volitum a Deo*. Ita planè Doctor Angelicus.

Difficile duntaxat captu eſt, quo pacto propter obicem ex culpa Hominis natum denegari Gratia poſſit; cùm & obex, & culpa intelligi in Homine nequeant, niſi jam Gratiâ ipſâ deſtitutus intelligatur. At ſunt hæc alta Divinæ Gratiæ Myſteria, quæ non ita facilè aſſequitur humana Ratio. Quocirca legendus maximè Doctor Angelicus *Lib.* 3. *cont. Gentes cap.* 159.; ubi expreſsè probat, rationabiliter Homini imputari, ſi ad Deum non convertatur, quamvis hoc ſine Gratia non poſſit.

Rem pro modulo ſuo ita exponunt Scholaſtici noſtrates: nempe inquiunt, Hominem eodem momento converti ad commutabile bonum,

bonum, & peccare, ac tum ſimul privari Gratia : ita tamen, ut hæc duo, ſi inter ſeſe comparentur, culpa ſcilicet, & Gratiæ privatio, culpa præcedat, Gratiæ privatio ſubſequatur. Quia cùm privatio nunquam per ſe cauſſam habere poſſit, qua directè fiat, neceſſe eſt, ut ad poſitionem alterius conſequatur; ſicut corruptio unius formæ generationem novæ ſupponit. Nonnulli culpam, & Gratiæ ſubtractionem ſecundùm varia cauſſæ genera priorem, poſterioremve definiunt, quanquam eodem tempore fiant; unam in genere cauſſæ efficientis præcedere, alteram in genere cauſſæ materialis : uti plane, dum Venti efflantis impetu Feneſtra aperitur, Venti ingreſſus in genere cauſſæ efficientis Feneſtræ apertionem antevertit; Feneſtræ apertio Venti ingreſſu in genere cauſſæ materialis eſt prior. Si qui ea Scholæ ratiocinatione delectantur, per me licet; paſcantur eo cibo, qui velint; nec enim ſolidiorem Philoſophiæ ſubtilitas habet. Satius tamen fore puto, ſi ad inſcrutabilia Dei Judicia referatur; gratiorque forſan erit Auguſtini Sententia : *Juſtitiam tuam Domine antevertit iniquitas mea; iniquitatem meam prævenit Miſericordia tua : neminem enim deſeris, niſi deſertus. Sol mihi es ſemper lucens : niſi cado, tu non occidis : niſi tibi fecerim caſum, tu mihi non facis occaſum.*

In ſequentibus de Secunda Janſenii Propoſitione Quæſtio movebitur.

PRÆLECTIO IV.

Secundam Janſenii Propoſitionem in ſenſu hæretico fuiſſe ab eo traditam; & a SANCTA SEDE meritò condemnatam, aſſeritur, propugnatur.

DE ſecunda Janſenii Propoſitione ab Innocentio X., & Alexandro VII. proſcripta ſermo nobis eſt in præſentia. Eſt hæc porro his verbis expreſſa: *Gratiæ interiori in Statu Naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*: hoc eſt; nulla interior Gratia datur, cui aliquando reſiſtat Homo: indefinita quippe Propoſitio, ut Dialectica loquitur, æquivalet univerſali. Et quidem, ſi alicui duntaxat interiori Gratiæ nunquam reſiſti dixiſſet Janſenius; Gratiæ videlicet ſe ipſa efficaci nunquam obſiſti; conſentientes haberet quotquot cum Auguſtino, & Angelico Doctore Theologi ſentiunt. Hinc illud Auguſtini *Lib. de Corrept. & Gratia cap.* 14. *Deo volenti ſalvum facere, nullum Hominis reſiſtit arbitrium. Sic enim velle, ſeu nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate, ut Divinam Voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* Hinc & illud *cap.* 12.: *Subventum eſt igitur infirmitati Voluntatis humanæ, ut Divinâ Gratiâ indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur; & ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur.* Et quo verò pacto efficacem Gratiam rejici contingeret, cùm hujus propriiſſimus ſit effectus, ut Cor ipſum Hominis aperiat, ſibique ipſa aditum faciat, ac ſui etiam tribuat uſum? Quod & Auguſtinus obſervat *Lib. de Præd. Sanct. cap.* 8.: *Hæc itaque gratia*, inquit, *quæ occultè humanis cordibus Divina largitate tribuitur, a nullo duro corde reſpuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.*

In eo ergo proſcriptæ hujuſce Propoſitionis virus hæret, quòd omnem prorſus Gratiam interiorem efficacem eſſe velit: nullam purè ſufficientem admittat; nullam, uno verbo dicam, cui Homo interdum obſiſtat.

In cujus quidem Erroris confutatione, ut inſtitutam methodum teneam, duo inveſtigare præſentis eſt Inſtituti: Facti unum, alterum Juris. Primum; an ita re ipſa Janſenius ſenſerit? Alterum; an Erroris cauſsâ meritò proſcripta ſit hæc Aſſertio?

Quod Factum intereſt, ita ſanè ſenſiſſe Janſenium, adeo in aperto eſt, ut otioſi Hominis fore putem, ea in re demonſtranda diu-

Digitized by Google

diutiùs immorari. Suam ille mentem nitidiùs aperit *Lib. 2. de Gratia Salvatoris*; ubi hoc inter Gratiam Naturæ Innocentis, ac Naturæ lapſæ diſcrimen ponit; quòd illa nonniſi pendula, & liberi arbitrii conſenſui ſubdita eſſet; iſta nonniſi per ſeſe efficax; nonniſi victrix; nonniſi indeclinabilis eſſe poſſit. Unde *Capiti* 25. hunc ipſum Titulum præfigit: *Gratiæ Medicinalis efficaciſſima natura declaratur ex eo, quòd nulla prorſus effectu careat; ſed eum in omnibus, quibus datur, infallibiliter operetur*. Si nulla porro Gratia effectu ſuo caret, ſed illum infallibiliter operatur; nulli ergo Gratiæ reſiſtitur: cùm nonniſi Voluntatis Humanæ reniſu effectu ſuo carere poſſit.

Sed eliquatiùs aperit mentem ſuam *Cap.* 27., ubi cùm permulta S. Auguſtini Teſtimonia congeſſiſſet, quibus Gratiam infallibiliter, & indeclinabiliter ſuum effectum ſortiri docet, Catholicum Theologorum Reſponſum ſibi objicit: *Reſpondebit*, inquit, *fortaſſis aliquis, hæc omnia, quæ produximus, eum de Gratia tantùm efficaci tradidiſſe; nihil verò impedire, quin aliæ nonnullæ Gratiæ per Hominis Voluntatem effectu careant*. Hanc verò Reſponſionem ſtatim rejicit ille: *Reſpondeo*, inquit, *nihil veriùs dici, quàm quòd omnia, quæ hactenus protulimus, de Gratia efficaci Auguſtinus dixerit, atque intellexerit. Cujus rei cauſſa eſt, quòd nullam agnovit aliquam actualem Chriſti Gratiam, nec agnoſcere potuit; niſi Regulas omnes fundamentales, quibus innixus naturam Gratiæ medicinalis tradidit, & explicuit, vellet interimere*. Quibus perſpicuum fit, Janſenium, cui & puppis, & prora unus eſt Auguſtinus, in Natura lapſa non aliud actualis Gratiæ genus agnoviſſe, niſi per ſe efficacis, & cui nunquam Humana Voluntas obſiſtat. Neque verò aliud ſentire potuit, modò Principiis a ſe poſitis tantillùm hæreret; cùm ſufficientem omnem Gratiam ab efficaci diſtinctam, velut immane monſtrum, exploſerit toto *Lib. 3. de Gratia Salvatoris*; ac Theologos oppoſitum ſentientes, uti ab Auguſtini lectione peregrinos irriſerit. Non eſt ergo, cur quidquam Antiſtiti ſuo impoſitum Janſeniani conquerantur, dum hæc ejus nomine proſcripta Propoſitio eſt: *Gratiæ interiori nunquam reſiſtitur*.

Quanto verò Jure Erroris Nota Aſſertioni illi afficta fuerit, paulò diſtinctiùs eſt demonſtrandum. Si enim quid Janſenius ſenſerit, ſcire juvat; quid nos ſentire oporteat, obſervare intereſt longè magis: curioſitatis illud eſt, iſtud neceſſitatis, ac Religionis.

Ac primò quidem, quod Scripturas Sacras attinet, perſpicuum eſt, iis recta fronte confixam Propoſitionem opponi; *2. ad Corinth. cap. 6.*: *Exhortamur*, inquit Divinus Apoſtolus, *ne in vacuum Gratiam Dei recipiatis*. In vacuum ergo Gratia recipi poteſt; aliàs abſona eſſet adhor-

hortatio, ſi ne id fieret, adhortaretur Apoſtolus, quod fieri non poſſe arbitraretur. Quid porro eſt, Gratiam in vacuum recipi, niſi ſuſceptam Gratiam effectu ſuo vacuari, inutilem, vanam, ac caſſam effici Voluntatis renitentis oppugnatione? Neque verò reponere Janſenius poteſt, de Gratia externa Apoſtolum agere, non de interna; de qua ſolùm vertitur Controverſia: de Gratia enim in Homine recepta loquitur: *Exhortamur vos, ne in vacuum Gratiam Dei recipiatis*: receptam verò Gratiam, externam duntaxat vocitare, illudere eſt. Innuit hoc ipſum ratio ab Apoſtolo ſubjuncta: idcirco enim hortatur, ne in vacuum Gratiam Dei recipiamus, quia *Deus accepto tempore exaudit* Hominem, *& in die Salutis adjuvat*: de Gratia igitur adjuvante monet Apoſtolus, ne eam in vacuum recipiamus: Gratias autem externas, nemo, quod ſciam, adjuvantes nuncupavit, ſed excitantes.

Accedit & alterum ejuſdem Apoſtoli Oraculum 1. *ad Theſſal.* 5.: *Spiritum*, inquit, *nolite extinguere*. Extingui itaque poteſt, dum ſcilicet bonus aliquis motus ſurgit authore Spiritu Sancto; qui tamen renitente Voluntate nullum in nobis fructum obtinet. Hinc & illa D. Stephani ad Judæos increpatio, *Actorum* 7.: *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*. Neque verò exiſtimari poteſt, reprehenſos fuiſſe a D. Stephano Judæos, quòd duntaxat Spiritui S. per os ipſius loquenti, ac vocationi duntaxat exteriori reſiſterent. Non enim intelligi poteſt, neminem inter Judæos fuiſſe, quem Spiritus Sanctus interiùs moveret, & excitaret, Sanctiſſimo Protomartyre vehementiſſimè prædicante. Unde & Veterum nemo eſt, qui de interiori inſpiratione, & impulſu Spiritus Sancti eum Scripturæ Locum non intellexerit.

Addi & illud poteſt *ad Hebræos cap.* 12.: *Contemplantes, ne quis deſit Gratiæ Dei*: Dei verò Gratiæ deeſſe dicitur aliquis, dum ſuum Divinæ Gratiæ negat aſſenſum. Jam ſi quis id de externa aliqua Gratia, & vocatione intelligendum vellet, a ſcopo Apoſtoli quàm longiſſimè aberraret. Ait enim Apoſtolus loco citato: *Pacem ſequimini cum omnibus, ac ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum, contemplantes, ne quis deſit Gratiæ Dei*. Cui verò Gratiæ, niſi illi, quæ Sanctimoniam efficit, & quæ Beatitudinem promeretur?

Neque illud prætermittendum *Proverb. cap.* 1.: *Vocavi, & renuiſtis; extendi manum meam & non fuit, qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis*. Cujus tremendam pœnam ſubjungit: *Ego quoque in interitu veſtro ridebo*. Ita nempe ſpretam Miſericordiam Juſtitia vindicat, & vicem rependit; ut qui Dei Gratiam irriſit, irrideatur a Deo; ac in ipſo præſertim interitu; ubi ſi unquam aliàs, tunc certè maximè Divinæ Gratiæ ſubſidio eget Peccator.

Jam

Jam quod Auguſtinum attinet, cui uni ſtare ſe Janſenius profitetur, mentem ejus in aperto ponit celebris illa cum Pelagianis habita Concertatio. Ii enim Gratiam Poſſibilitatis ultrò fatebantur, Gratiam Actionis pernegabant : hoc eſt ; Gratiam admittebant, quæ Homini Poſſibilitatem agendi largiretur; non quæ ipſam Actionem operaretur in Homine; Gratiam, uno verbo dicam, quam ſufficientem Theologi nuncupant, agnoſcebant; efficacem explodebant. Quid ad hæc Auguſtinus? An Pelagianos, quòd priorem Gratiam agnoſcerent, inculpavit? Minimè gentium : ſed quòd non aliam inſuper faterentur. Unde & facilè ineundum fœdus cum Pelagianis adpromiſit, ſi ultra eam Poſſibilitatis Gratiam, Gratiam etiam Actionis agnoſcerent. Ita plane *Lib. de Gratiâ Chriſti cap.* 47. : *Si ergo*, inquit, *conſenſerit nobis*, ideſt Pelagius, *non ſolam poſſibilitatem in Homine, etiam ſi nec velit, nec agat bene, ſed ipſam quoque voluntatem, & actionem, id eſt ut bene velimus, & bene agamus, quæ non ſunt in Homine, niſi quando bene vult, & bene agit : ſi, ut dixi, conſenſerit, etiam ipſam voluntatem & actionem divinitus adjuvari, & ſic adjuvari, ut ſine illo adjutorio nihil bene velimus, & agamus, eamque eſſe Gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, in qua nos ſua, non noſtra Juſtitia juſtos facit, ut ea ſit vera noſtra Juſtitia, quæ nobis ab illo eſt; nihil de adjutorio Gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos Controverſiæ caput relinquetur*. Gratiam ergo meræ Poſſibilitatis agnovit Auguſtinus, ut ab Actione ſejuncta eſt, cui Voluntas obſiſtit.

Expreſſit id eleganter SS. Doctor *Quæſt.* 2. *ad Simplicianum*; ubi Gratiarum iſtarum merè excitantium, quibus Humana Voluntas obſiſtit, naturam exponit : *Fiunt ergo*, inquit, *incboationes quædam Fidei, conceptionibus ſimiles : non tamen ſolùm concipi, ſed etiam naſci opus eſt, ut ad vitam perveniatur æternam*. En propriiſſimum Gratiarum illarum ſufficientium effectum. Primò enim Divina vocatione, & motione interna Spiritus Salutis veluti concipitur : nec dubium, quin augeatur ea motio, niſi intercipiatur, donec formetur Chriſtus in Homine : ſed interdum Voluntas veluti gravida ad partum non pervenit, quòd deſit efficax ea Gratia, qua obſtetricante Voluntas indeclinabiliter parturiret.

Hoc ipſum in ſemetipſo expertus eſt Auguſtinus in Converſionis ſuæ præludio; quod in *Libris Confeſſionum* tam piè, quàm eleganter expreſſit : evanidos illos ſenſit Divinæ Gratiæ motus, quos continuis perendinationibus extinguebat : motus, inquam, ut ipſe loquitur, ſimiles motibus Hominum expergiſci volentium; qui ſuperati ſoporis altitudine remerguntur. Ecquis noſtrûm non illos perſæpè ſenſit, & extinxit? Quis noſtrûm ſe reum non habeat

Digitized by Google

beat, & agnoſcat, quòd Divinis inſpirationibus, & excitationibus ſæpius obſtiterit? Ut mirum ſit, potuiſſe in dubium a Janſenio revocari, quod quotidianis experimentis (heu !) nimiùm perſentimus, nos interiori Divinæ Gratiæ interdum obſiſtere. Janſenium profectò interrogare velim, an ſibi ita de ſe conſcius ſit, ut interiori Gratiæ nunquam obſtiterit? Id ſi dicat, a Sanctorum humili confeſſione procul aberit: nemo enim illorum eſt, qui ſe minùs Divinæ Gratiæ reſpondiſſe, non humillimè fateatur.

Auguſtino ſuffragatur Doctor Angelicus quo clariori poteſt modo in *Quodlibeto 2. quæſt. 4. art. 6.*; ubi Quæſtionem agitat, *utrum Homines credere debuiſſent, ſi Chriſtus viſibilia miracula non feciſſet;* quam ita reſolvit: *Reſpondeo dicendum, quòd nullus tenetur ad hoc, quòd eſt ſupra vires ſuas, niſi per hunc modum, quo fit ſibi poſſibile: credere autem eſt ſupra potentiam Hominis naturalem, unde ex dono Dei provenit .... Homo ergo tenetur credere ſecundùm hoc, quòd adjuvatur a Deo ad credendum. Adjuvatur autem a Deo aliquis ad credendum tripliciter. Primò quidem per interiorem vocationem .... ſecundò per doctrinam, & prædicationem exteriorem .... tertiò per exteriora miracula .... Si autem Chriſtus viſibilia miracula non feciſſet, adhuc remanebant alii modi attrahendi ad Fidem, quibus Homines acquieſcere tenerentur. Tenebantur enim Homines credere Actori Legis, & Prophetarum. Tenebantur etiam interiori vocationi non reſiſtere, ſicut Iſaias de ſe dicit: Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico, retrorſum non abii; Iſaiæ* 50. *Sicut de quibuſdam dicitur Actor. cap. 7.: vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Quibus liquet ex D. Thomæ Sententia, Homines interiori vocationi Divinæ Gratiæ interdum reſiſtere; quando ſcilicet ea vocatio, ut loquitur S. Auguſtinus ex Apoſtolo, non eſt ſecundùm propoſitum.

Scrupulus reſtat unicus, quem avellere neceſſe eſt, ne præſidium ex eo Janſenius petat ad Errorem ſuum muniendum. Sunt enim Theologi, iique bene multi, qui Gratias ſufficientes, ac merè excitantes, effectu vacuari negent. Quanquam enim illæ Converſionem integram non efficiant, Cor tamen emolliunt, excitant, movent pro modulo ſuo, inſtar ſtillicidii Cor lapideum cavant, tametſi Torrentis inſtar non penitus trahant. Porro, ſi ſuum Gratiæ illæ ſortiuntur effectum, qui ipſis pro tenuitatis ſuæ conditione proprius eſt; ſunt igitur ſuo in ordine efficaces; tametſi Converſionem integram, quæ potentiori Gratiæ reſervatur, in Homine non efficiant. Ut enim Gratia aliqua efficax nuncupetur, deſiderari non poteſt aliud, quàm ut illum effectum obtineat, qui forti ſuæ, ac conditioni ſit proprius. Omnis itaque interior Gratia efficax erit; atque idcirco nulli Gratiæ reſiſtit Humana Voluntas.

Verùm

Verùm eo ſcuto Errorem ſuum communire Janſenius nullatenus poteſt. Quanquam enim rectè omnino ii Theologi ſentiant, qui Gratiis etiam merè ſufficientibus, & excitantibus proprios effectus reſpondere dicunt; duplici nihilominus capite a Janſenio diſcrepant. Primò; quod Gratias illas ſufficientes, aut (ſi verbum diſplicet) excitantes dari a Deo velint, nedum ex Voluntate conſequente excitationis, & emollitionis illorum, verùm etiam ex Voluntate antecedente Converſionis; cùm imperfectum omne ad perfectum ex ipſa Naturæ conditione deſtinetur; iique primi conatus excitatæ, atque (ut ita dicam) gravidæ Voluntatis ad partum ex ipſa ſui conditione tendere exiſtimentur. Quo fit, ut iis etiam Gratiis Voluntas dicatur obſiſtere, quæ effectum ex Voluntate Dei antecedente deſtinatum nullatenus obtinent. Verùm cùm e contra Janſenius antecedentem Dei Voluntatem de medio tollat, Deumque nullam illorum Salutis intentionem habere velit, quos ſolis Gratiis excitantibus movet, conſequens eſt, ut ii Dei Voluntati, & Gratiæ nequaquam obſiſtant, qui a Deo excitati concutiuntur quidem, ſed minimè convertuntur: cùm nullam Deo illorum Converſionis Voluntatem ineſſe Janſenius opinetur.

Altero diſcrimine a Janſeniano Errore diſtant Theologi illi: quòd nempe Hominibus ſola ſufficienti Gratia excitatis in poteſtate eſſe dicant, Auxilium efficax obtinendi, niſi Divinæ Miſericordiæ obicem ponant. Quo fit, ut qui ſimpliciter excitantur, nec tamen ultimò convertuntur, eo etiam ex Capite interiori Gratiæ reſiſtere intelligantur, quòd obicem voluntariè poſuerint, ne efficax Converſionis Auxilium obtinerent. Janſenius e contra nil magis Auguſtino repugnare contendit, quàm quod illi pro certo habent: Gratiamque, nullo licet accedente Hominis obice, ſubtrahi putat; ut pleniùs oſtendimus, dum de prima illus Propoſitione diceremus. Quare nihil omnino eſt Yprenſi Epiſcopo cum Theologis illis commune, aut etiam affine. Atque hæc, Viri Theologi, de ſecunda Janſenii Propoſitione ſint ſatis. De tertia in ſequenti diſſeremus.

PRÆLECTIO V.

Tertiam Propoſitionem in Senſu damnato verè Janſenium uſurpaſſe; eamque ritè & juſtè fuiſſe, ut hæreticam, a S. ROMANA SEDE proſcriptam, evincitur.

TERTIA Janſenii Propoſitio, quam in præſentia expendendam ſuſcipimus, his verbis expreſſa eſt: *Ad merendum, vel demerendum in Statu Naturæ lapſæ non requiritur Libertas a neceſſitate, ſed ſufficit Libertas a coactione.* Quod ut ab omnibus intelligi facilè poſſit, nonnulla obſervare neceſſe eſt, quæ ſi minùs capi contingeret, Propoſitionis hujuſce ſenſus impervius omnino foret.

Libertatem, ſeu Indifferentiam duplicem ſecernere Theologi ſolent; Contrarietatis unam, Contradictionis alteram. Libertatem Contrarietatis eam appellant, quæ in terminos contrariè oppoſitos ferri ex æquo poteſt: ſic Libertate Contrarietatis pollere aliquem dicimus, dum bonum æquè, ac malum operari perinde poteſt. Libertatem hanc Naturæ rationali neceſſariò debitam eſſe Theologi negant; imò eam peccandi Facultatem Libertatis potius maculam vocant, quàm Libertatem. Quare major eſt Libertas in Angelis, qui peccare non poſſunt, quàm in nobis quibus peccandi Facultas ineſt. Quid plura? Eam Contrarietatis Libertatem, quæ infelici fato, ac præter Naturæ debitum reperitur in nobis, ad meritum inutilem ſtatuunt Theologi pene omnes. Hinc & Chriſtus mereri potuit, meruitque re ipſa, etſi nulla illi iſtiuſmodi Contrarietatis Libertas ineſſet, malumque operari omnino non poſſet.

Libertatem Contradictionis Theologi vocant, quæ ad terminos contradictoriè (ut Schola loquitur) oppoſitos æquè fertur. Sic Libertate Contradictionis pollere aliquem dicimus, dum agere, & non agere perinde poteſt: ſunt enim agere, & non agere, uti ſcitis, contradictoriè oppoſita. Libertas hæc alio nomine Libertas, ſeu Immunitas a neceſſitate nuncupatur: qui enim agendo poteſt non agere, nulla certè neceſſitate adigitur ad agendum.

Supereſt tertia Libertas, quam Immunitatem a Coactione Vulgus appellat, ſeu Voluntatis ſpontaneitatem. Ea Libertate pollere aliquis intelligitur, quoties Voluntate aliquid agit, quoties aliquid vult, quæcumque volendi neceſſitas accedat, modò hujuſmodi

modi neceſſitas illa non ſit, quæ invitam, & reluctantem Voluntatem pertrahat. Exempla dabo, ut res in propatulo fiat. Pater æternus volendo producit Spiritum Sanctum, nulla coactione, nulla vi ad producendum adigitur, ſponte producit; tametſi neceſſitate producat, actumque productionis ſuſpendere re ipſa non poſſit. Quia Voluntas ſpirat, ut Natura eſt, non ut indifferens. Rurſus; Beatus, qui Deum intuendo amat, profectò volendo amat, eſt enim Amor Voluntatis Affectus; nulla coactione, nulla vi ad amandum adigitur; tametſi neceſſitate Deum amet, actumque Dilectionis ſuſpendere omnino non poſſit: a Coactione igitur liber eſt, non a Neceſſitate.

Hinc internoſcendæ Janſenianæ Propoſitioni apertiſſima via patet: ſenſus etenim eſt: ad merendum, vel demerendum in Statu Naturæ lapſæ non requiri Libertatem a Neceſſitate; ſeu neceſſe non eſſe, ut indifferens Homo ſit ad agendum, aut non agendum; ſed ſatis abunde eſſe Libertatem a Coactione: hoc eſt; abunde ſufficere, ut qui agit, Voluntate agat, tametſi ad volendum neceſſitate ducatur: non ſecus ac Beatus in Patria Voluntate utique Deum amat; tametſi ad amandum ita neceſſitate ducatur, ut non amare omnino non poſſit.

Nihil Janſenio ea in parte a Summis Pontificibus affictum eſſe, eumque ita planè ſenſiſſe, ut proſcripta Propoſitio præſefert, adeo meo judicio certum eſt, ut otioſi eſſet Hominis in re compertiſſima diutiùs immorari. Neque enim in uno, alterove alicujus Capitis loco ita ſe ſentire ſignificavit; ſed tribus Libris integris; Sexto nimirum, Septimo, & Octavo *de Gratia Salvatoris:* ubi nervos omnes intendit, ut probet, hanc fuiſſe Sancti Auguſtini Sententiam, Libertatem omnem in ſola ſpontanei ratione poſitam eſſe: unde & Titulum hunc *Capiti 6. Libri 6.* præfigit: *Duplex neceſſitas Auguſtino Coactionis, & Simplex, ſeu Voluntaria. Illa, non hæc repugnat Libertati:* & *Cap.* 14. *Libri 7.*: *Si non eſt alia Libertas vera Voluntatis, quàm agendi, & non agendi .... graviſſima abſurda vitari nequeunt, quibus non ſolùm tota Doctrina S. Auguſtini funditùs concutitur, ſed etiam ſenſus Chriſtianæ Pietatis læditur & communis offenditur:* & alia id genus penè ſexcenta, quæ tribus iis Libris occurrunt. Augiæ ſtabulum purgare mallem, quàm quæcumque ea de re dixit, in indicem cogere. Id tamen tacitus præterire nolim; illum modis omnibus ſuas in partes Doctorem Angelicum pertrahere tentaſſe, laxis etiam in illius laudes habenis; ut, hac veluti laudum offa injectâ, ſoporem Thomiſtis injiceret.

Si quis porro ſcire velit, quorſum novum iſtud Paradoxum Janſenius cuderit, ſtare ſcilicet meritum, ac demeritum cum neceſſi-

tate agendi, modò nulla coactio ſuperveniat, dicam breviter, & Janſenianæ Hæreſeos radicem aperiam. Gratiam ſcilicet efficacem Janſenius propugnavit, quæ neceſſitatem inferat Voluntati, quæque activam indifferentiam amoveat. Quia verò opponi illico poterat, Hominem iſtiuſmodi Gratia efficaci motum nullum jam meritum habiturum, quippe qui neceſſitate bonum ageret; hoc incommodum ut effugeret, novum iſtud Doctrinæ Monſtrum efformare coactus eſt; ſcilicet ſtare meritum poſſe cum agendi neceſſitate, modò coactio nulla ſuperaccederet: hincque mala malis agglutinavit. Quare *Lib.* 8. *cap.* 5. contendit, *nullum in Auguſtini Monumentis apparere veſtigium, ex quo colligi poſſit, Gratiam cum libero arbitrio conciliaſſe, ex quo Homo Divina Gratia motus poſſit agere, vel non agere* (quod ad indifferentiam, & immunitatem a neceſſitate pertinet) *ſed quia Homo Divina Gratia motus vult re ipſa, quod vult: nec inſtar trunci a Deo agitur, ſed ſponte movetur, ſemota licet indifferentia*; quod ad immunitatem a Coactione pertinere perſpicuum eſt. Si verò quæratur ab eo; cur Beati nil novi Deum diligendo mereantur, ſi ſola ad meritum ſufficit immunitas Coactionis, qualicumque Neceſſitati conjuncta? Reponit, id accidere non defectu ſufficientis ad meritum Libertatis; ſed ob id unum, quòd in Termino, ac extra viæ Statum conſtituti jam ſint.

En pleniſſimam, cumulatiſſimamque Janſeniani Syſtematis expoſitionem ex intimis ejuſdem Doctrinæ Principiis expreſſam; quam pauci feliciter ſatis capiunt; pauci intelligentiâ aſſequuntur; tametſi inſtar Picarum loquacium multa de Janſenio, illiuſque Erroribus garriant.

Reponent fortaſſe Nonnulli, qui Janſenium in tuto repoſitum vellent, eum Libertatem in Statu Naturæ lapſæ in Indifferentia collocaſſe. Janſenius enim, inquient illi, inter Naturam Libertatis & Statum cautè diſtinxit. Solam Libertatis Naturam, qualis nempe omni Naturæ rationali ex ſui eſſentia debetur, in Coactionis immunitate, ſeu in mera Spontaneitate repoſuit: verùm humanæ Libertatis Statum, qualis videlicet reperitur in nobis, in Indifferentia repoſuit nedum Contradictionis, verùm etiam Contrarietatis. Ita plane decernit ille *Lib.* 6. *de Gratia Chriſti cap.* 34.

Sed ſunt hæ meræ præſtigiæ ludificandis Imprudentum oculis idoneæ. Non iis tamen capimur retibus, qui abſtruſiora Janſenianæ Doctrinæ arcana diſpunximus; quique in iis penitus internoſcendis tres annos integros in ejus lectione tranſegimus. Demus enim, Janſenium inter Naturam Libertatis, & Statum apprime diſtinxiſſe: hoc eſt; quæ Libertati ſecundùm ſui Naturam debeantur, ab iis longè diſcreviſſe, quæ eidem illi ex noſtri Status conditione acci-

acciderunt: demus, primum in Coactionis immunitate repoſuiſſe, alterum in Indifferentia conſtituiſſe; adhuc ſemper reſtat Erroris Caput; illum nempe iſtiuſmodi Indifferentiam, quam nobis ineſſe fortè exiſtimavit, ad meritum inutilem contendiſſe: qua in re ſitus eſt Error. Quemadmodum & Theologi, qui Indifferentiam Contrarietatis nobis ineſſe certò putant, non tamen illico eam ad meritum neceſſariam exiſtimant; ſed unam Contradictionis Indifferentiam abunde ſufficere arbitrantur.

Ii ergo, qui Janſenii partes agunt, iſta confundunt, atque permiſcent, quæ ſecernere nobis eſt opus: quid videlicet nobis inſit, & quid ad meritum requiratur. Quam enim alicubi veritate victus Janſenius in nobis Indifferentiam agnovit, ad meritum tamen neceſſariam pernegavit. In hoc porro ſita Difficultas eſt. Neque ob negatam in nobis quomodocumque Indifferentiam lis illi a Pontificibus mota eſt; ſed ob ejus Neceſſitatem ad merendum exploſam; uti ex damnatæ Propoſitionis verbis notiſſimum eſt.

Conſenſerit ergo Janſenius (per me licet) Voluntati in Statu Naturæ lapſæ Indifferentiam omnem ineſſe agendi, & non agendi; nihiloſecius exiſtimavit, Indifferentiam omnem Voluntati veluti nævum adhærere; qui nævus, ſi abſit, perfectior erit Libertas, nihilque laudis, ac meriti deperibit. Quod Theologi de Contrarietatis Indifferentia decernunt, is de Contradictionis Indifferentia ponit; fidenterque pronunciat, integrum perfectumque Libertatis meritum extiturum, tametſi nulla ſub dominante Gratia Indifferentia ſupponatur: atque hoc ipſum erroneum Pontifices declararunt.

Ceterùm, quàm meritò Sententiam illam confixerint Eccleſiæ ſupremi Hierarchæ, quod alterum eſt præſentis Prælectionis Caput, ex Auguſtino (quem Cauſſæ ſuæ Patronum Janſenius advocat) demonſtrare facilè eſt. Is etenim *Lib. de duabus Animabus cap.* 11. peccatum definit; Voluntatem retinendi, vel conſequendi, quod Juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere: ut hinc jam dignoſcamus, Indifferentiam, Libertatemque a Neceſſitate ad Voluntatem pertinere. Tum ſubinde rationem aſſignat, cur Voluntati ea poteſtas agendi, & non agendi ineſſe debeat: quia nimirum nullus alioquin vel laudi, vel vituperio locus eſſet: idque uti rem omnibus compertiſſimam ſtatuit: *Etiam-ne hi Libri obſcuri mihi ſcrutandi erant*, inquit S. Doctor, *unde diſcerem, neminem vituperatione ſuppliciove dignum, qui aut id velit, quod Juſtitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non poteſt? Nonne iſta cantant & in montibus Paſtores, & in Theatris Poetæ, & Indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magiſtri in Scholis, & Antiſtites in ſacratis Locis, & in Orbe Terrarum Genus humanum?*

Ad

Ad merendum ergo, vel demerendum Libertas a Neceſſitate deſideratur; mirumque profectò videri debet, aliter Janſenium pronunciaſſe, quàm in toto Terrarum Orbe decantetur.

Accedit & illud longè celebratiſſimum ex *Lib.* 3. *de lib. arb. Cap.* 17.; ubi cùm plurima Enodio ſuo dixiſſet, ut explicaret, unde ortum habeat mala Voluntas, & quæ ſit Actualis peccati cauſſa, ita demum compendio colligit : *Si laborioſum eſt omnia mandare memoriæ, hoc breviſſimum tene. Quæcumque iſta cauſſa eſt Voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur : ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia eſt, ut caveri omni non poſſit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt : quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem : Caveri igitur poteſt*. Principii igitur inconcuſſi loco habuit Auguſtinus, nullum ſine Indifferentia, quæ in poſſe facere, & non facere ſita eſt, peccatum exiſtere; nullum ſine Libertate a Neceſſitate demeritum.

Sed quid Auguſtinum moror hìc? Clamat ipſe Naturæ ſenſus, nullam fore Virtuti laudem, nullum laborum fructum, nullam Improbis infligendam pœnam, nullam Studioſis mercedem afferendam; ſi ad bonum, malumve aliqua Neceſſitate raperemur. Meritum etenim, ac demeritum actus humani proprietates recenſentur : nullus porro neceſſarius actus humanus reputari poteſt : humanus etenim actus ille eſt, qui ex Voluntate deliberata prodit; hoc eſt; ex deliberatione Rationis, Voluntatiſque electione proficiſcitur : quæ ſanè omnia, ſi nulla Indifferentia datur, reperiri nequaquam poſſunt.

Hinc Doctor Angelicus, qui eum Janſenii Errorem longè ante pervidit, atque ex Inſtituto confutavit, eumdem illum Univerſæ humanæ Philoſophiæ, atque Moralis Fundamenta concutere monet *Quæſt. 6. de Malo*; digniora ejus verba ſunt, quàm, ut ſilentio mitti poſſint : *Dicendum*, inquit, *quod quidam poſuerunt, quod Voluntas Hominis ex neceſſitate movetur ad aliquid eligendum : nec tamen ponebant quòd Voluntas cogeretur*. En plane, uti cernitis, Janſenii Hypotheſim : *non enim requiritur*, ait iſte, *Libertas a Neceſſitate, ſed ſufficit Libertas a Coactione* : ſubjungit porro SS. Doctor : *Hæc autem opinio eſt hæretica : tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur eſſe meritorium, vel demeritorium, quòd aliquis ſic ex neceſſitate agat, quod vitare non poſſit. Eſt etiam annumeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones, quia non ſolùm contrariatur Fidei; ſed ſubvertit omnia principia Philoſophiæ moralis. Si enim non ſit liberum aliquid in nobis, ſed ex neceſſitate movemur ad volen-*

volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa quæ moralis Philoſophia conſiſtit.

Quid mirum ergo, ſi Janſenianam hanc Aſſertionem a Doctore Angelico hæreſeos prædamnatam, hæreſeos quoque notarint Romani Pontifices, qui Definitiones ſuas ad Angelici Doctoris limam componere ſolent, Concilii Tridentini Exemplum ea potiſſimum parte æmulati, atque ſequuti?

Quartam ejuſdem Yprenſis Epiſcopi Propoſitionem Prælectione proxima, Deo propitiante, expendemus.

Digitized by Google

PRÆLECTIO VI.

Quartam Janſenii Propoſitionem & in Facto, & in Jure Pontificiâ Cenſurâ fuiſſe ritè & juſtè confixam, aſſeritur primò, atque probatur: tum ſubinde eorum Error detegitur, ac impugnatur, qui ex hujuſce Propoſitionis Proſcriptione præſidium aliquod, ad tuendam Molinianam Doctrinam validiſſimo Thomiſtarum ariete pulſatam, eruere ſibi putant.

QUARTA Janſenii Propoſitio, quam hodie vocamus ad limam, his verbis expreſſa legitur in Diplomate Pontificio: *Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei: ſed in hoc erant hæretici, quòd vellent, eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana Voluntas reſiſtere, vel obtemperare.*

Nulla circa Janſenii mentem ſuboriri dubitatio poteſt; num ſcilicet ita re ipſa ſenſerit, uti damnatæ Propoſitionis verba præſeferunt. Primam quippe partem, quæ Semipelagianos Gratiæ prævenientis, & interioris neceſſitatem etiam ad initium Fidei admiſiſſe ponit, fusè docet toto pene *Libro* 8. *de Hæreſi* Pelagiana; maximè vero *cap. 6.*, cui hunc Titulum dedit: *Quod Gratia generalis Maſſilienſium eſt actualis interna, & ſufficiens ad credendum*. Alteram verò damnatæ Aſſertionis partem, quæ Semipelagianos idcirco fuiſſe Hæreticos ſtatuit, quòd iſtiuſmodi Gratiæ reſiſti poſſe contenderent, propugnat idem Yprenſis Epiſcopus loco laudato; ubi hæc habet: *In hoc ergo propriè Maſſilienſium Error ſitus eſt; quòd aliquid primæve libertatis reliquum putent; quo ſicut Adam, ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari bonum; ita lapſus homo ſaltem credere poſſet, ſi vellet: neuter tamen abſque interioris Gratiæ adjutorio, cujus uſus, vel abuſus relictus eſſet in uniuſcujuſque arbitrio, & poteſtate*. Nihil ergo Janſenio ea parte affictum eſſe, perſpicuum eſt.

Rurſus juſtâ Cenſurâ Propoſitionem illam confixam eſſe, ex iis, quæ tertiæ Propoſitionis occaſione dicta ſunt, perſpicuè liquet. Si enim Libertas a Neceſſitate, hoc eſt, agendi, & non agendi facultas ad merendum, vel demerendum neceſſaria ſupponitur, uti cumulatè demonſtratum a nobis eſt, ita pariter reſiſtendi, & obſequendi poteſtas, Libertati penitus indivulſa; atque idcirco tantum abeſt, ut Hæretici ideo

Digitized by Google

ideo fuerint Maſſilienſes, quòd eam reſiſtendi, obſequendique potentiam faterentur; quin potius is e contra Hæreticus haberi debet, qui eam pertinaciter impugnarit. Minùs itaque nobis eſt in præſentia cum Janſenio diſputandum; in quem non modò præjudicata res eſt; verùm etiam ex antedictis meridiana in luce plus ſatis poſita.

Verùm in nonnullos Janſenii Adverſarios minùs æquos inſtituenda lis eſt; qui ex hujuſce Propoſitionis Damnatione Molinianiſmum obliquè inſtaurare vellent, & Thomiſticæ Scholæ, quæ ei jampridem bellum indixit, vires adimere moliuntur. Res plena Myſterii eſt; quam nonniſi emunctiores Theologi, & in hiſce de Divina Gratia Controverſiis exercitatiſſimi facilè capiant. Myſterium hìc reſerare officii noſtri eſt, ut qua ſub herba lateat anguis, omnes intelligant. Favete duntaxat animis; nam & attento Ingenio vobis eſt opus.

Molina, & quotquot cum illo ſentiunt, non aliud, ut ſcitis, Gratiæ actualis genus agnoſcunt, niſi quæ liberi arbitrii aſſenſui ita ſubditur, ut pro illius aſſenſu, vel diſſenſu efficaciam, vel inefficaciam ſortiatur. Eſt hoc Molinianæ Doctrinæ Caput; in quod pene tota collimat nova illa excogitata Concordia liberi arbitrii cum Gratiæ donis. Quid ad hæc D. Auguſtini, & D. Thomæ Diſcipuli? Tot inter alia Argumenta, quibus illud Gratiæ genus explodunt, iſtud etiam in Molinianos maximè regerunt; quòd & iſtiuſmodi Gratiam Semipelagiani etiam agnoverint; nec tamen, uti Catholici habiti ſint; imò potius uti veræ Chriſti Gratiæ hoſtes a Sacris Conciliis anathemate percuſſi. Telum hoc ut effugiant Moliniani, reponunt, iſtud quidem Gratiæ genus agnoviſſe Semipelagianos ad proſecutionem, & conſummationem bonorum operum; verùm ejuſdem neceſſitatem pernegaſſe ad initium bonorum operum, ac præcipuè Fidei; idque unum in cauſſa fuiſſe, cur ab Eccleſia uti minùs Catholici habiti fuerint. Quare ut nihil ea ſaltem in parte Semipelagianos inter, ac Molinianos diſcriminis eſſe demonſtrent Thomiſtæ noſtrates, id præſertim ſtatuendum ſibi ſumunt, Semipelagianos Gratiæ interioris prævenientis neceſſitatem ad initium bonorum operum, ac ipſius etiam Fidei propugnaſſe: nec alia idcirco de cauſſa fuiſſe damnatos, niſi quòd Gratiam illam libero arbitrio ſubderent: atque ita uno, eodemque cum illis hærere luto Molinianos, qui Gratiam illam ſuam libero arbitrio ſubditam fabulantur. Jam tandem copias ſuas ex hujus quartæ Janſenianæ Propoſitionis Damnatione inſtaurare nituntur Moliniani recentiores, ut illum Thomiſtarum conatum eludant: Si enim (inquiunt illi) Propoſitio illa proſcripta eſt: *Semipelagiani admiſerunt Gratiæ interioris prævenientis neceſſitatem ad initium bono-*

rum operum, etiam Fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent, bujuſmodi Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere: Si, inquam, ea Propoſitio proſcripta eſt; non ergo Semipelagiani Gratiæ prævenientis interioris neceſſitatem ad initium Fidei propugnarunt: multumque ab illis Moliniani diſtare perhibentur, qui ejus neceſſitatem agnoſcunt. Ita ſuam illi Cauſſam agunt; ita Thomiſticum illud telum declinare ſtudent.

Quapropter, ne quod ex hujus Janſenianæ Propoſitionis damnatione præſidium accerſant ad declinandum Scholæ Thomiſticæ telum, duo impræſentiarum ſumimus demonſtranda: Primum; Semipelagianos re ipſa Gratiæ prævenientis interioris neceſſitatem ad initium bonorum operum, ac ipſius etiam Fidei cognoviſſe: Secundùm; Janſenianæ Propoſitionis Damnationem nihil Molinianis partibus adſavere. Ex quibus colligere ſubinde liceat, eodem cum Semipelagianis telo petitos eſſe Molinianos, quòd eam duntaxat interiorem Gratiam agnoſcant, quæ libero arbitrio ſubdita ſit.

Quod primùm attinet; eximendus ſtatim occurrit ſcrupulus, quo Viri minùs emunctæ naris prima fronte laborare ſolent. Cùm etenim ex Epiſtolis SS. Proſperi, & Hilarii ad D. Auguſtinum, & ex ipſius S. Auguſtini Libris *de Prædeſtinatione Sanctorum*, & *de Dono Perſeverantiæ* certò conſtet, Semipelagianos initium bonæ Voluntatis, & Fidei in nobis, aut a nobis aſſeruiſſe; illico colligunt, eos Hæreticos Gratiæ interioris neceſſitatem ab initio boni operis penitus ſubmoviſſe. Præpoſtera eſt illa conſecutio. Duobus enim modis fieri potuit, ut initium Fidei, & Salutis a nobis eſſe exiſtimaverint Semipelagiani; aut quòd illud initium nudæ Naturæ tribuerent; aut quòd illud tali Gratiæ adſcriberent, quæ ob ſui verſatilitatem, & indifferentiam in Naturæ poteſtate relinqueret, ut ea pro nutu ſuo vel uteretur, vel abuteretur: ſic enim profectò evenit, ut ad Naturam etiam Salutis initium devolvatur.

Hoc porro ſecundo modo exiſtimaſſe Maſſilienſes, (quod præſentis Inſtituti præcipuum Caput eſt) multis oſtendemus; quæ, judicio quidem noſtro, nulla cavillatione declinari poſſunt.

Achillis inſtar illud eſt, quod habet D. Proſper in ſua ad Auguſtinum *Epiſtola* 225., ubi Sententiam Semipelagianorum enarrans de Gratia vocationis notat, illos eam Gratiam agnoviſſe, non uti præviam, ſed ut comitem humanorum meritorum; tametſi aliunde faterentur, Voluntates quodam ſenſu ab iſtiuſmodi Gratia præveniri: *Nec conſiderant*, inquit D. Proſper, *ſe Gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum volunt eſſe meritorum, etiam illis Voluntatibus ſubdere, quas ab ea ſecundùm ſuam phantaſiam non negant eſſe præventas.* Voluntatem ergo vocante Gratia præveniri Semipelagiani fatebantur; quamvis hæc juxta illos humanorum

rum meritorum comes, non prævia foret; quatenus nulla meritæ parturiret, niſi eam humana ipſa Voluntas nativo conatu redderet efficacem. Teſtatur id explicatiſſimè Auguſtinus ipſe *Lib. de Præd. SS. cap.* 1.; ubi Epiſtolæ D. Proſperi reſpondens, ita de Semipelagianis obſervat: *Pervenerunt autem iſti fratres noſtri, pro quibus ſollicita eſt pia caritas veſtra, cum Eccleſia Chriſti, peccato primi Hominis obnoxium naſci Genus humanum, nec ab iſto malo, niſi per Juſtitiam ſecundi Hominis aliquem liberari: pervenerunt etiam, ut præveniri Voluntates Hominum Dei Gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum ſibi quemquam ſufficere poſſe conſentiant.* Gratiam igitur interiorem prævenientem ad Salutis initium tandem agnoverant Maſſilienſes: nec tamen illos idcirco pro Catholicis habuit Auguſtinus; quòd illam merè excitantem eſſe dicerent, & humano arbitrio omnino ſubditam.

Idem evincit gravis eorumdem Semipelagianorum criminatio in Auguſtinum, quam D. Hilarius in ſua ad S. Doctorem Epiſtola fuſiùs exponit. Librum ediderat Auguſtinus *de Corrept. & Gratia*; in cujus *Capite* 12. duo Auxiliorum genera diſtinguebat; Auxilium *ſine quo*; quod *ſufficiens* recentiores Theologi vocitare ſolent; & Auxilium *quo*, vulgò in Scholis *efficax* nuncupatum. Primum Innocentiæ Statui proprium dixerat Auguſtinus; alterum Naturæ lapſæ neceſſarium. Quid ad hæc Semipelagiani? Auguſtino vitio verterunt, quòd novum Auxilii efficacis genus in Natura lapſa deſideraret ultra ſufficiens illud Auxilium, quod ſanæ Naturæ proprium aſſignaverat; cùm illud utrique Statui abunde ſufficeret: aliunde verò extinguendi liberi arbitrii periculum eſſet, ſi efficax illud Auxilium Homini lapſo, uti neceſſarium, accederet. Liquet id totum ex laudata D. Hilarii ad Auguſtinum Epiſtola. Jam, inquio, ſi Semipelagiani nullum Auguſtino negotium faceſſivere, quòd Auxilium *ſine quo*, ſive *ſufficiens* ad initium, & conſummationem Salutis in Adamo neceſſarium diceret; ſed quòd aliud, nimirùm efficax in Homine lapſo deſideraret; Auxilium itaque *ſufficiens* Auguſtinianum in Adamo innocente, uti neceſſarium, admittere minimè detrectabant. Quantò itaque magis idem illud in Homine lapſo, uti neceſſarium agnoſcebant? Cùm enim in Homine lapſo reliquias tantùm primævæ ſanitatis admitterent, exiſtimare certè non poterant, læſum Hominem minoribus Auxiliis indigere, quàm Homo illæſus egebat, majoremque ineſſe Virtutem reliquiis Integritatis humanæ, quàm ipſimet Integritati primigeniæ. Non omnem ergo a Salutis initio interiorem Gratiam in lapſa Natura ſemovebant; ſed eam tantùm, quæ efficax eſſet; quam videlicet Auguſtinus, cui litem intulerant, ſuo illo Libro *de Corrept. & Gratia*,

tia, neceſſariam prædicaverat. Interiorem itaque Gratiam nudè ſufficientem, atque verſatilem neceſſariam ad Salutis initium fatebantur; quacum optimè cohærere putabant initium illud meriti naturalis, libertatem arbitrii, correptionis, & adhortationis utilitatem; quæ omnia per efficacem Auguſtini Gratiam eliminari querebantur.

Juvat hoc ipſum Obſervatio minimè pœnitenda. Semipelagiani, ſi bene noſtis, initium Fidei ex nobis, & a Natura eſſe eo pari modo dicebant, quo Perſeverantiam ipſam finalem Naturæ viribus adſcribebant. Conſtat id ex Proſperi, & Hilarii ad Auguſtinum Epiſtolis, nec non ex ipſomet Auguſtino *cap.* 17. *Libri de Dono Perſeverantiæ : Sed ii qui ſolum* (inquit ille) *initium Fidei*, & *uſque in finem perſeverantiam ſic in noſtra conſtituunt poteſtate, ut Dei Dona eſſe non putent, neque ad hæc habenda, atque retinenda Deum operari noſtras cogitationes* & *voluntates*, *cætera verò ipſum dare concedunt, cùm ab illo impetrantur credentis fide* &c. Porro dum Semipelagiani Perſeverantiam in arbitrii poteſtate reponebant, nudum arbitrium, ſepoſitâ quacumque interiori Gratiâ, nequaquam intelligebant; ſed liberum arbitrium Gratiâ illâ verſatili probè inſtructum; quam nutu ſuo caſſam, aut efficacem perinde faceret: quandoquidem & in ipſo Innocentiæ Statu, cui tanta non erat adjuvantis Gratiæ neceſſitas, hanc ipſam neceſſariam fatebantur, Hilario teſte, *ut Adamum integris viribus juvaret Gratia volentem, ſine qua perſeverare non poterat.* Dum igitur initia Salutis, & Fidei Naturæ viribus Semipelagiani adſcribebant, Gratiæ interioris adſtipulationem præſupponebant; modò eam verſatilem, & libero arbitrio ſubditam prædicarent. Hinc illud Auguſtini celebratum Oraculum *Lib. de Dono Perſeverantiæ cap.*7.; ubi Semipelagianorum de Dono Perſeverantiæ Hypotheſim veram fore pronunciat (in ſenſu tamen a nobis ſuperiùs explicato, dum de neceſſitate Gratiæ efficacis in Statu Innocentiæ ſermonem haberemus) ſi Homo nunc primæva Integritate frueretur; ſed interim falſam eſſe; quia ab ea Integritate plurimùm abeſt. Semipelagianos ergo Gratiam interiorem Homini lapſo ad perſeverandum neceſſariam admiſiſſe perſpectum eſt; aliàs Syſtema Semipelagianum nequidem pro Statu Naturæ innocentis verum fore pronunciaſſet Auguſtinus, qui perſeverantiam Adami Gratiæ cuipiam interiori, utut minimùm, ſufficienti, ſeu Auxilio *ſine quo* tam dilucidè, tam luculenter adſcripſit *Lib. de Corrept.* & *Grat. capp.* 11; 12.; & 13.

Et verò, dicamus bona fide, quid Semipelagianos impuliſſet ad eam interiorem Gratiam merè excitantem a Fidei, & Salutis initio procul arcendam? Cùm, eâ etiam admiſſâ, in tuto ſua ſomnia facillimè ponerent; & ab iis incommodis procul abſcederent, quæ

in

in Auguſtiniana efficaci Gratiâ tantum exhorrebant. Enim verò, modò prævenientem illam, & interiorem Gratiam ad initium Fidei neceſſariam libero arbitrio ſubderent, a quo pro nutu efficax, vel inefficax fieret, evaneſcebant omnia illa, quæ ſibi in Auguſtini Syſtemate monſtra finxerant; Fatum per Chriſti Gratiam invectum, exciſa Libertas, inducta Neceſſitas, Orationis, Correptionis, Adhortationis inutilitas conſecuta: nihil enim iſtiuſmodi in Gratiæ interioris Hypotheſi pertimeſcendum; cujus videlicet uſus ab ipſo arbitrio pendet; totaque ex ejus nutu ſuſpenſa, verſatilis hæret, & anceps. Maximè cùm alta Semipelagianorum Ingenia fuiſſe nemo neget.

Id ergo pro certo ſtatuendum: Semipelagianos Gratiæ interioris, & prævenientis neceſſitatem ad initium Salutis, & Fidei conceſſiſſe; ſed eò ſe recepiſſe, ut vellent, Gratiam illam, cujus opem ad ipſa bonorum operum exordia requirebant, liberi arbitrii nutui ſubeſſe, ſuamque a libero arbitrio determinationem emendicare: ſic ut plane nihil (eo ſaltem in Capite) Semipelagianos inter, ac Molinianos diſcriminis inveniri a quoquam poſſit.

In ſequenti Exercitatione idem Argumenti genus, congeſtis Semipelagianorum Teſtimoniis, perſequemur; & adverſæ Partis Momenta, Divinâ, de qua agimus, opitulante Gratiâ confutabimus.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO VII.

Superius de quarta Janſenii proſcripta Propoſitione Argumentum continuatur : atque in quo ſitus fuerit Maſſilienſium Error, uti & in qua Propoſitionis parte Janſenius hæreticè ſenſerit, declaratur.

TAMETSI Semipelagianorum mentem de Gratiæ prævenientis, & interioris neceſſitate ad ipſa Fidei, ac Salutis initia ſatis jam in aperto poſuerimus veterum Patrum Teſtimonio, qui illos datâ operâ confutarunt; facturos nihilominus nos operæ pretium exiſtimamus, ſi, quid ipſi ea in parte propugnarint, ac ſenſerint, propria eorumdem confeſſione monſtremus. Eſt enim illud, ut ſcitis, plane decretorium probationis genus, quo Rei Teſtium ſuffragio jam victi, ſuo veluti ore, atque Confeſſione condemnantur.

Porro Semipelagianos Gratiæ prævenientis, & interioris neceſſitatem ad ipſa Fidei, & Salutis initia propugnaſſe, eòque ſe recepiſſe demum, ut dicerent, eam liberi arbitrii nutui ſubeſſe, ſuamque ab Voluntate noſtra determinationem emendicare, ex eorumdem confeſſione demonſtrandum aggredior : ut hinc colligere vobis liceat, Molinam, cui non alia, niſi verſatilis Gratia arridet, eodem cum Semipelagianis luto ſordere.

Semipelagianorum ducet agmen Vitalis Carthaginenſis, hujuſce Hæreſeos Præformator; quem Auguſtinus, data ad illum *Epiſtola n.* 217. nervoſiſſimè confutavit. Is enim, tametſi contenderet acriter, Fidem in nobis a nobis eſſe, atque ex ipſa noſtra Voluntate germinare, quam nobis in noſtro Corde non operatus eſt Deus; Gratiæ nihilominus interioris moralem excitationem neceſſariam reputabat : ajebat quippe, *Hominem poſſe, Dei ſuaſione præcedente, conſequente conſenſione doctrinam* (Dei) *ſectari; quod libertate naturali, ſi vult, facit; ſi non vult, non facit.* Quo verò pacto duo iſta ſibi mutuò cohærebant; præcedere ſcilicet Dei ſuaſionem ad Fidem, & tamen Fidem a nobis eſſe? Quia nimirum prævia illa verſatilis Gratia ab arbitrii conſenſu pendula, quam unicam Semipelagianus ille fatebatur, Fidem reipſa non operabatur in Homine; ſed ipſa potius humana Libertas, quæ Gratiæ Indifferentiam nativa conſenſione determinabat.

Præcurſori dat manus totius Semipelagiani Ductor Exercitus Joan-

Joannes Caſſianus *Collat.* 13. *cap.* 3., ubi internæ, ac prævenientis Gratiæ neceſſitatem propugnat ex Inſtituto : *Non ſolùm actuum,* inquit ille, *verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo eſſe principium, qui nobis & initia ſanctæ voluntatis inſpirat, & virtutem, atque opportunitatem eorum, quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. Et cap. 6. : Et idcirco, licet in multis, imò in omnibus poſſit oſtendi, ſemper Auxilio Dei Homines indigere, nec aliquid humanam fragilitatem, quod ad Salutem pertinet, per ſe ſolam, ideſt ſine Adjutorio Dei, poſſe perficere* &c. Gratiam igitur excitationis, & inſpirationis agnovit ad humanæ Salutis initium Semipelagianorum Anteſignanus, a D. Proſpero hoc etiam in Capite tam potenter exagitatus : & quorſum ? Quia quam ad Salutis initium neceſſariam Gratiam admittebat, Voluntati ita ſubjiciebat, ut ex ejus nutu tota penderet, ſuæque Verſatilitatis, & Indifferentiæ determinationem acciperet : unde & ajebat verſipellis Homo, eodem *cap.* 3. *: Noſtrum verò eſt, ut quotidie attrahentem nos Gratiam Dei humiliter ſubſequamur, vel certè dura cervice, & incircumciſis, ut ſcriptum eſt, auribus eidem reſiſtentes, per Hieremiam mereamur audire : Numquid qui cadit non reſurget? Aut qui averſus eſt non revertetur? Quare ergo averſus eſt Populus iſte in Hieruſalem averſione contentioſa? Induraverunt facies ſuas, noluerunt reverti.* Cùm contra Gratiæ uſum ab ipſa Gratia repetendum contenderet D. Proſper.

Nil minùs luculenter eandem inſpirationis Gratiam ad Salutis initium neceſſariam agnovit alter Semipelagianæ militiæ centuriatus Miles, ac pene Dux Gennadius Maſſilienſis *Lib. de Eccleſiaſticis Dogmatibus cap.* 21. (in Append. Tom. 8. Operum S. Auguſt. pag. 76.) *Manet itaque,* inquit ille, *ad quærendam Salutem arbitrii Libertas, ideſt rationalis Voluntas; ſed admonente prius Deo, & invitante ad Salutem, ut vel eligat, vel ſequatur, vel agat occaſione Salutis; hoc eſt, Inſpiratione Dei. Ut autem conſequatur, quod eligit, vel quod ſequitur, vel quod occaſione agit, Dei eſſe, liberè confitemur. Initium ergo Salutis noſtræ Deo miſerante habemus; ut adquieſcamus ſalutiferæ Inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt; ut adipiſcamur, quod adquieſcendo admonitioni cupimus, Divini eſt Muneris.* Quibus profectò verbis ſalutiferam Inſpirationem ad Salutis initium agnoſcit, atque ita Gratiam moraliter excitantem. Cur hic porro ferulam meruit, & Errantibus adſcriptus eſt? Quia ita noſtræ poteſtatis eſſe exiſtimavit, quòd ſalutiferæ Inſpirationi, & Gratiæ acquieſcamus, ut re ipſa eam a nobis reſpui quando libuerit contingat : nec aliam ullam neceſſariam exiſtimavit; niſi quæ tota ex Voluntatis nutu pendeat, & ex nativa arbitrii Libertate Indifferentiæ ſuæ determinationem emendicet.

Sed

Sed quid plura? Argumento nobis ſit Auguſtinus ipſe, quem initio Converſionis ſuæ ante Epiſcopatum Semipelagianorum luto hæſiſſe, certiſſimum eſt; cùm id ipſemet tam verè, quàm humiliter fateatur *Lib. de Præd. SS.cap.* 3. Is quippe iis ipſis in Libris, quos junior, & huic luto etiamnum hærens elucubravit, prævenientem nihilominùs interiorem Gratiam ad Salutis initium commendavit; ut liquet ex *Lib.* 1. *Retract. cap.* 23., ubi hæc inter cætera leguntur in fine Capitis. *Rectiſſimè itaque alio loco in eodem Libro* (quem nempe ſcripſerat in Errore verſans) *dixi : quoniam ſi non ex operibus ſed Miſericordia Dei & vocamur, ut credamus* (notate hæc verba) *& credentibus præſtatur, ut bene operemur .... quamvis minùs ibi diligenter de illa, quæ per Dei propoſitum ſit, vocatione tractaverit. Hic Liber ſic incipit : Senſus hi ſunt in Epiſtola Pauli ad Romanos*. Ita Auguſtinus. Ex quo perſpicuum fit, Semipelagianos hanc ipſam Gratiam agnoviſſe; eorumque Errorem non in eo fuiſſe poſitum, quòd Fidei, & Salutis initium in nuda Natura, ſemota quacumque exiſtente Gratia, conſtituerent; ſed quòd non aliam ad id neceſſariam Gratiam agnoſcerent, quàm quæ vim ſuam ex arbitrii conſenſione repeteret. Sic enim conſequens omnino erat, ut ipſa Salutis initia non tam ipſi Gratiæ tribuerent, quàm Naturæ, ex qua indifferentis Gratiæ determinatio germinabat. Hoc idem confirmat Auguſtinus Semipelagiano luto adhuc hærens. Perſpicua ejus verba ſunt *Lib. de diverſis quæſtionibus octoginta tribus quæſt.*68. quem a primo ſuæ Converſionis tempore lucubravit *: Nec velle quiſquam poteſt, niſi admonitus & vocatus, ſive intrinſecùs, ubi nullus Hominum videt, ſive extrinſecùs per ſermonem ſonantem, aut per aliqua ſigna viſibilia efficitur, ut etiam ipſum velle Deus operetur in nobis.* En tibi perſpicuè utramque Gratiam, internam ſcilicet, & externam a Viro tunc temporis Semipelagiano commendatam. Rurſus *Libro de Vita beata*, quem adhuc Cathecumenus ſcripſit *in Diſputatione tertiæ diei : Admonitio*, inquit, *quædam, quæ nobiſcum agit, ut Deum recordemur, ut eum quæramus, ut eum pulſo omni faſtidio ſitiamus, de ipſo ad nos fonte veritatis emanat. Hoc interioribus luminibus noſtris jubar Sol ille ſecretus infundit.*

Hinc intelligitis, opinor, quàm inutiliter Ingenium exerceant, qui ut Semipelagianos Gratiam omnem interiorem ab initio Salutis ſemoviſſe probent, ea congerunt veterum Teſtimonia, quibus liquet, eos initia Fidei nativis viribus tribuiſſe. Enimverò non obeſt interior illa Gratia, quin initium Salutis, & Fidei nativis viribus adſcribatur, ſi hæc humanæ Voluntatis arbitrio ſubditur, ut putabant; cùm hac in Hypotheſi bonus Gratiæ uſus a nativis viribus repetatur, a quibus tota Gratiæ Virtus ſuſpenditur, ac dependet.

pendet. Sic enim in Naturam initium Salutis, ac Fidei primò refunditur, a qua indifferentis, atque verſatilis Gratiæ determinatio repetenda venit: Sicut dum quis arma confert alicui, ut pro nutu ſuo illis utatur, non armis, vel illi, qui ea contulit, laus victoriæ tribuitur; ſed ei, qui armis bene uſus, quibus poterat malè uti, hoſtem ſtrenuè debellavit.

Nihilo feliciùs illi deſudant, qui ea ſummo ſtudio Loca congerunt, quibus aſſeritur, Semipelagianos cenſuiſſe, priorem eſſe Hominis obedientiam, quàm Gratiam; nativos conatus præcedere Vocationem, Divinumque Præſidium. Nihil quippe tot illa Loca conficiunt: quibus id evincitur unum; priorem videlicet eſſe Hominis obedientiam, atque conatum ipſâ Divinæ Vocationis efficaciâ, non ipſâ per ſeſe Inſpiratione & Excitatione Divina: quatenus nempe conatus ipſe Voluntatis, ac præſtita verſatili, & indifferenti Gratiæ obedientia eamdem efficacem reddit, atque determinat, ut Salutem operetur in nobis, quæ iners aliunde remaneret.

Morari fortaſſis Aliquem poſſet, quod de Semipelagianis habet D. Proſper in ſua *Epiſtola ad Auguſtinum* 225.: *Itaque quantùm ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantùm autem ad arbitrii Libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo ſponte crediderint, & auxilium Gratiæ meritò credulitatis acceperint*. Unde extundere Aliqui putant, Semipelagianos ſpontaneæ credulitatis nomine Fidem ex nuda Natura profectam intellexiſſe; primæque Gratiæ ſubſidium merito credulitatis tribuiſſe.

At nec iſta quidquam officiunt. Spontaneæ ſiquidem credulitatis nomen a Semipelagianis uſurpatum Fidem a ſola Natura profectam nequaquam indigitat; ſed Fidem ex ea Gratia natam, quæ & Voluntati ſit ſubdita, ejuſque motum, ac determinationem expectet. Imò verò Auguſtinus ipſe non abſimilem loquendi modum uſurpat *Lib.* 2. *de pecc. mer. & remiſſ. cap.* 5. de Voluntate efficaci Gratiâ mota ſermonem inſtituens: *Adjutor enim noſter* (inquit) *Deus dicitur, nec adjuvari poteſt, niſi qui etiam aliquid ſponte conatur*. Quod porro ſubjungunt Semipelagiani, Homines auxilium Gratiæ merito credulitatis accipere, de Gratia cooperante ſine dubio dictum eſt, quam Fidei meritis adſcribebant; non de operante, a qua præveniri Voluntates Hominum fatebantur, teſte Auguſtino in antehabitis appellato, *de Præd. SS. cap.* 1.

Pari ſenſu intelligenda venit trita illa Semipelagianorum Criminatio apud Proſperum in laudata ad Auguſtinum Epiſtola: *Removeri itaque omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſti-*

tutio humanas præveniat Voluntates : & ſub hoc Prædeſtinationis nomine fatalem quamdam induci neceſſitatem ...... Nemo enim non intelligit prudens, id de æterno Dei efficaci Decreto ab Auguſtino tantopere commendato dictum eſſe; ex quo uno tot illa incommoda ſequi Semipelagiani muſſitabant; non autem de Gratia præveniente Voluntatis nutui ſubdita. Ecquis verò ſtipites adeo credat Viros illos, quorum & Pietatem, & Ingenium Proſper, & Hilarius egregiè commendarunt, ut crederent, removeri omnem induſtriam, tolli virtutes, & merita, ac fatalem quamdam neceſſitatem induci per Gratiam illam, quæ vim ſuam omnem ex Voluntatis humanæ conſenſione reciperet, vel diſſenſu amitteret?

Reſtat ultimum ex Quartæ Propoſitionis Janſenianæ Damnatione petitum Argumentum, quod noſtri potiſſimum Inſtituti videtur eſſe. Ea ſiquidem Propoſitio his verbis expreſſa eſt: *Semipelagiani admittebant Gratiæ interioris prævenientis neceſſitatem ad initium bonorum operum, etiam ad initium Fidei : & in hoc erant hæretici, quòd vellent, eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana Voluntas reſiſtere.* Cùm enim hæc falſitatis, & hæreſeos poſtulata ſit, atque proſcripta, falſum videtur, & erroneum affirmare, Semipelagianos Gratiæ prævenientis, & interioris neceſſitatem ad initium Salutis, & Fidei propugnaſſe. Siquidem ex Propoſitionis unius falſitate ſequitur neceſſariò ejus Contradictoriæ veritas.

Mirum quantum hoc Argumentum ebuccinent Moliniani, quo ex tempore Janſenii Damnatio lata, vulgataque eſt. Nos illud ipſum ultimo omnium loco ducimus. Duas enim in quarta illa Propoſitione partes cautè ſecernimus: primam Hiſtoricam, Dogmaticam alteram. Hiſtorica illa eſt, quæ Semipelagianorum de prævenienti Gratia Sententiam exponit: Dogmatica illa, quæ eorum Errorem in eo poſitum dicit, *quòd vellent hujuſmodi Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana Voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* Pontificiam Damnationem in hanc ultimam Propoſitionis partem incidere contendimus, non in alteram. Idque duplici ratione: primò; quòd ad Propoſitionis complexæ falſitatem ſatis abunde ſit, ſi pars altera falſitati ſubſit, uti Dialecticæ Inſtitutiones decernunt: ſecundò; quòd Eccleſiaſticæ Definitiones de Factis hiſtoricis eſſe non poſſint, quæ ex Scripturis, aliiſve Fidei Regulis eliquari nequeunt, ſed aliis Documentis, quæ nihil cum Fide commune habent. Hujus mihi Reſponſionis Authores ſunt Franciſcus Macedo in eleganti Opuſculo, cui Titulum fecit: *Mens divinitus inſpirata Sanctiſſimo Domino noſtro Innocentio Papæ X. ſuper quinque Propoſitiones Cornelii Janſenii*; ut refert Gonetus *Diſput.* 2. *de*

Digitized by Google

de Hæreſi Semipelagiana art. 3.; & Vincentius Contenſonius *Lib.* 8. *Diſſert.* 3. *hiſt. de Erroribus circa Gratiam.* Ne quis verò Reſponſionem hanc, ultra quàm par eſſet, audacem exiſtimet, quaſi minùs Authoritati Pontificiæ tribuat, Viri piiſſimi, religioſiſſimique Suffragium addam; qui cùm & Romæ ſcripſerit ſub ipſis Pontificis oculis, & approbantibus Romanæ Curiæ Cenſoribus, nihil ſcripſiſſe putandus eſt, quod Pontificiæ Authoritati plus æquo detraheret. Is eſt P. Antonius Maſſouliè, Vir ob Pietatem ſingulari Eruditioni conjunctam nunquam ſine laudis præfatione nominandus, in eleganti Opere *de Gratia Adami, Tomo* 2. *Diſſert.* 4. *quæſt.* 3. *art.* 7.; ubi ſic habet : *Quod ad primam verò partem ſpectat, nihil attinet dicere in præſenti, cùm ea per ſe ad Fidem non pertineat, ſed purè hiſtorica ſit, quæ verbo Divino neque ſcripto, neque tradito reſolvi poteſt : ſed ex Hiſtoria humana eruenda eſt, & ex Libris ipſorum Maſſilienſium, ac imprimis ex duplici Epiſtola SS. Proſperi & Hilarii ad Divum Auguſtinum de Erroribus Maſſilienſium ſcripta.* Quibus verbis nihil luculentius eſſe poteſt, ut conſtet, Pontificiam Definitionem, primam illam damnatæ Propoſitionis partem nullatenus attigiſſe.

In quo ergo, inquies, Semipelagianorum Error de initio Fidei ſitus erit, ſi prævenientem, & interiorem Gratiam ad illud neceſſariam agnoverunt? Cùm alioquin ex Pontificio Oraculo compertum ſit, in eo minimè fuiſſe repoſitum, quòd Gratiam illam talem eſſe pronunciarent, cui poſſet humana Voluntas obſiſtere. Hæc enim eſt Gratia ſufficiens Thomiſtica.

Repono facilè, ex hac tota, & ex Superiori etiam Prælectione academica conſtare penitus, in eo duntaxat fuiſſe ſitum, quòd Maſſilienſes non aliam ad initium Fidei, niſi verſatilem Gratiam, & liberi arbitrii aſſenſui ſubditam prædicarint; nullam agnoverint ex ſeſe efficacem, quæ liberum ſibi arbitrium ſubderet. Sic enim Salutis initium in Naturam ipſam refunditur, a qua eſt illa verſatilis Gratiæ determinatio. Quare jure meritò Janſenii Propoſitio proſcripta fuit, ut hæretica, quia ille Semipelagianorum Errorem in eo ſitum aſſeruit, quòd Gratiam quamdam admitterent, cui poſſet humana Voluntas reſiſtere, ac reluctari; quaſi hujuſmodi Gratia non daretur. Hoc enim aſſerere procul dubio Hæreſim ſapit; cùm dentur re vera Auxilia purè ſufficientia, quibus identidem reluctatur humanum arbitrium; quæque neceſſariò ſunt admittenda & ut Dei Præcepta poſſibilia dicantur, & ut Generalis illa ſalutis omnium Voluntas, a qua derivantur, in Deo ſalvetur.

Unus tamen poſtremo loco ſupereſt ſcrupulus hìc eximendus, ne quidquam omittere videamur. Eccur porro, inquiet quiſpiam, integram Janſenii Propoſitionem damnaſſent Summi illi Pontifices,

ſi quod in priori ejus parte legitur, veritate niteretur? Si Semipelagiani interiorem aliquam Gratiam prævenientem agnoſcebant, cur ea Propoſitionis pars cum altera confudenda fuerat, totaque Propoſitio, nullo facto delectu, proſcribenda?

Reſponſio in promptu eſt: Non enim alterum Propoſitionis membrum ſtare ſe ſolo poterat abſque primo, ut Error dignoſceretur; imò ut ſenſus ipſe Propoſitionis haberetur. Particulæ etenim illæ, quibus Propoſitio tota conflatur, antecedentia verba, ne vacuus reddatur ſenſus, neceſſariò poſtulabant. Ecquis enim Propoſitionis intelligentiam aſſequeretur, ſi poſtrema duntaxat verba, in quibus ſitus eſt Error, legeret, vel audiret? Certè de quibus Hæreticis, vel qua de Gratia loquutus Janſenius fuerit, ignotum omnino foret, ſi primum illud Propoſitionis Membrum deeſſet. Hoc igitur in cauſſa fuit, cur integra Propoſitio decerpta fuerit, atque in Diplomate Pontificio deſcripta, quamvis non quoad omnia, quæ in ea continentur, verba, proſcripta, atque damnata: quod quidem non ſemel in aliis etiam damnatis Propoſitionibus contigiſſe, perſpectum habemus. Neque enim ſemper neceſſe eſt, dum Propoſitio aliqua cenſurâ notatur, ut quoad omnes ſui partes proſcripta intelligenda veniat; ſed ſatis eſt, quod deficiat in aliqua, ut tota cenſurâ digna cenſeatur.

Ergo, inquies, ſi res ita ſit, Semipelagiano Errore laboravit Ludovicus Molina, eoque etiamnum luto hærent quotquot Molinianiſmum profitentur, ac fovent? Non aliud quippe Gratiæ genus agnoſcunt illi, nec dari reapſe contendunt.

Servent ipſi, ſi poſſunt, fines ſuos, & ab eo ſe laqueo ſolvant. Neque enim Officii mei eſſe arbitror, eos a ſtricto laqueo liberare; cùm potius ea ſemper fuerit ab enato Molinianiſmo Thomiſticæ Scholæ contentio, Molinam Semipelagianiſmum ſuſcitaſſe: eaque de re ſolemniter coram APOSTOLICA SEDE Prædicatorum Ordo quondam expoſtulavit. Interea tamen, cùm ea in Cauſſa APOSTOLICÆ SEDIS JUDICIUM necdum prodierit, intra Theologicæ Tractationis limites continemur; Difficultateſque, quas eorundem Sententia patitur, ex Officio noſtro proponimus; nec tamen noſtram in illos accuſationem de ſuſcitato Semipelagianiſmo, uti rem eliquatam, ac judicatam venditamus; nec abſolutè pronunciamus, eundem omnino eſſe Maſſilienſium, ac Molinianorum Errorem: hoc ſiquidem uni SANCTÆ ROMANÆ SEDI ſervatum eſſe JUDICIUM, certò ſcimus, ac profitemur. Quòd ſi illos nullus tenet pudor, ne Thomiſtarum Doctrinæ Divinæ Gratiæ efficaciam cum Auguſtino, & Thoma,

ma, binis illis Eccleſiæ Luminibus, quæ & Summi Pontifices, & Concilia Œcumenica perpetuò venerata ſunt, mordicus propugnanti probroſos identidem titulos, nævoſque affingant; non video cur & nobis potiori jure aliquando non liceat, in Molinianum recens Syſtema, quod nullis fulcitur vel Patrum Sententiis, vel Eccleſiæ Definitionibus, ea quæ ſentimus pari libertate pronunciare: ut hinc quiſque intelligat, quàm periculoſæ ſit aleæ, in Chriſtianæ Fidei Myſteriis nova Syſtemata fabricare. In ſequentibus de quinta Janſenii Propoſitione ſermonem inſtituemus.

PRÆ-

PRÆLECTIO VIII.

Quintam Janſenii Propoſitionem ab APOSTOLICA SEDE proſcriptam verè Janſenium in hæretico ſenſu propugnaſſe, demonſtratur.

QUINTAM, & ultimam Janſenii Propoſitionem attingimus; cujus in damnatione plus ſollicitudinis poſuit Summus Pontifex; cujus in confutatione plus laboris, ac ſtudii & nos impendemus. Hanc in Pontificio Diplomate his verbis expreſſam legimus: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe*. Videlicet, uti cernitis, Semipelagianæ Hæreſis Caput eſſe Janſenius exiſtimavit, quod uti Orthodoxæ Fidei Dogma profitetur Eccleſia.

Res eſt iſta plena myſterii; quod reſerare noſtri impræſentiarum erit Officii. Neque enim ſatis feliciter ab omnibus intelligitur. Faxit Deus, ut cùm dixero, vos ſaltem intelligatis quotquot tirocinii titulo hìc adeſtis. Janſenianus Error (ut rem aperiam) quinta illa Propoſitione expreſſus, non tam in falſi Dogmatis aſſertione poſitus eſt, quàm in Catholicæ veritatis infamatione, & impacta Cenſura. Non enim conceptis terminis affirmat, *Chriſtum non eſſe pro omnibus mortuum*; ſed Catholicam de univerſali Chriſti morte veritatem Cenſurâ notat, atque perſtringit; *Semipelagianum eſſe*, inquiens, *dicere*, *Chriſtum pro omnibus Hominibus mortuum eſſe*. Si itaque Romanus Pontifex Propoſitionem illam quintam ſuo Diplomate configens nudam illam, ac ipſis duntaxat terminis, quibus effertur, condemnaſſet, ejus fortè Damnatio a quibuſdam Cavillatoribus declinari potuiſſet. Damnatum quippe Janſenium forſitan obtendiſſent propter acerbitatem Cenſuræ, qua inculpabilem Opinionem infamaverat, non quòd Hæreſim aliquam propugnaſſet. Eo plane modo, quo Theologi bene multi contendunt, quaſdam e Baji Propoſitionibus a S. Pio V. fuiſſe proſcriptas non tam ob Errorem in iis aſſertum, quàm ob Cenſurarum acerbitatem, quibus alienas Opiniones infamabat. Quare, ut hoc Effugium præcluderet Innocentius X., Damnationem quintæ hujuſce Propoſitionis ita compoſuit, ut nedum acerbitatem Cenſuræ damnaverit, ſed & Errorem ipſum apertè confoderit: *Hanc Propoſitionem* (inquit ille in Diplomate Pontificio) *uti falſam, temerariam, ſcandaloſam proſcribimus*: tum addit: *& intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus*

pro

Digitized by Google

pro ſalute duntaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, Divinæ Pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Ubi Errorem diſtinctè confoſſum, damnatumque perſpicuè cernitis.

Eſt & aliud in ea Pontificis Damnatione Myſterium nil minùs occultum, nil minùs enodatione, & obſervatione dignum. Janſeniana videlicet Propoſitio ad examen Pontificium vocata de Chriſti morte *pro omnibus* duntaxat agebat; Pontificia verò Damnatio de Chriſti morte *pro omnium Salute* pronunciat. Quorſum id amabo? Nec enim a Myſterio vacare putandum eſt. Quia nimirum veritatem Catholicam minùs in tuto poſuiſſet Romanus Pontifex, ſi Chriſtum *pro omnibus mortuum* duntaxat definiiſſet; nec illum inſuper *pro omnium Salute mortuum* declaraſſet. Sunt etenim, qui cùm Chriſtum *pro omnibus mortuum* fateantur, *pro omnium Salute mortuum* diffitentur; ingenſque inter duo illa diſcrimen aſſignant: nempe ut Chriſtus *pro omnibus mortuus* aſſeratur, ſatis eſt, ut ex ejus morte aliqua ſaltem in omnes homines Gratia derivarit: porro reproborum etiam Hominum nemo eſt, in quem aliqua ſaltem ſtilla Gratiæ temporaneæ, ac ſaltem ſufficientis ex Chriſti meritis non effluxerit: cùm & ii etiam Theologi, qui Infideles, & Induratos Auxiliis ſufficientibus in Infidelitatis, & Obdurationis pœnam privari docent; eos tamen iſtiuſmodi ſufficientibus Gratiis toto Vitæ tempore privari negent. Ut autem *pro omnium Salute* Chriſtus mortuus dici poſſit, nedum neceſſe eſt, aliquam ſaltem Chriſti Gratiam in ſingulos derivari; ſed & inſuper deſideratur omnino, Chriſti Gratias in ipſos etiam Reprobos derivatas, ex Chriſti morientis intentione ad illorum quoque Salutem fuiſſe directas. Quod certè difficilius captu eſt. Ne ergo aliquas Errori latebras relinqueret prudentiſſimus Pontifex, hoc ſecundum etiam Diplomate ſuo ſancitum voluit. Unde & addidit: *Propoſitionem intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro Salute duntaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, Divinæ Pietati derogantem, & hæreticam declaramus; & uti talem damnamus.*

Jam verò, poſt expoſitum Pontificiæ Damnationis ſenſum, ne ab inſtituta methodo deflectamus, de Janſenii ſenſu agendum venit: ut hinc omnes intelligant, nihil illi a Malevolis affictum eſſe, ut ejus Partiarii falsò garriunt, ſed illum ipſum Errorem ab Innocentio proſcriptum apertiſſimè docuiſſe. Res extra omnem dubitationis aleam ponitur *Lib. 3. de Gratia Salvatoris cap. 20.*; ubi poſt congeſta non pauca S. Auguſtini Teſtimonia, quæ in hujus Erroris confirmationem perperam, & obliquè detorſerat, ita demum colligit ſub Capitis finem: *Quæ ſanè cùm in Auguſtini Doctrina per-*

perſpicua, certaque ſint, nullo modo Principiis ejus conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus vel pro Infidelium in infidelitate morientium, vel pro Juſtorum non perſeverantium æterna Salute mortuus eſſe, Sanguinem fudiſſe, ſemetipſum redemptionem dediſſe, Patrem oraſſe ſentiatur ..... Ex quo factum eſt, ut juxta Sanctiſſimum Doctorem non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum, quàm pro Diabolo deprecatus ſit. Quo ex Loco, ſi benè conjicio, expreſſa eſt quinta Propoſitio confixa.

Ne autem Janſenii Partiarii reponant, Antiſtitem ſuum de mortis efficacia, non de ſufficientia locutum; illumque nullo pacto negaſſe, Redemptionem pro univerſis Hominibus factam ex intentione, & animo Redimentis; dubitationem eluit omnem Cornelius Janſenius hoc ipſo in Capite; ubi tritum illud Scholaſticorum Dictum ex inſtituto confutandum aggreditur: *Chriſtus omnes redemit ſufficienter, non efficaciter;* quod omnibus modis falſum exiſtimat, ſi de ſufficientia Voluntatis, & intentionis intelligatur, uti revera Theologi omnes intelligunt; ſolùmque verum eſſe contendit, ſi de ſufficientia pretii ſermo foret; quatenus Chriſtus pretium Patri obtulit redimendis univerſis Hominibus, atque etiam Dæmonibus, planè ſufficiens.

Quid plura? D. Proſperum, uti minùs æquum S. Auguſtini interpretem exagitandum ſibi ſumit Vir audaciſſimus; quòd videlicet in Reſponſione ad primam obiectionem Vincentianam, univerſalem Chriſti mortem ex Redimentis animo, & directione docuiſſet: ſcilicet id in D. Proſpero audaciſſimè reprehendit, quod amplectendum illi erat, ut Catholicus, & Orthodoxus audiret. Janſenii verba dabo, ne quis dubitet: *Quia ipſa phraſis, qua quis dicitur, ſe pro aliquo redemptionem dare, præſeferre videtur, Redemptionem ex Redimentis animo in uſum, ac liberationem captivorum offerri, ac dirigi; quæ oblatio, ac directio Chriſti inanis eſſe non poteſt: & quia alioquin etiam pro Dæmonibus ſe dediſſe redemptionem dici poſſet ..... ac denique, quia Proſpero antiquior, & doctior Auguſtinus nunquam in Scriptis ſuis fatetur, Chriſtum pro omnibus, nullo excepto, ſe dediſſe Redemptionem, vel crucifixum eſſe, vel mortuum, ſed tantummodo pro illis, quibus mors ejus profuit; hinc genuiniùs, ac veriùs reſpondemus, Chriſtum dici ſe dediſſe Redemptionem pro omnibus; hoc eſt, pro univerſa ſua Eccleſia toto Orbe diſperſa, & conſequenter pro omnibus Hominum generibus, Regibus, Privatis, Nobilibus, Ignobilibus, prout ſuperiori capite ex S. Auguſtino declaravimus.* Ita Janſenius; quibus & Errorem ſuum, & audaciam multis prodit. Primò enim apertè ſe a D. Proſperi Sententia recedere fatetur, quem toties aliàs, & quidem meritò, ut fideliſſimum D. Auguſtini Diſcipulum, & Inter-

terpretem commendaverat. Secundò; D. Proſperum cum D. Auguſtino committit, tanquam ea in re, quæ ſummi momenti exiſtimanda eſt, invicem ſibi adverſos; & quaſi S. Auguſtini mentem S. Proſper minimè fuiſſet aſſecutus. Tertiò (quod mirum eſt) plus ſibi credi vult Janſenius S. Auguſtinum interpretanti, quàm D. Proſpero: quod neſcio quis æquis auribus, & pacato animo ferre poſſit. Quartò; eam interpretationem affert de Chriſti morte pro omnibus Hominum Generibus tolerata, ac ſi ea unica admittenda foret, cæteriſque omnibus adverſaretur. Quintò (quod hic potiſſimùm quæritur) Errorem ſuum exerto digito demonſtrat; non eſſe ſcilicet Chriſtum pro Singulis mortuum ex intentione, oblatione, ac directione Redimentis.

Sed neque id obiter, ac velut ex occaſione a Janſenio dictum æſtimare par eſt: eò ducunt ſtatuta ab illo Principia, ſummoque ubique ſtudio poſita. Primum: a Statu Naturæ lapſæ Voluntatem Dei antecedentem ſemovit, & intra Status innocentis Naturæ cancellos reſtringi voluit: qua de re plura in ſuperioribus Tractationibus diximus. Porro ſunt hæc duo, uti ſcitis, ſibi mutuò connexa; Deum Voluntate antecedente velle Salutem omnium Hominum, & Chriſtum Voluntate conformi Divinæ Voluntati, Divinoque Conſilio ſemetipſum Redemptionem pro omnibus obtuliſſe. Quare cum primum negaſſet Janſenius, conſequens fuit, ut etiam alterum negaret.

Alterum Janſenii Principium eſt; nullum eſſe Auxilium ſufficiens ab efficaci diſtinctum; nullumque Auxilium efficax ad Salutem Hominis dirigi, ac deſtinari, niſi quod cum actuali perſeverantia conjunctum eſt. Quo fit, ut, etſi non neget Janſenius Auxilia Divina ex meritis, & morte Chriſti in multos etiam Reprobos derivari, in illos nempe, qui ad Fidem aliquando perveniunt, aut etiam temporaneâ, ut ita dixerim, Charitate exornantur, ſed in ea minimè perſeverant; diffitetur tamen omnino, Auxilia illa ad eorum Salutem ullo modo deſtinari, qui Salutem minimè conſequuntur: quia nullum aliud in iis Auxiliis munus agnoſcit, præter illud unicum efficaciæ robur, quo actum efficiunt. Unde & ultimò ſequitur, Chriſtum nullam illorum Salutis intentionem habuiſſe, nec pro illis Redimentis animo, ac directione fuiſſe mortuum, & Sanguinem effudiſſe.

Tertium Janſenii Principium eſt; Chriſtum Dominum pro ſolis Prædeſtinatis Patrem oraſſe, pro Reprobis autem nihilo plus, quàm pro Dæmonibus ipſis: cujus hanc perbellam, ſi Superis placet, rationem aſſignat; quòd alioquin, ſi pro Reprobis exoraſſet, inutilis ejus extitiſſet Oratio. Quaſi verò etiam inanis petitio fuerit, qua, ut a ſe Calix tranſiret, a Patre in Horto petierat. At,

ut ut eſt, Error ex eo jacto Principio ſponte fluit. Cùm enim Oratio Chriſti ejus Voluntatis eſſet interpres, noluiſſe illum Reproborum Salutem neceſſe profectò eſt, ſi pro illis nihilo plus Patrem, quàm pro Dæmonibus exoravit.

Hinc Janſenii Partiarii viderint, nihil Antiſtiti ſuo ad invidiam affictum eſſe in hujuſce Propoſitionis Damnatione; cùm & eam diſertiſſimis verbis aſſeruerit; eaque doctrinæ ſuæ Principia poſuerit, e quibus, filo veluti ducto, confixus Error derivatur.

Erit fortaſſe, qui dubitet, num Janſenius eò confidentiæ devenerit, ut nedum Catholicam illam veritatem oppugnarit; verùm etiam inter Semipelagianos Errores reputaverit. At neque hac parte Janſenio quidquam affictum eſt, dum Aſſertio ejus nomine damnata his verbis expreſſa eſt in Diplomate Pontificio: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, & Sanguinem fudiſſe*. Re ipſa ſiquidem Dogma illud Semipelagianorum Erroribus adnumeravit. Liquet id *ex cap.* 20. *Libri* 3. *de Gratia Salvatoris*; ubi Catholicorum Theologorum Argumento, quo univerſalem Chriſti mortem oſtendunt, facturus ſatis, ita Reſponſum ſuum orditur: *Hoc Argumentum, ſicut & omnia præcedentia, jam olim ad nauſeam uſque a Pelagianis, ac præſertim Maſſilienſibus inculcatum eſt*. Quibus verbis Catholicos Theologos in eo adſtruendo Dogmate eodem cum Semipelagianis arare vitulo, diſertè ſignificat. Explicatiùs verò ſub finem *Capitis*: *Illa extenſio*, (inquit) *tam vaga* (Paſſionis Chriſti) *modernorum Scriptorum non alio ex Capite, quàm ex illa generali & indifferenti Voluntate Dei erga Salutem omnium, & ex illa ſufficientis Gratiæ omnibus conferendæ præparatione fluxit . . . . . . Quorum utrumque Auguſtinus, Proſper, Fulgentius, & antiqua Eccleſia, velut Machinam a Semipelagianis introductam, repudiavit*. Ad Semipelagianorum igitur Hæreſim revocat Janſenius generalem illam Dei Salutis omnium Voluntatem, & univerſalem Gratiarum ſufficientium præparationem; cùm e contra, ſi Vir acutioris criterii fuiſſet, ac minùs ſuis præjudiciis occupatus, Semipelagianorum Errorem de Chriſti morte alio in Capite repoſitum eſſe cognoviſſet: Qua de re dicemus ordine ſuo.

Errore igitur Janſeniano in aperto poſito, Officii noſtri eſt, Dogma Catholicum vindicare; Chriſtique mortem pro Omnibus toleratam, & pretioſum Sanguinem pro Singulis effuſum demonſtrare. Erit hoc ſequentis Academicæ Prælectionis Argumentum.

PRÆ-

PRÆLECTIO IX.

Quintæ proſcriptæ Janſenianæ Propoſitionis occaſione de Divina ſalvandorum Hominum Voluntate diſſeritur : Auguſtinus a Molinianorum calumnia vindicatur : Janſenii hallucinatio detegitur : generaliſque illa Salutis Omnium Voluntas in Auguſtiniano & Thomiſtico ſenſu, eliminatis Molinæ, ejuſque Aſſeclarum interpretamentis, Catholicè aſſeritur, propugnatur.

DE Chriſti Sanguine pro Salute omnium Hominum effuſo dicturus in præſens ad Erroris Janſeniani confutationem Difficultatem ex intimis viſceribus peto ; a ſincera ſcilicet Voluntate, qua Deus Salutem omnium Hominum velle dicitur. Cùm enim Voluntatem ſuam Divino nutui, æternoque Conſilio per omnia ſubditam Chriſtus gereret, pro iis omnibus ſine controverſia Sanguinem fudiſſe dicendus erit, quorum Salutem Deum velle, conſtiterit.

Id ut feliciter exequar, primumque ſtabiliendæ Catholicæ Veritatis Fundamentum ponam, verſandum aggredior celebratum illud Pauli 1. *ad Timoth. cap.* 2. ſcribentis Oraculum : *Qui vult omnes Homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire :* Cujus occaſione enatæ tot olim Semipelagianos inter, & Auguſtinum difficillimæ Controverſiæ ; tot hinc, & inde Interpretationes venditatæ ; tot quæſita Suffugia, tentata Diverticula referuntur ; ut quod de Chriſto Domino a Sanctiſſimo Simeone dictum eſt, de iſto Apoſtolico Oraculo pronunciari quodammodo poſſe videatur ; *in ruinam, & in reſurrectionem multorum fuiſſe poſitum.*

Quòd Oraculo illo inſigniter abuſi fuerint Semipelagiani, nullus, opinor, ibit inficias, qui Proſperi, & Hilarii ad Auguſtinum datas Epiſtolas, ipſiuſque Auguſtini Libros *de Prædeſt. SS.*, & *de dono Perſeverantiæ* vel obiter deflorarit. Eo quippe Teſtimonio freti vagam quamdam, indiſcretam, atque indifferentem in Deo Voluntatem ſunt fabulati ; qua Juſtos pariter, & Injuſtos, Prædeſtinatos ſimul ac Reprobos æqua ratione ſalvari vellet, omni Juſtorum, ac Prædeſtinatorum prædilectione ſemota ; ut nonniſi ex humanæ Voluntatis ſecuturo conſenſu generalis ea Voluntas efficax, vel inefficax fieret ; ac ſine ſpecialiori Voluntatis Divinæ Propoſito iſti præ aliis ſalvarentur.

Digitized by Google

Auguſtinus e regione poſitus timens, ne ſi Oraculum iſtud ad omnes paſſim Homines, nullo demto, referret, Semipelagiani vires ſuas multò magis inſtaurarent; indeque confidentiùs anſam arriperent, ſuam illam indifferentem Voluntatem obtrudendi; Apoſtoli verba de Voluntate Dei efficaci frequentiùs expoſuit; qua Prædeſtinatos ſpecialiùs ſalvari velit. Quare, ne quis univerſali illa Aſſertione, qua omnium Hominum Salutem Deum velle dicit Apoſtolus, terreretur, varias interpretationes excogitavit SS. Doctor; quibus eam ad ſolos Prædeſtinatos coarctavit.

Prima Expoſitio eſt; ut ſit diſtributio accommoda; non quòd nemo ſit, quem Deus ſalvari nolit; ſed quòd nemo ſalvetur, niſi quem Deus ſalvari voluerit. Ita Auguſtinus *Lib. de Prædeſt. SS. cap.* 8.; ubi eam loquendi rationem Exemplo confirmat: *Sicut ergo*, inquit, *integrè loquimur, cùm de aliquo literarum Magiſtro, qui in Civitate ſolus eſt, dicimus: Omnes iſte hìc literas docet: non quia omnes diſcunt; ſed quia nemo, niſi ab illo diſcit, quicumque ibi literas diſcit: ita rectè dicimus: omnes Deus docet venire ad Chriſtum; non quia omnes veniunt, ſed quia nemo aliter venit.*

Alterum Auguſtini Interpretamentum eſt; ut fiat diſtributio, quemadmodum Schola loquitur, pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum; & ſit ſenſus, Deum ex omnibus Hominum Statibus velle aliquos ſalvos fieri, ex Gentibus, ex Judæis, ex Regibus, & Subditis, ex qualibet demum fortuna, conditione, vel ſorte. Ita *in Enchiridion ad Laur. cap.* 103. Qua loquendi ratione dicimus, omne Animal fuiſſe in Arca Noe, quia ſcilicet ex qualibet ſpecie fuere aliqua. *Et iſto etiam locutionis modo* (inquit Auguſtinus loco mox laudato) *& Dominus eſt uſus in Evangelio, ubi ait Phariſæis:* decimatis mentam, & rutam, & omne olus. *Neque enim Phariſæi quæcumque aliena, & omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant.*

Tertia expoſitio eſt; ut ſit locutio cauſſalis: atque ita, Deum velle, omnes Homines ſalvos fieri, quia facit Juſtos id velle. *Poteſt etiam ſic intelligi* (ait ille *Lib. de Correp. & Gratia cap.* 15.) *quòd omnes Homines Deus vult ſalvos fieri; quoniam nos facit velle: ſicut miſit Spiritum Filii ſui clamantem, Abba, Pater, ideſt nos clamare facientem .... Nos ergo clamamus; ſed ille clamare dictus eſt, qui efficit, ut clamemus.*

Vix credas, quantum hæc Auguſtini Interpretamenta, quibus Divina Voluntas ad Prædeſtinatorum duntaxat Salutem coarctatur, quorumdam Animos in tranſverſum egerint. Nonnulli, quibus minùs cordi, ac venerationi eſt Auguſtini nomen, *Expoſitiones haſce* Auguſtini (ſuper Locum illum Apoſtoli) *omnes vel ipſo*

pri-

primo aſpectu peregrinas, & extortas appellant, atque calumniantur. Ita Ludovicus Molina in ſua *Concord. quæſt. 19. art. 6. diſp. 1.* Vaſqueſius autem eò etiam temeritatis devenit, ut aſſerere haud ipſum puduerit (1. *part. diſp.* 83. *cap.* 2. *n.* 12.) *Auguſtinum nullo ex illis tribus modis Pauli Locum rectè expoſuiſſe*. (en Magiſtrum Auguſtino ſapientiorem.) Audite Petavium, quo modo de venerabili, ac uno ex quatuor præcipuis Eccleſiæ Doctoribus loquatur: *Tres*, inquit *Tomo* 1. *Lib.* 10. *de Prædeſt. cap.* 3. *n.* 2., *quatuorve* (modi) *ex Auguſtino commemorati ſunt a nobis, cùm illius Opinionem exponeremus* (cap. 5. Ejuſdem Libri) *qui mihi quidem ad eludendum magis excogitati, quàm certi, ac ſolidi videri ſolent*. Ad eludendum ergo SS. Doctor Pauli Textus interpretabatur? Siccine de tanto Magiſtro loqui impune liceat? Vah intolerabilem petulantiam! Alios plures ex Moliniana Schola miſſos facio, qui id ipſum effutire non erubeſcunt, ne piæ aures magis magiſque exhorreſcant. At ſcire illos juvat, Auguſtini Doctrinam de Gratia & libero arbitrio a Romanis Pontificibus Cœleſtino, Gelaſio, Hormiſda, Felice IV. uti Eccleſiæ Catholicæ Sententiam fuiſſe commendatam; ut nemini jam in oppoſitum muſſitare liceat, niſi qui Eccleſiæ Catholicæ Profeſſionem labefactare voluerit. Scire illos juvat, eas Interpretationes, quas confidentiùs cavillantur, ne dum ab Auguſtino datas eſſe, quo ſolo titulo nulli calumniæ paterent; ſed & ab aliis Eccleſiæ Patribus ſumma veneratione ſuſceptas; nimirum a S. Gregorio Magno *Lib.* 5. *in* 1. *Regum*; *cap.* 4. *n.* 63.: a S. Fulgentio *Lib. de Incarn. & Grat. cap.* 31.: a S. Proſpero *in Epiſtola ad Ruffinum* (in Biblioth. PP. Tom. 5. pag. 84.): Ab Africanis Epiſcopis in Sardinia exſulibus *Epiſt. Synodica cap.* 14. quæ extat inter Opera S. Auguſtini Tom. 10. in ſecunda parte Appendicis pag. 156.: a S. Remigio Remenſi in *Explanatione in cap.* 2. *Epiſt.* 1. *ad Timoth.* (in Biblioth. PP. Tom. 5. part. 3. pag. 937.) Ac demum, pluribus aliis omiſſis, a D. Thoma 1. *part. quæſt.* 19. *art.* 6. *ad* 1.; & *in Comment. in Pauli Epiſt. ad eum Apoſt. Locum*, cujus in expoſitione verſamur; ubi tres illas Auguſtini Interpretationes admittit; nec eas ad eludendum excogitatas aſſerit, ut impudenter Petavius. Nihil eſt ergo, quod in iis expoſitionibus cavillentur Auguſtini Oſores, niſi fortè cæteris quoque Eccleſiæ Patribus bellum audaci ſupercilio indicere velint, imò & ipſis Summis Eccleſiæ Hierarchis.

Abeunt alii in extremum alterum; utque Auguſtinum prona, uti par eſt, veneratione proſequantur, iis Interpretamentis ita firmiter hærent, ut aliud nullum afferri poſſe putent. Eoque pacto (eliminata quavis Dei de Salute omnium Hominum Voluntate) unam in eo efficacem Voluntatem agnoſcunt, qua ſolos Prædeſtinatos

natos ſalvari velit; antecedente Dei Voluntate, quæ in omnium Hominum Salutem feratur, exploſa, unam conſequentem admittendam exiſtimant, ne in Semipelagianum Errorem ab Auguſtino toties exagitatum prolabantur. Ita planè Janſenius, quem hîc præſertim exagitamus.

At id perperam. Ea eſt etenim Scripturæ ſacræ Majeſtas, & Altitudo; ut una eademque litera varios ſenſus pati poſſit, quorum neuter cum altero pugnet. De Voluntate Dei efficaci, cùm Apoſtoli Locum expoſuerit Auguſtinus, atque idcirco verba ejus ad ſolos Prædeſtinatos coarctaverit; bene eſt: ejus nos Interpretationem deoſculamur; nihil tamen id obeſt, quominus de Voluntate Dei inefficaci intelligi etiam queat, eoque pacto ad univerſos prorſus Homines referri commodè poſſit; modò tamen in hujus inefficacis, & antecedentis Voluntatis expoſitione a Semipelagianorum Errore recedamus. Hoc ipſum docet nos Auguſtinus ipſe; qui tametſi allatæ Interpretationi tenaciùs hæſerit, dum in Semipelagianos calamum acuit, ne ullam eis Erroris anſam relinqueret; ab iſta tamen, de generali, & antecedente Dei Voluntate ad omnes prorſus Homines effuſa, Interpretatione non abhorruit. Loca indigitabimus Exercitatione ſequenti, eaque numero plura. Docet & id D. Proſper, qui utramque Interpretationem uſurpavit in *Reſponſione ad 7. Objectionem Vincentianam* [inter Opera S. Auguſt. Tom. 10. in 3. part. Append. pag. 210.] Docet Doctor Angelicus, qui utramque pari veneratione excipit loco laudato 1. *Partis*, & in 1. *Sent. diſt. 46. quæſt.* 1. *art.* 1. *ad* 1.; hancque ſecundam de Voluntate antecedente, quæ præſentis eſt Inſtituti S. Joan. Damaſceni Authoritate confirmat in corp. ejuſdem articuli. Evincit id maximè contextus Apoſtoli, qui de Voluntate Dei ad omnes prorſus Homines effuſa videtur exponendus. Fideles enim hortatur Apoſtolus, ut pro omnibus orent; hujuſque rationem iſtam aſſignat: *Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo; qui omnes Homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Futilis porro ea ratio videretur, & Apoſtolico Ingenio minùs digna, ſi de Voluntate Salutis duntaxat aliquorum eſſet intelligenda, ac non prorſus omnium; quemadmodum pro omnibus prorſus Hominibus eſt orandum. Senſus enim eſſet: *Orate pro univerſis Hominibus, quia Deus aliquos tantùm vult ſalvos fieri.* Rurſus probat idem Apoſtolus, Deum Salutem omnium velle, quia *unus Deus, unus & mediator Dei, & Hominum Homo Chriſtus Jeſus.* Horum igitur omnium Salutem vult, quorum eſt Deus, & mediator. Quis porro Chriſtum Prædeſtinatorum duntaxat Deum, ac mediatorem appellaverit? Perſpicuum igitur eſt, Apoſtolicum illud Oraculum de Voluntate Dei in omnes Homines effuſa intelligi commodè poſſe.

Ne-

Digitized by Google

Neque tamen verendum, ne idcirco ad Semipelagianiſmum declinemus, modò, eliminatis Molinianorum ſpuriis Interpretamentis, Auguſtinianis, ac Thomiſticis Expoſitionibus hæreamus. Ii quippe generalem illam Voluntatem indiſcretam prorſus in omnes, atque indifferentem fabulabantur; ut ex humanæ Voluntatis ſecuturo conſenſu efficax, vel inefficax fieret. Auguſtiniani, atque Thomiſtæ longè aliter ſentiunt. Singularem inſuper erga Electos prædilectionem profitentur: generalis hujuſce Voluntatis ſortem ex unico Hominum aſſenſu, vel diſſenſu minimè ſuſpendunt; verùm etiam ex Dei nutu, qui penſatis ſuæ Providentiæ Legibus æterno Decreto Juſtitiæ ſuæ aliquos caſuros permittere decernit. Deum enim Omnipotentem non fore, ajunt cum D. Auguſtino *in Enchirid. cap. 95., ſi aliqua voluit, & non fecit; &, quod eſt indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat Omnipotens, Voluntas Hominis impedivit.*

Equidem generalem illam Salutis omnium Voluntatem conditionalem nonnulli Thomiſtæ noſtrates appellant: at procul eſt illa conditio ab ea, quam Semipelagiani garriebant. Hi ſiquidem Deum conditionatè omnes Homines ſalvari velle contendebant, ſi nempe Homines ipſi vellent; nec Deum in illis operari putabant, ut vellent; quod Thomiſtæ ſummo Scholæ conſenſu rejiciunt, atque execrantur. Conditionatam Thomiſtæ illi [quod obſervare operæ pretium eſt] Voluntatem appellant, non conditione ex Hominis nutu pendula, ſed ex conſequentis Voluntatis Divinæ ſuperno Conſilio. Vult enim omnes Homines ſalvos fieri ingenita ſibi bonitate, niſi ſupremi Proviſoris altiſſima Sapientia ob Juſtitiæ ſuæ, Conſiliorumque ſuorum abditiſſimas rationes aliter ſubinde decernat.

Hinc eliſâ manet trita illa Difficultas, quæ ſtatim Animum pulſat, & Janſenium potiſſimùm movit; qui fieri poſſit, ut ſalvari omnes Homines Deus velit, cùm re ipſa perpauci ſalventur: *Omnia enim* [ait Regius Vates *Pſal.* 134.] *quæcumque voluit Dominus fecit in Cœlo, & in Terra, in Mari, & omnibus Abyſſis.* Verum id quidem de abſoluta, & conſequenti Voluntate; nequaquam autem de conditionata, & antecedente.

Manet & altera eliſa Cavillatio; qua ratione fieri poſſit, ut contrariæ, ac repugnantes in Deo Voluntates exiſtant; una, qua ſalvari velit Omnes; altera, qua velit Aliquos tantùm Salutem conſequi. Nulla quippe hìc repugnantia: quia de Objecto variis conditionibus circumveſtito varia velle dicitur: uti plane nil pugnat, Mercatorem imminenti naufragio jactatum Merces projicere velle, ac re ipſa projicere; quas tamen ſervare ſummopere vellet, ſi abſque ſui periculo poſſet: aut Principem Subditum ſuum incolumem velle, quem nihiloſecius ob ſcelus admiſſum capite damnat.

Unum

Unum forſan erit, quod negotium faceſſat aliquod : quo pacto Voluntas illa Salutis Omnium ſincera vocari, & eſſe poſſit. Si enim ſincerè vult Deus, cur non re ipſa omnes Homines ſalvat, cùm id Gratiâ ſuâ utique poſſit? Neque enim reponere juvat, velle illum, ſed Homines nolle : quandoquidem Gratiâ ſuâ præſtare poteſt, ut velint; cùm habeat humanorum Cordium, quando voluerit, & quò voluerit inclinandorum omnipotentiſſimam Poteſtatem. Et quidem Mercator ille imminente naufragio jactatus ſinceram ſervandarum Mercium Voluntatem habere dicitur, tametſi metu periculi demergat; quia ob periculi præſentiam ſervare re ipſa non poteſt : ſi enim ſervare poſſet, nec tamen re ipſa ſervaret, nulla in eo ſincera ſervandi Voluntas ſupponeretur. Ita multi argutari ſolent.

Verùm nec iſta movere aliquem poſſunt. Idcirco enim non omnes Homines ſalvat, tametſi antecedente Voluntate ſalvari Omnes velit, & ſalvare re ipſa poſſit; quia, ſpectatis conditionibus omnibus, & univerſalis Providentiæ Legibus, aliter Voluntate conſequente permittere decernit : ut videlicet aliqui ad decorem Juſtitiæ, ad manifeſtationem Potentiæ, ad majorem ſui erga Prædeſtinatos Amoris oſtenſionem, necnon ob alios incomprehenſibiles Sapientiæ ſuæ rationes ab eo ultimo fine excidant, ad quem Singulos pervenire miſericorditer Voluntate ſua ſinceriſſima cupiebat. Quo ex Capite minùs quadrat objectum Mercatoris Exemplum; qui cùm Perſona privata ſit, uni peculiari lucro intenta, Mercium conſervationem minùs velle cenſeretur, niſi quidquid poteſt omni conatu perageret : cùm contra Deus, qui univerſalis Proviſor eſt, univerſali bono juxta æternæ Provindentiæ ſuæ Leges neceſſariò proſpiciat. Quare cum ſincera Voluntate Salutis omnium Hominum per ſeſe, & abſolutè ſpectatæ permittere reipſa poteſt, ut Aliqui in peccatum incidant ob latentes, ac nobis prorſus impervias æterni ſui Concilii rationes; in quas intimiùs, curioſiùſque introſpicere velle, ſummæ temeritatis eſt, atque imprudentiæ; ajente Apoſtolo *ad Rom.* 11.: *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei! Quàm incomprehenſibilia ſunt Judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini? Aut quis Conſiliarius ejus fuit?*

Proxima Tractatione Scripturarum, ac Patrum Oracula de Chriſti morte pro Reprobis tolerata, adjuvante Deo, expendemus.

PRÆ-

PRÆLECTIO X.

Adverſus quintam Janſenii Propoſitionem, Chriſtum Dominum non pro ſolis Prædeſtinatis, ſed pro omnibus omnino Hominibus mortem oppetiiſſe; multoſque ex iis perire, pro quibus Sanguinem ipſe fudit, Sacrarum Scripturarum, Conciliorum, & ipſiuſmet Auguſtini, quo duce adeo fidit Janſenius, Authoritate; nec non Rationibus Theologicis luculenter o enditur.

JACTO univerſalis Chriſti Domini Redemtionis Fundamento, ſeu (ut explicatiùs loquar) generali Dei Voluntate de omnium Hominum æterna Salute multis Argumentis aſſertâ, Chriſti Domini Sanguinem pro univerſis Hominibus fuſum demonſtrandum aggredimur; ut Catholica Veritas adverſus quintam Janſenii Propoſitionem definita omni ex latere muniatur.

Sacrarum Scripturarum advocationem primo loco ponimus, ex quibus duo colligere pronum eſt, unde Janſenianus Error juguletur. Primum; Chriſtum pro omnibus Hominibus, nullo demto, mortem oppetiiſſe: alterum; plures ex iis perire, pro quibus mortuus Chriſtus dicitur: ut plane hinc colligatis, Chriſtum non pro ſolis Prædeſtinatis, ut falsò Janſenius autumat, Sanguinem fudiſſe ſuum, ſed pro omnibus omnino indiſcriminatim Hominibus.

Prodeunt prima fronte ea Apoſtoli Oracula, quibus a Chriſto Domino mors pro omnibus oppetita dicitur: *ad Rom. cap.* 8.: *Proprio Filio ſuo non pepercit; ſed pro omnibus tradidit illum*: quod & latiùs protendere videtur dilectus Diſcipulus in ſua *Epiſt.* 1. *cap.* 2.: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius Mundi.* Sed & luculentiùs 2. *ad Corin. cap.* 5. Adami peccatum in omnes Homines transfusum idcirco probat Apoſtolus, quia Chriſtus pro omnibus mortuus eſt: *Si unus*, inquit, *pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt*: ut nempe in eos omnes Chriſti mortis beneficium protendatur, in quos Adæ peccatum transfuſum eſt.

Reponit feſtivè Janſenius, Chriſtum ab Apoſtolo pro univerſis prorſus Hominibus mortuum aſſeri, ſufficientia Pretii, non ſufficientia Voluntatis: hoc eſt; ſufficere Chriſti Sanguinem univerſis Hominibus redimendis, atque ſalvandis; tametſi non ea intentione,

ne, ac Voluntate effuſus eſſet, ut eo Univerſi redimerentur, & ſalvarentur.

At inquio, ſi ita ſit; ſi Chriſti mortem pro univerſis Hominibus toleratam eo duntaxat ſenſu dixit Apoſtolus, quòd univerſis Hominibus redimendis per ſe ſe ſufficiat; quorſum, amabò, nuſpiam in Scripturis expreſſum legimus, Chriſtum pro univerſis Dæmonibus eſſe mortuum? Nam & nemini dubium eſſe poteſt, quin & univerſis Dæmonibus redimendis per ſe ſe ſufficeret. Non id ergo de ſufficientia Pretii dictum eſt. Rurſus, idem Apoſtolus, ubi Chriſtum pro univerſis Hominibus mortuum ſcripſit, ſpecialiori tamen modo pro Fidelibus mortuum innuit: *Qui eſt Salvator*, inquit, *omnium hominum*, *maximè Fidelium*; 1. *ad Timoth. cap.* 4. Niſi porro de ſufficientia Voluntatis, & intentione redimendi ſermonem haberet, ſed de una Pretii ſufficientia, non eſſet cur quidpiam ſpeciale pro Fidelibus adderet, cùm æqua in omnes intelligatur ad Salutem Pretii ſufficientia. Sed & quod habet 1. *ad Tim.* 2. difficultatem omnem eliquat: *Dedit Redemtionem ſemetipſum pro omnibus*: qua ſanè loquendi ratione Voluntas, atque intentio redimendi ſatis apertè ſignificantur. At quid tandem? Nebulas depellit omnes, Janſeniique dicacitatem frangit omnino, quod ſcribit Divinus Apoſtolus *ad Rom.* 14.; ubi Chriſtum idcirco omnium Hominum Dominum, ſeu Caput eſſe probat, quia pro omnibus mortuus eſt: *In hoc enim Chriſtus mortuus eſt*, *&* *reſurrexit*; *ut & mortuorum*, *& vivorum dominetur*. Si ergo de ſufficientia mortis toleratæ, non de ſufficientia Voluntatis, & de animo redimendi ſermonem habet, aut nihil hoc Argumento conficit, aut certè Chriſtum morte ſua Caput etiam Dæmonum evaſiſſe probat; nam & pro illis, ſi ſolam Pretii ſufficientiam ſpectaremus, mortuus dici poſſet. Nihil ergo ea ſua Cavillatione Janſenius conficit, niſi quòd ſe ſiniſtrum prorſus, ac valde præjudicatum Scripturarum Interpretem prodit.

Accedunt ſecundo in ordine Loca illa, quibus multos ex iis perire liquet, pro quibus Chriſtus mortuus dicitur. Rem præ cæteris conficit, quod habet Apoſtolus ipſe *ad Rom.* 14., ubi monens, ut potiſſimùm caveamus, ne ciborum diſcretio Fratribus noſtris offendiculo ſit, ne fortè Exemplo noſtro ſcandalum patiantur, *Noli* inquit, *cibo tuo illum perdere*, *pro quo Chriſtus mortuus eſt*: eadem penè habet 1. *ad Cor.* 8.; ubi hoc idem proſequitur Argumentum: *Et peribit infirmus*, inquit, *in tua ſcientia Frater*, *propter quem Chriſtus mortuus eſt*. Fieri itaque poteſt, ut ille pereat, pro quo Chriſtus eſt mortuus. Non itaque pro ſolis Prædeſtinatis Sanguinem fudit. Neque verò aſſui hoc loco poteſt trita Janſenii Cavillatio, ut Chriſtus pro Infirmo pereunte dicatur mortuus,

tuus, Pretii quidem ſufficientiâ, ſed non animo, & intentione redimendi. Quem enim ſenſum haberet ea D. Pauli animadverſio : *Peribit in tua ſcientia Frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt; non tamen animo redimendi, & æternam Salutem conferendi?* Parum dubio procul hæc objurgatio ſublime D. Pauli Ingenium deceret; abſurdumque plane ſenſum efficeret. Si enim Infirmi illius ſalvandi, ac redimendi animum non habuit Chriſtus, nihil mirari licet, quòd pereat, ſcandalo illi a nobis illato : imò nec Paulo tanta fuiſſet de illo cura, ne ob ſcandalum alienum periret, quem redimere Chriſtus verè noluiſſet.

Verùm ſi quid eo in Capite ſacris in Literis ſubobſcurum videri poſſet, veritatem meridiana in luce poſuit Auguſtinus, cujus advocationem præſertim implorat Janſenius, ut eo uno Magiſtro non ſine jactantia glorietur. Quatuor in Claſſes SS. Doctoris Oracula diſtribui poſſunt. Prima in acie locantur illa, quæ Chriſtum univerſim pro omnibus Hominibus mortuum adſtruunt : ſic in *Enarratione in Pſal.* 95. ea Prophetæ verba perpendens, *Judicabit Orbem Terræ in æquitate*; judiciariæ Chriſti Poteſtatis hanc rationem aſſignat : *Non partem, quia non partem emit. Totum judicare habet, quia pro toto Pretium dedit.* Ubi Chriſti Sanguinem non modò ſufficiens totius Mundi Pretium appellat, ſed Pretium datum, ac perſolutum; ut Redimentis Voluntatem agnoſceremus in Omnes effuſam.

Proſtant ſecundo in ordine Loca illa, queis mortem pro iis toleratam declarat, qui nihiloſecius damnabuntur : *Sic Enarratione in Pſal.* 68. *Serm.* 2. *n.* 11. pro Juda proditore Sanguinem fuſum agnoſcit : *Projecit Pretium argenti*, inquit, *quo ab illo Dominus venditus erat; nec agnovit Pretium, quo ipſe a Domino redemtus erat.* Qui ergo ſolos Prædeſtinatos a Chriſto redemptos effutiunt, Judam, ſi Superis placet, inter Prædeſtinatos collocare neceſſum habent. Hinc *de Symbolo ad Cathecumenos* (olim *Lib.* 2. *cap.* 8.; modò *Serm.* 2. inter dubios *cap.* 8.) quiſquis ſit illius Author, qui unus ex ejus Diſcipulis fuiſſe creditur, Chriſtum in extremo Judicio perfidos Judæos ita alloquentem inducit : *Ecce hominem, quem crucifixiſtis : ecce Deum & hominem, in quem credere noluiſtis : videtis vulnera, quæ inflixiſtis; agnoſcitis latus, quod pupugiſtis; quoniam & per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis.* Idipſum habet *Serm.* 67. [in Append. ad Oper. S. Auguſt. Tom. 5.] quem modò tribuunt Cæſario Arelatenſi; revera autem Janſenii temporibus uti genuinus Auguſtini fœtus habebatur; unde ad Janſenium exagitandum, qui ex S. Doctore Errorem ſuum delibaſſe perperam gloriatur, ſatis abunde ſufficere, perſpicuum eſt. Ibidem porro circa medium ita legimus

in extremo Judicio Reprobos Dominum alloquentem : *Suſcepi dolores tuos, ut gloriam tibi darem : ſuſcepi mortem tuam, ut in æternum viveres. Conditus jacui in ſepulchro, ut tu regnares in Cælo. Cur quòd pro te pertuli, perdidiſti?* Unde verò tot illæ tam ſinceræ, tam dolentes objurgationes Reprobis fieri poſſent; ſi quam pertulit mortem, nullâ, ut illis prodeſſet, intentione toleravit?

Tertio loco ſtant ea Loca, quæ Chriſtum Reproborum etiam Salutem moriendo ſitiiſſe ajunt. Quid hæc ſibi vellent, ſi nulla Chriſti Voluntas erat, nullus animus, ut ſua illis mors propitia foret ad Salutem æternam? Sic in *Enarratione in Pſal.* 68.: *Serm.* 1. *n.* 14. : *De Cruce cùm diceret*, Sitio, *Fidem illorum quærebat, pro quibus dixerat :* Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt: ubi Crucifigentium Salutem ſitiiſſe; hoc eſt, optaſſe, perſpicuum eſt.

Quarto in ordine recenſenda illa veniunt, quibus Chriſtum in Cruce pendulum pro Reprobis oraſſe ſignificat SS. Doctor. Ut quid enim oraſſet, ſi nulla illi Salutis illorum Voluntas inerat? Ludicra quippe fuiſſet Oratio : *Quando Chriſtus*, inquit Auguſtinus *Serm.* 382. *de S. Stephano* (quem etiam inter dubios reponunt Eruditi, ſed Janſenii ætate dubius haud erat, cujus idcirco Authoritatem venerari ille certè debuerat) *quando*, inquit, *Chriſtus in Cruce pendens orabat, videbat, & prævidebat omnes inimicos; Sed multos ex illis futuros amicos prævidebat; & ideo omnibus veniam poſtulabat. Illi ſæviebant, & ille orabat. Illi dicebant Pilato*, Crucifige : *ille clamabat*, Pater, ignoſce. Quid ergo dicendum? An fortè reponet Janſenius, oraſſe Chriſtum, ut hæc illis culpa ignoſceretur, non ut ii Salutem adipiſcerentur? Eſſet id prorſus abſurdum. Quæ enim illi indulgendæ culpæ Voluntas ineſſe poterat, ſi nulla erat elargiendæ Gratiæ ſincera propenſio? Cum nemo prudens Media ſincera velit, niſi Finem ſincero animo proſequatur.

Sed quid ego hæc moror? Non tam Diſputationibus refellendus venit Error ille Janſenianus, quàm ipſis piæ Naturæ ſenſibus confutandus. Vacat enim, & exinanita jacet omnis Religio, Pietas, Affectus in Deum, niſi Chriſtus pro univerſis Hominibus mortuus exiſtimetur, animo quidem, ac Voluntate redimendi. Vacat imprimis Fidei firmitas. Ex Eccleſiæ ſiquidem Inſtitutione unuſquiſque Fidelis tenetur credere, Chriſtum Dominum eſſe Redemtorem ſuum, non ſecus ac Creatorem, & Dominum. Sic enim inter Precum Officia ſupplices profitemur : *Fidelis Deus omnium Conditor, & Redemtor :* hoc in ſacri Symboli Nicæni recitatione proteſtamur : *Qui propter nos Homines, & propter noſtram Salutem deſcendit de Cælis, & incarnatus eſt*. Quot autem, Deus bone, ex Fidelibus reprobati? Niſi ergo Chriſtum etiam Reproborum

rum

rum Redemtorem credamus, nutat Fides; nemoque Privatus ita deprecari, ac ſupplicare certò poterit; cùm nemo certam ſuæ Prædeſtinationis notitiam habere poſſit. Atque hîc maximè notanda venit Janſenii aberratio, qui cùm videat non Omnes Redemtionis fructum accipere, non Omnes a Chriſto redemtos obtendit. Sunt etenim duo hæc longè diſtincta. Liquet id ex Concilii Tridentini Definitione *Seſſ. 6. cap. 3.* : *Etſi ille pro omnibus mortuus eſt; non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; ſed ii duntaxat, quibus meritum Paſſionis ejus communicatur*. Liquet ex Concilii Cariſiaci *Capitulo 4.* : *Chriſtus Jeſus Dominus noſter, ſicut nullus Homo eſt, fuit, vel erit, cujus Natura in illo aſſumta non fuerit, ita nullus eſt, fuit, vel erit homo, pro quo paſſus non fuerit; licet non omnes Paſſionis ejus myſterio redimantur*. Hæc itaque duo cautè ſecernenda veniunt; Redemtio, ut eſt ſolutio Pretii ex ſincera Voluntate, & intentione ſolventis; Redemtio, ut eſt exercita ipſa liberatio Captivi, integra jam libertate gaudentis. Prior omnium Hominum eſt; altera Prædeſtinatorum duntaxat, atque Juſtorum.

Evaneſcit quoque Spes noſtra, niſi Chriſtus pro Omnibus mortuus credatur. Tota quippe, aut certè maxima Spei noſtræ, ac piæ Fiduciæ certitudo nobis ineſt ex effuſo pro nobis Sanguine Chriſti: hoc maximè nititur Fundamento: hoc ſi tollas, Spes integra collabatur neceſſe eſt. Hinc pia illa Auguſtini ſuſpirantis Eloquia *in Pſal. 148. n. 8. Promiſſionis Dei tales arras accepimus: tenemus mortem Chriſti: tenemus Sanguinem Chriſti .... Erigat ergo ſe humana fragilitas, non deſperet, non ſe collidat, non ſe avertat, non dicat, non ero* (beatus). *Qui promiſit, Deus eſt: & venit, ut promitteret; apparuit Hominibus; venit ſuſcipere mortem noſtram, promittere vitam ſuam.* Et *Serm. de temp. barbarico* (qui licet inter dubios recenſeatur in nova Editione, & cuidam ex Auguſtini Diſcipulis tribuatur; olim tamen dubius haud erat, ac proinde a Janſenio contemni nequaquam poterat) eo, inquam, Sermone *cap. 7.* hæc leguntur: *Et nunc veniant omnes quicumque amant Paradiſum .... venite omnes, intrate omnes: eſt qua intrare* (poſſitis); *patet latus. Oſtendit enim ille Latro, quò debeant omnes intrare; neminem ſuo exemplo docuit deſperare*: & poſt pauca concludit *Cap. 8.* : *non enim inaniter clamabat ille pendens in Cruce*: Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. (Tom. *6.* pag. *613.*)

Evaneſcit demum & Charitas, aut certè langueſcit admodum, niſi Chriſtum pro Univerſis mortuum fateamur. Ex eo fonte Fidelium in Deum amorem derivat Apoſtolus 2. *ad Cor. 5.* : *Charitas enim Chriſti*, inquit, *urget nos: æſtimantes hoc, quoniam ſi unus*

ſi unus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt : & pro omnibus mortuus Chriſtus : ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Derivavit & ex illo fonte piiſſimus Auguſtinus; potiſſimumque noſtri in Deum amoris incentivum ex effuſo Chriſti Sanguine repetendum monuit *Lib. de Sancta Virginitate cap.* 54. : *Toto corde amate ſpecioſum forma præ filiis Hominum .... inſpicite pulcbritudinem amatoris veſtri .... inſpicite, quàm pulchrum ſit: internis luminibus inſpicite vulnera pendentis, cicatrices reſurgentis, ſanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis. Hæc quanti valeant, cogitate; hæc in ſtatera charitatis appendite.* Si enim Deum diligimus, ut ei vices maximè rependamus; quia, videlicet ipſe nos diligit; quantò plus diligendus eſt Deus, dum alto rependimus animo, eò uſque, ut inquit Apoſtolus, Mundum dilexiſſe, *ut Filium nobis ſuum unigenitum daret?* Hoc enim devotionem noſtram & blandiùs allicit, & juſtiùs exigit, & arctiùs ſtringit, & afficit vehementiùs.

Quare ſine ulla cunctatione pronunciaverim, e Janſenianis Propoſitionibus ab Eccleſia damnatis nullam eſſe, quæ magis a communi Pietatis ſenſu abhorreat, & majorem in ipſum invidiam concitaverit, quàm hæc quinta a nobis hactenus confutata; qua Chriſtum pro omnibus mortuum diffitetur. Quid ille ad tam horrendum Paradoxum adſtruendum in medium attulerit, in ſequenti Exercitatione, ſi Deus bene verterit, ponderabimus, & pro Officio noſtro exſufflabimus.

PRÆ-

PRÆLECTIO XI.

Janſenii Momenta, quibus quintam damnatam Propoſitionem ſuam tueri nititur, ad examen vocantur, ac refelluntur: tum quid de Janſenii Perſona ſentiendum ſit, declaratur.

JANSENII Momenta, quibus Chriſti Sanguinem pro univerſis Hominibus effuſum diffitetur, in hac Exercitatione confutaturi potiſſima ſubeundi oneris parte levati ſumus. Quæcumque enim adverſus Voluntatem antecedentem Salutis omnium Hominum ſtudioſiſſimè collegit, in antehabitis Tractationibus cumulatiſſimè confutavimus, dum ſpecialem ea de re Exercitationem haberemus. Catholicorum Theologorum Hypotheſim a Semipelagiana toto Cœlo diverſam oſtendimus; & ſi quid de efficacia, vel inefficacia Divinæ Voluntatis objectari Scholæ Thomiſticæ poteſt, diluimus, diſſipavimus. Ea ergo duntaxat ad examen vocamus Janſenii Momenta, quæ ipſam Chriſti Sanguinis effuſionem pro univerſis Hominibus oblatam propiùs attingunt; ne ullas Errori latebras dimittamus, quibus tueri ſe ab Eccleſiæ fulminibus poſſit.

Primum, illudque a Janſenio ad nauſeam uſque jactitatum Scripturarum Oraculum legitur *Matth.* 26.; ubi Chriſtus bibendum Sanguinem Diſcipulis in Cœna tradens inquit: *Hic eſt enim Sanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Si pro Multis, ſubjungit Janſenius, non itaque pro Omnibus eſt effuſus.

Rancidum profectò iſtud eſt Argumentum, & in Pelagianorum Officina fabricatum: ita quippe & illi adverſus Originale peccatum argutabantur: cùm enim ad *Rom.* 5. legerent: *Per inobedientiam unius, peccatores conſtituti ſunt multi*; illico colligebant; non ergo peccatores conſtituti ſunt Omnes; ut Eccleſia Catholica contendebat. Sed quid ad hæc Auguſtinus totius Eccleſiæ Cauſſam agens? Alia ejuſdem Apoſtoli Teſtimonia congerebat, queis omnes Homines in Adam peccaſſe profitetur: atque ita concludebat, Apoſtolum, niſi ſibimet apertè contrarius eſſet, *Omnes* reipſa vocaſſe *Multos*, quia re ipſa omnes Homines multi ſunt: Multos dictos ab illo, non comparatè, ſed abſolutè, ut Omnes eo vocabulo deſignati intelligantur. Quid ni hoc ipſum nos impræſentiarum Janſenii Argutiæ reponamus? Cùm enim tam multa in Scripturis Mo-

Momenta legantur, quibus Chriſtus pro Omnibus mortuus dicitur, quæ nos in anteceſſum cumulatè protulimus, certè, niſi Scripturam ſibi in objecto Loco contrariam effutire velimus, neceſſe profectò eſt, ut *Multos*, pro quibus eo loci effuſum Chriſti Sanguinem dicit, abſolutè, non comparatè ſumſerit; ut idem, ac *Omnes* ſignificet; quia re ipſa illi *Omnes*, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, *Multi* ſunt.

Et verò, ut noverit Janſenius, quantum hoc deludatur Argumento, id obſervare ſat eſt, Judam inter illos ipſos Apoſtolos Menſæ Dominicæ accubuiſſe, unâque cum illis Chriſti Calicem accepiſſe, quibus Chriſtus porrigendo dixit (ut legitur in *Evang. Lucæ cap.* 12.) *Hic eſt Calix novum Teſtamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur*. Pro Juda ergo Sanguinem effundendum Chriſtus dixit Oraculo illo: niſi ergo Judam Prædeſtinatis Janſenius adnumeret, colligere nullo modo poterit ex iis Chriſti Domini verbis, Sanguinem ejus pro ſolis Prædeſtinatis effuſum eſſe.

Quanquam tamen, ſi *Multos* hoc Loco comparatè, non abſolutè dictos Janſenius pertinaciter velit, Diſtinctionem paſſim in Scholis volitantem in ejus faciem illidemus: pro *Multis* effuſum Sanguinem dici efficaciter; tametſi pro *Omnibus* effuſus fuerit ſufficienter. Sic enim in hunc Apoſtoli Locum commentatur Doctor Angelicus. Eoque pervulgato Reſponſo ſolvi longè plurima poſſunt aut Scripturarum, aut Patrum Oracula, quibus dicitur Chriſtus pro Impiis non eſſe mortuus; Infideles, ac Peccatores ſalvare nolle. Hæc enim mortis efficaciam attinent, non ſufficientiam; nihilque ſignificant aliud, quàm Chriſtum, attento peccato, Peccatorumque obſtinatione, illos re ipſa ſalvare nolle, quos ingenita bonitate, nulla facta circumſtantiarum quarumdam ſuppoſitione, ſalvare ſinceriſſimè vult, quemadmodum & ad Dei imaginem conditi ſunt.

Pergit, quo pede cæpit Cornelius Janſenius, alterumque corrodit Scripturæ Locum *Joan.* 17., ubi Chriſtus pro Reprobis orare nolle, diſertè teſtatur: *Non pro Mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi*. Si porro pro Reprobis non oravit, quid clariùs, quàm nolle illum ſalvare Reprobos?

At numquid Chriſtus pro perfidis Judæis, & Crucifixoribus ſuis non oravit in Cruce pendulus? *Pater, ignoſce illis*. Niſi ergo Chriſtum ſibi repugnantem per ſummam impietatem effutiamus, aliquo ſenſu pro Reprobis oraſſe, aliquo ſenſu non oraſſe dicendum erit. Duas itaque Orationes, ut Loca illa in ſpeciem repugnantia conciliaret, diſtinxit Doctor Angelicus: unam, quæ generalis Salutis Voluntatis interpres ſit: alteram, quæ efficacis, & abſolutæ Voluntatis partus aſſeratur. Priori pro Univerſis oravit in Cruce pendulus; Voluntate ſcilicet in Omnes effuſa, pro quibus mortem obibat:

obibat : alterâ pro Prædeſtinatis, & ovibus ſibi traditis; nimirum Oratione illa præclara, quam morti proximus fudit : pro illis ſcilicet ovibus, quas Pater ei dederat, ex quibus nequidem unam amiſit. Ac de iſta venit intelligendum, quod habet Doctor Angelicus 3. *p. quæſt.* 21. *art.* 4. *ad* 2. *Dominus non oravit pro omnibus Crucifixoribus, neque etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum : ſed ſolùm pro his, qui erant prædeſtinati, ut per ipſum Vitam conſequerentur æternam* : Oratione videlicet, quæ efficacis Salutis Voluntatis eſſet interpres.

A Scripturis pergit ad Auguſtinum Janſenius, cujus in Authoritate potiſſimum præſidium ponit. Hujus non pauca Teſtimonia congerit, quæ ad hæc duo facilè revocaveris : Primò; quòd interdum doceat S. Doctor, *Neminem perire ex his, pro quibus Chriſtus mortuus eſt*; quod habet maximè *Epiſt.* 169. *ad Evodium*; & *Serm.* 274. qui eſt *primus in Natali S. Vincentii*. Secundò ; quòd nonnunquam affirmet, *Chriſtum pro ſolis Electis ſemetipſum Pretium obtuliſſe*.

Verùm niſi hæc benignis Interpretamentis emolliamus, contrarium ſibi experiemur Auguſtinum, ut ex aliorum Teſtimoniorum, quæ nos in anteceſſum proferebamus, collatione compertum eſt. Qui etenim Neminem perire ait ex his, pro quibus mortuus eſt Chriſtus; aliis tamen in Locis pro iis toleratam mortem innuit, qui cum Juda proditore damnantur : quique pro ſolis Electis Sanguinis Pretium oblatum innuit, pro Crucifixoribus tamen eumdem illum fuſum alibi probat. Niſi ergo juſto Interpretamento rem componamus, ſecum ipſe pugnabit Auguſtinus. Itaque, quod ait SS. Doctor, Neminem perire ex his, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, ita accipiendum venit, ut Nemo ex iis pereat, pro quibus efficaci Salutis Voluntate mortem oppetiit; juxta illud *Joan.* 10.: *Et non rapiet eas* (oves) *quiſquam de manu mea*. Quod autem addit; pro ſolis Electis Sanguinis Pretium oblatum eſſe, de Pretio intelligendum eſt, quo Captivi re ipſa liberantur, ac redimuntur ex abſoluto, æternoque Prædeſtinationis Decreto. Has porro Interpretationes non ex cerebro natas, ſed ex ipſis Auguſtinianæ Doctrinæ viſceribus petitas eſſe fatebitur quiſquis Loca a nobis ſuperioribus recitationibus laudata paulò intimius obſervarit.

Unum modò huic noſtræ, ſeu veriùs Eccleſiæ Sententiæ refragari videtur, in quo præſertim Calvinus, & Janſenius offendunt. Auguſtini, ejuſque Diſcipulorum Sententia eſt, Deum non omnibus Gratias elargiri, quibus Salutem conſequi poſſint; multiſque ea Auxilia ſubtrahere, quæ vulgari Scholarum verbo ſufficientia vocitantur ; queis ſcilicet non Salus ipſa, ſed Salutis obtinendæ poteſtas conferri dicitur. Iis etenim deſtituti profectò ſunt Pueri ſine Baptiſmo ſubla-

ti; de quibus notum eſt illud Auguſtini *Lib. de dono Perſeverantiæ cap.* 12.; *Plerumque feſtinantibus Parentibus, & paratis miniſtris, ut Baptiſmus Parvulo detur, Deo tamen nolente non datur*. Iiſdem deſtituti dicuntur Infideles, quos negativos Schola vocitat; qui nempe nihil unquam de Evangelio audivere; in Silvis enutriti, ac media, ut ita dicam, Animæ parte utentes. Iiſdem privati cenſentur Peccatores indurati, & obcæcati; quorum induratio, & obcæcatio conſummata eſt. Itaque concludit Janſenius: ſi tot illos Gratiis ſuis deſtituit Deus; quo pacto Salutem illorum velle dicitur? Qua ratione pro iis Sanguinem effudiſſe Chriſtus aſſeritur? Id enim tam contra Rationem videtur eſſe, ac ſi quis fingeret, velle Medicum, ac ſincera quidem Voluntate, illius Ægroti ſanitatem, cui pharmacum ſuum largiri nollet: cùm tam, imò magis pugnet, ſine Gratia ſalvari Hominem, quàm ſine pharmaco ſanitatem Ægroto reſtitui.

Nos hæc omnia conciliamus, modò Mentem erigere, nec Naturæ Humanæ Senſibus ſecretiora æternæ Prædeſtinationis Arcana metiri velimus. Auxiliorum Divinorum præparationem ab actuali eorumdem collatione ſecernimus: utque Deus Salutem Omnium velle dici poſſit, id ſufficere pronunciamus, ut omnibus Auxilia paraverit, Sacramenta (Gratiarum pixides) pro univerſis Hominibus inſtituerit, Evangelium prædicandum Omnibus juſſerit: hæc enim ex generali illa Salutis omnium Voluntate proficiſci, perſpicuum eſt; quanquam tamen nec Omnibus Auxilia re ipſa conferantur, nec Sacramenta Omnibus miniſtrentur, nec Evangelium Omnibus prædicetur. Conſonat id Concilii Tridentini Decreto *De Juſtificatione ſeſſ. 6. cap.* 3.: *Etſi ille* (Chriſtus) *pro Omnibus mortuus eſt; non Omnes tamen mortis ejus Beneficium recipiunt*. Quærendum duntaxat eſt, cur qui Auxilia Omnibus ſincero animo præparavit, non tamen Omnibus conferat: Vix enim intelligi poteſt, Medicum ex ſincera ægroti ſanandi Voluntate pharmacum præparaſſe, quod tamen eidem illi conferre nollet. Sed & hæc quoque diluimus. Idcirco enim Auxilia Omnibus præparata non Omnibus conferuntur, quia, ne re ipſa conferantur, novæ ſecreti Conſilii rationes intercedunt, novæ circunſtantiæ, quas Deus conſequenti Voluntate perpendit. Quænam illæ ſint, inquires fortè? Tibi reponet Auguſtinus *Lib.* 11. *de Geneſ. ad lit. cap.* 10.; ubi ſibi objicit: *Sed poſſet, inquiunt, etiam ipſorum Voluntatem in bonum convertere, quoniam Omnipotens eſt.* Audite reſponſum: *Poſſet plane. Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluerit, penes ipſum eſt. Et Serm.* 165. *de Verbis Apoſt. cap.* 5. *Quare autem illum, & non illum: multum eſt ad me, abyſſus eſt, profundum Crucis eſt; admiratione exclamare poſſum, diſputatione demonſtrare non poſſum.*

Nempe

Nempe quæ ſecreti ſui Conſilii ſunt, Homuncionibus ſcire non licet. Si tamen generales rationes ſcire quis importuniùs velit, has illi aſſignabunt Theologi cum Angelico Præceptore. Idcirco enim, quas Omnibus præparavit, Gratias non Omnibus elargitur : primò ; quia Nullis eas debet ; ſi enim deberentur, jam Gratiæ non eſſent, ſed effectus Juſtitiæ : ſecundò ; quia Divinæ Juſtitiæ diſtributivæ dandus eſt locus ; quandoquidem ſi Omnibus conferrentur, prudentis Diſtributionis œconomia minimè ſervaretur : tertiò ; ut Juſtitiæ vindicativæ ratio habeatur ; ſi enim puniretur Nullus, nullum etiam foret Divini illius Attributi exercitium : quartò ; quia ſi Gratia Nemini denegaretur, minori apud Homines pretio eſſet : quintò ; quia Supremi Proviſoris eſt ſinere, ut Aliqui a fine deflectant : ultimò ; quia hac ratione major Dei in Electos Benevolentia demonſtratur ; quam etiam inſinuat Apoſtolus *ad Rom. cap. 9. : Ut oſtenderet Divitias gloriæ ſuæ in vaſa Miſericordiæ, quæ præparavit in Gloriam*. Legendus eſt D. Thomas *Quæſt.* 23. *primæ Partis Summæ ſuæ art.* 3. 4. & 5.

Nec nos multùm urget Medici Exemplum ſuperiùs allatum. Idcirco enim Ægrotantis ſalutem is minùs ſincerè velle diceretur, ſi paratum pharmacum minimè largiretur, quia illo ſemel parato, nulla prudens intercedere ratio poteſt, cur illud reapſe non conferat. At ſi fortè nova aliqua ratio occurreret, ut ſi E. G., poſtquam pharmacum præparavit, ex Judicis Sententia certæ ſubeundæ mortis damnaretur Ægrotus, tunc utrumque ſtare utique poſſet ; ſincera videlicet ſanandi Ægroti Voluntas, & præparati pharmaci denegatio.

Erunt, qui reponere nitantur, altiora iſta eſſe, ac vix humanæ Mentis captui accommodari poſſe ; omniaque faciliùs, expeditiùs, ac plauſibiliùs in Moliniano Syſtemate explicari ; quo nimirum dicitur Deus ex generali illa ſalvandi omnes Homines Voluntate ſufficientiſſimas Omnibus & Singulis Gratias larga manu elargiri, ut, iis ſemel acceptis, in cujuslibet arbitrio Salus, vel Damnatio cujuſcunque repoſita maneat.

Hæc nos omnia lubentiſſimè confitemur. Faciliora ea eſſe, & humano captui accommodatiora, non abnuimus. Verùm ob idipſum contendimus, Syſtema illud Molinæ a D. Paulo, & ab Auguſtino tota regione aberrare. Cùm enim duo illa Divinæ Gratiæ Oracula, altiſſimaque Ingenia, quorum prior quidquid ſcripſit, a Spiritu Sancto accepit ; alter, Hæreſibus irruentibus, in his de Gratia Controverſiis dirimendis ſummo ſtudio, ac data opera totum pene Vitæ tempus inſumpſit ; uterque omnem humanam laudem prætergreſſus ; altiſſima, inquam, duo illa Ingenia, quæ prorſus nihil, quod Menti humanæ ſit pervium, latuiſſe putare juvat, toties pro-

nunciarint, hujuſmodi Quæſtionum ſolutionem humani Intellectus captum omnino excedere, profundamque hanc eſſe Sapientiæ & Scientiæ Dei altitudinem; conſequens profectò eſt, non eam nobis dirimendæ Controverſiæ viam arripiendam eſſe, quam Molina audaciùs pertentavit; quem certè iis doctiorem, ac oculatiorem Myſteriorum Revelatorem extitiſſe, nemo dixerit unquam, aut ſomniarit; ut nimirum Ingenii ſui acumine ea pervidiſſet, quæ Divinos illos Homines abſque dubitatione latuerunt. Quare malumus nos cum Apoſtolo, & Auguſtino impervia Myſteria tacitè venerari, quàm cum Molina ejuſque Aſſeclis prophanas novitates temerè conſectari.

Hæc ſunt, Viri Theologi, quæ adverſus Janſenium, quoad ejus quinque a S. SEDE proſcriptas Propoſitiones, proferre placuit: ut quiſque intelligat, quàm juſtè, quàm meritò, quàm neceſſariò S. ROMANA SEDES, Eccleſiarum omnium Magiſtra, falli & fallere neſcia, nedum Jure, verùm & Facto inſpecto, eaſdem cenſurâ latâ perſtrinxerit, atque confoderit; ſeu nedum, quòd eæ ſecundùm ſeſe, abſolutè, & ut verba ſonant, erroneæ ſint, & a Catholico Eccleſiæ ſenſu penitus alienæ; ſed ulteriùs, quòd in ſenſu prorſus hæretico a Janſenio ipſo, quem abſolvere ejus Partiarii nituntur, aſſertæ fuerint, atque conceptæ.

Num autem Yprenſis Epiſcopus verè, propriè, & ſtricto ſenſu hæreticus dicendus veniat, non ita ego de facili affirmaverim, uti nonnulli minùs fortè cauti Theologi ore rotundo pronunciare non ambigunt. Aliud etenim eſt, Janſenium Propoſitiones ſuas, quæ, ut hæreticæ, ab Eccleſia proſcriptæ ſunt; in ſenſu prorſus hæretico docuiſſe, aut etiam propugnaſſe, quod hucuſque luculenter probavimus; aliud, ob id unum verè, & ſtricto jure eumdem hæreticum extitiſſe. Primum ex ſola ignorantia, vel inconſiderantia proficiſci potuit, qua præjudiciis ſuis occupatus ea non æquè perpenderit, quæ ſacrorum Conciliorum, Summorumque Pontificum in anteceſſum Definitionibus, vel Scripturæ, & Traditionis authoritate ſancita ſunt, vel revelata: Hic porro duntaxat dicitur Error in Fide: Alterum verò, præter Errorem, pertinaciam, ac pervicaciam involvere neceſſe eſt; qua videlicet Homo errans Errorem ſuum detectum jam, proſcriptumque vel ejurare detrectat, vel mordicùs propugnare adhuc contendit. Clariùs dicam: ut quis meritò, & ad Juris apicem hæreticus ſit nuncupandus, non ſatis profectò eſt, ſi Errores in Fide aliquos quomodocumque amplexus aliquando fuerit, foverit, vel etiam docuerit, Scriptove tradiderit; ſed ulterius requiritur, ut poſt latum expreſsè, & data opera de iis Eccleſiæ Judi-

Judicium, pronunciatamque ex Juris formulis damnationem, eoſdem ipſos per ſummam audaciam pertinaciter propugnarit, vel ſaltem illis animo conſtanter adhæſerit, Eccleſiaſticis Definitionibus temerè obſiſtens, atque reluctans. Hoc porro de Yprenſi Antiſtite affirmare, ſalva veritate, neminem poſſe arbitror. Is quippe [ut in hujuſce Diſputationis limine præmonuimus] præmatura morte ſubreptus, quo nondum tempore ſuæ illæ de Gratia Chriſti Lucubrationes typis vulgatæ fuerant, Eccleſiæ Judicio refractarius eſſe non potuit, cum nec illud audierit. Contigit enimverò quinque illarum Propoſitionum damnatio pluribus ab ejus obitu annis; poſtquam ſcilicet illius ſcripta per Capellanum ſuum, ut ipſemet Teſtamento legaverat, publici Juris facta fuere; imò poſtquam editus Liber, & in Gallias delatus, Maſarino Cardinali curante, examen ſubiit, excerptæque ex illo Propoſitiones Summi Pontificis Judicio fuere ſubmiſſæ.

Neque verò Pontificiæ Damnationi reluctantem Janſenium exiturum aliquando, ſi diutius vixiſſet, vel ſi ea, dum viveret, contigiſſet, æſtimare par eſt: quin illum religiosè pariturum, & quæ ſcripſerat ejuraturum, ex iis, quæ in Teſtamento viſuntur, prudens quiſque judicare poteſt, ac etiam debet. Clauſulam etenim, ut ab initio ajebam, Teſtamento ipſi inſeruit, qua totum codicem ſuum S. ROMANÆ SEDIS judicio ſubmittebat, id omne ſe expuncturum, correcturumve proteſtatus, quod Illi expungere, vel emendare libuiſſet: quæ quidem loquendi formulæ tam procul eſſe ab omni obſtinationis, & pertinaciæ ſuſpicione videntur, ut potius Filii ECCLESIÆ Matri obſequentiſſimi ſpeciem præſeferant. Quapropter improbanda plane, ac etiam acriter reprehendenda venit impudens quorumdam dicacitas, qui ut ſeſe ſupra cæteros Eccleſiaſticis Definitionibus morem gerere ambitioſiùs oſtentent, frequentiùs nihil ubique locorum in ore habent, quàm invidioſam illam, & ultra, quàm par ſit, Yprenſi Epiſcopo contumelioſam cum Luthero, Calvino, cæteriſque hujus furfuris Tenebrionibus comparationem, ob id unum, quòd Propoſitiones aliquas ille ſcripſerit, & aſſeruerit, quas ROMANI PONTIFICES cenſurâ confixerint, atque Hæreſeos notarint. Si id, inquio ego, ſat eſſet, ut quiſpiam tanquam hæreticus jure meritò traduci poſſet, Pars fortè Catholicorum Scriptorum non modica hujuſmodi probri inſimulanda foret; quorum profectò non paucos recenſere fas eſſet, [ſi illorum Opera diligentiùs ſcrutari quis vellet] clari utique nominis, & fama percelebres; qui Propoſitiones, Syſtemata, Dogmata Scriptis, typiſque conſignarunt, quibus decurſu temporis, re ad examen vocata, Cenſuræ probroſis identidem titulis infartæ ab SEDE APOSTOLICA ſunt inuſtæ. Homines namque

que ſumus, etſi Theologi ; Erroribus nimirum quandoque obnoxii, vitiatæ Naturæ ignorantiâ miſerè laborantes, præjudiciiſque fatalibus non ſemel præventi, ac ſæpe penitus occupati : quo fit, ut pedem ſemper tutò figere minimè valeamus ; ibique nonnunquam labamur, ubi firmiores ſtare nos putabamus. Uni Chriſti Eccleſiæ, dilectiſſimæ Sponſæ, ejuſque viſibili Capiti ROMANO PONTIFICI a providiſſimo SPONSO in Fidei Dogmatibus ſtabiliendis, explicandis, ac proponendis INFALLIBILITATIS Privilegium promiſſum eſt, atque collatum, ut loco ſuo, opitulante Deo, demonſtrabimus : cæteros cæcutire quoſcumque neceſſum eſt, quantolibet polleant Ingenii acumine, quantacumque Doctrinæ, ac Eruditionis præſtantia antecellant : ut hinc Apoſtoli Monitum cujuſvis animo infixum æternùm hærere debeat : *Non plus ſapere, quàm oportet ſapere : ſed ſapere ad ſobrietatem : ad Rom. cap. 12.*

Digitized by Google

INDEX

Materiarum, & Rerum notabilium.

A

ABEL quo Mundi anno occiſus a Caino. p. 172
ADAMI Filii Sorores ſuas uxores ducendo contra Naturæ Legem non peccabant; imò tunc temporis id Natura ipſa poſtulabat. 176
ADAMUM in Gratia ſanctificante fuiſſe creatum, nec tamen hoc Fidei Dogma eſſe. 258. & ſeqq.
ADAMUM per peccatum fuiſſe ſpoliatum gratuitis, & vulneratum in naturalibus ex S. Scriptura & Conciliorum Definitionibus. 394. & ſeqq.
Idem ex Summorum Pontificum Decretis. 402. & ſeqq.
ADAM conſtitutus fuit Caput nedum Phyſicum, ſed etiam morale totius humani Generis. 313. & ſeqq.
ADAMO peccante cur Poſteri omnes peccatores naſcantur; & ipſo pœnitente iidem pœnitentes minimè naſcantur. 314
ADAMI Sopor fuit Exſtaſis, ſeu Mentis exceſſus, juxta Septuaginta Interpretes. 181
ADRIANUS Imperator Templa Chriſto paraverat. 42
ÆGYPTIACI Regni initium petitur a *Menos* ſeu *Meſraim* Chami Filio, & Noachi Nepote. 170
ALEXANDER SEVERUS Templa Chriſto conſtruere cogitavit. 42
ANNI Patriarcharum in Sacris Literis adnotati non menſtrui, ſeu Lunares, ſed Solares non ſecus ac noſtri. 163
ANNI initium repetebant Hebræi ante Moyſis tempora a menſe Tirſi, qui Septembri noſtro reſpondet. 151. 152
Imò etiam poſt Moyſen quoad res Civiles, ac naturales. ibid.
ANIMA quomodo, cùm pura a Deo creetur, in corpore inficiatur. ibid.
ANIMÆ an a Deo recèns creatæ Corporibus infundantur, vel potius ex Adamo per generationem traducantur, nunquam ſatis perſpectum fuit D. Auguſtino. 315
Imò in poſteriorem Sententiam propendiſſe videtur. ibid.
Controverſia hæc & Scripturis, & Traditione dirimi nequit. ibid.
Super hoc a D. Hieronymo doceri petit Auguſtinus. ibid.
ANIMALIUM diſtinctio in munda & immunda a Lege a Deo Moyſi data duntaxat cœpit. 177
ANTIPODÆ TERRÆ an ante univerſale Diluvium Continenti noſtro junctæ fuerint, nec ne, prorſus incertum. ibid.
ANTIPODAS negavit Auguſtinus. 161
Imò & Zacharias Rom. Pontifex. 162
APOLLINIS Delphici de Chriſto Oraculum rejicitur. 41
APOTHEOSIS Chriſti a Tiberio Cæſare tentatæ veritas ex S. Juſtino Martyre, & Tertulliano. 42
ARIANORUM impietas, & confutatio, vide Chriſti Divinitas.
ARBORES Scientiæ & Vitæ in Paradiſo Terreſtri. 207
DE ARBORE SCIENTIÆ ſtulta Moyſis Barcephæ opinatio. ibid.
Quænam arboris ſpecies fuerit, incertum. 208
Ficum non fuiſſe, neque Pomum. 207. 208
Naturalem illi Scientiæ conferendæ vim non fuiſſe. ibid. & ſeq.
Scientiæ arborem ironicè fuiſſe dictam, Sententia fuit Ruperti Abbatis. 209

AR-

Digitized by Google

ARBOR Vitæ num naturali polleret virtute Homines conſervandi, vel potius ei ſupernaturaliter ſuperaddita fuerit. 211
Utrum Arbor iſta unica in Paradiſo fuerit, vel multiplex. 212
Propaganda fortaſſis foret creſcente Hominum multitudine, ſi Status Innocentiæ perduraſſet. ibid.
ARNOBII, & Lactantii Opera cautè legenda. 328
AUGUSTINI Sententia de ſenſibilibus Infantium non baptizatorum in altera Vita pœnis a Calumniis, atque Cenſuris vindicatur. 338. & ſeqq.
Vide peccatum originale - Pueri - Parvuli.
AUXILII duplicis diſtinctio ex Auguſtino. 288. & 291
Vide Gratia, - Catharinus - Sfrondatus.

B

BABYLONICI Imperii Nembrothus fundamenta jecit. 170
BAJI Michaelis Propoſitionum proſcriptio varias interpretationes ſortita fuit, & quare. 250
BASILII Magni Editiones permultæ a Græcis corruptæ & interpolatæ, ubi de Spiritus Sancti a Filio Proceſſione verba facit. 82
BRUTA interdum Dæmonis arte loquuta. 190. & ſeq.

C

CAINUS perpetrato fratricidio facinoroſus homo effectus, quo tempore Civitatem Henoc ædificaverit. 160. & 173
Quo Mundi anno Abelem fratrem interfecerit. 172
CAJETANI Commentum de Hevæ creatione confutatur. 183. & ſeq.
Ejuſdem Momenta refutantur. 184. & ſeqq.
De tentatione Hevæ & de Serpente Tentatore perperam ſenſit. 187
Ejuſdem circa hoc Argumenta refelluntur. 188. & ſeqq.
CALVINUS propoſitum ſibi a Georgio Blandrata adverſus Trinitatem Sophiſma enodare nequivit. 25
CATHARINUS Ambroſius a Thomiſtica Schola rejectus ob novandi libidinem, & coram Paulo V. Sum. Pont. accuſatus. 347
Ejuſdem in Parvulorum non baptizatorum Cauſſa Sententia catholicè defendi nequit, Cardin. Bellarmini judicio. 348
CHALDÆI, Ægyptii, & Sinenſes longè plures Imperiorum ſuorum numerant annos, quàm nos ab Orbe condito numeremus. 162. 163
CHRISTI, ſeu æterni Verbi Divinitas, & cum æterno Patre conſubſtantialitas adverſus Arianos ex Scripturis, & Patribus comprobatur. 31. ad 36
Idem Teſtimoniis Gentilium, & Judæorum. 37. ad 43
Idem Teſtimoniis Patrum Concilio Nicæno ſuperiorum. 51. ad 57
CIBUS qualis ante Diluvium fuerit, ex Sacris Literis certò definiri non poteſt. 214. & ſeqq.
QUO CIBO durante Diluvio Animalia carnivora in Arca Noe veſcerentur, incertum. 218
Concilii Epheſini Interdictum, ne aliquid veteri Symbolo adderetur, privatas duntaxat Perſonas reſpexiſſe, non Concilia OEcumenica, non Summos Eccleſiæ Hierarcas. 96. 98
CONCILII TRIDENTINI Definitio Seſſ. 6. cap. 1. Lutheranos & Calviniſtas una ſimul cum Semipelagianis damnat, dum liberum Hominis arbitrium per peccatum primi Parentis extinctum quidem non fuiſſe, ſed tamen attenuatum, & inclinatum definit. 399
CONCUPISCENTIA Rationi perduellis in Statu Innocentiæ nulla fuiſſet. 242. & ſeqq.
Objecta adverſus hanc Aſſertionem diluuntur. 249. & ſeqq.
CONCUPISCENTIA, etſi eſſet puræ Natu-

Naturæ defectus,effrænis tamen, qualem experimur in nobis, pœna eſt Originalis peccati. 362
Perdifficilis D. Thomæ Locus explicatur. 254. & ſeqq.
CONCUPISCENTIÆ rebellio contra Rationem, ſi naturalis eſſet, nunquam corruptæ Naturæ vulnus nuncupari poſſet. 245. & ſeqq.
Ad malum inclinat, quocunque in Statu Naturæ ponatur. 246
Ipſa Concupiſcentiæ pugna contra Rationem, tametſi non vincat, magnum eſt malum Naturæ. 244
CORNELII Janſenii duo, Yprenſis alter, alter Gandavenſis Epiſc. 417
CORNELIUS Janſenius Yprenſis Epiſcopus Capellano ſuo in Teſtamento commiſit, ut Scriptum ſuum, cui Titulus *Auguſtinus Janſenii*, poſt mortem ſuam typis vulgaret. ibid.
Scriptum idem Romanæ Eccleſiæ judicio in Teſtamento ſubdidit, id omne expungendum, corrigendumque profeſſus, quod Illa expungere, atque corrigere voluiſſet. ibid.
Vulgatum Librum, & in Gallias delatum Cardin. Maſarinus examinandum tradidit Haberto Vabrenſi Epiſcopo. ibid.
Quinque ex illo excerptæ Propoſitiones cenſura dignæ Romam a S. Sede judicandæ mittuntur. ibid.
Damnatæ ſunt ab Innocentio X. an. 1653. 418
Effugia Partiariorum Janſenii; repetita Alexandri VII. damnatio; Janſenianorum obmurmurationes; edita Fidei Formula pro Suſpectis; Subſcriptio poſtulata, & a quibuſdam negata; turbæ in Galliis excitatæ ſubſcriptionis illius occaſione; varii circa hoc Epiſcoporum Gallorum opinandi modi; Reluctantium Momenta; ac tandem compoſita omnia, & reddita pax,acta omnia Clemente IX. approbante. ibid. & ſeqq.
Ardelionum quorumdam malus animus partam pacem quantocitius interturbavit, quam tamen Innocentius XII. Brevi ad Belgii Epiſcopos dato an. 1694. feliciter reſtituit. 419
Inhibitio eodem in Brevi facta, ne quis Janſeniſtæ nomine quempiam infamare præſumat, niſi conſtiterit legitimè ſuſpectum eſſe, & ex proſcriptis Propoſitionibus aliquam tenuiſſe vel docuiſſe. 420
Quid ſentiendum de Janſenii Partiariis, qui damnatas ejus Propoſitiones in ſenſu obvio hæreticas eſſe profitentur, Janſenium tamen ab hæretico illo ſenſu procul fuiſſe contendunt. ibid. & ſeqq.
Quid de ipſamet Janſenii Perſona ſentiendum?num, verè & ſtricto ſenſu hæreticus dicendus ſit. 484. & ſeqq.
Vide Janſenius.
COQUÆUS vide Leonardus.
CORVINI Panoniæ Regis elegans Epitaphium. 47
CORVUS, Pſittacus, & Pica ſalutantes Cæſarem. 190
CORVUS alter, qui nedum Cæſarem ſalutavit, ſed & illi appoſitè reſpondit. ibid.
CREATIONEM Mundi non per naturales, ſed figuratos ſex dies fuiſſe peractam, D. Auguſtini Sententia fuit; quæ utique probatur,& a cenſuris, atque calumniis vindicatur. 135. ad 149
Sententiam iſtam ut probabilem tantùm, non ut certam, & infallibilem voluit Auguſtinus. 137
Etiam ante Auguſtinum fuit a pluribus propugnata. 138
Scopuli quatuor in adverſa Sententia adnotantur. ibid.
Momenta adverſus iſtam Auguſtini Sententiam expenduntur, ac refutantur. 142. ad 149
CREATIONEM Mundi Vere primo contigiſſe, communior Sententia ſtatuit. 153
Oppoſita nihilominus, quæ illam menſe Septembri fuiſſe peractam propugnat, defenditur. 151. & ſeqq.

D

DILECTIONIS duplicis diſtinctio, naturalis, & ſupernaturalis

ralis quomodo intelligenda quoad diverſos Humanæ Naturæ Status. 235
DILECTIO Dei naturalis ex Tridentini Concilii loquendi formulis ſatis eruitur. ibid.

E

ENCRATITARUM, ſeu Tatianorum Error circa Animas. 319

F

FIDEI Dogma ut aliquid eſſe dicatur ex Conciliorum, vel Summorum Pontificum Definitionibus, quid requiratur. 261
FIDELES cur ad Orientem verſi primis Eccleſiæ temporibus orare conſueverant. 203
FIDI Africani Epiſcopi Opinio de baptizandis Infantibus octavo die, ut in Circumciſione fieri ſolebat, a Patribus in Concilio a S. Cypriano congregatis reprobatur, & cur. 303. & 305
FILII Divinitas, & Conſubſtantialitas, vide Chriſti &c.
FLAVII Joſephi nobile de Chriſto Teſtimonium admittitur, ac vindicatur, 44. ad 50

G

GENERATIO Verbi Divini per quam cognitionem fiat, 109 ad 115
GENTILI vide Valentinus.
GENTILIUM, & Judæorum diſtinctio tunc primùm cœpit, cùm Deus vocavit Abraham ex Ure Chaldæorum Urbe. 171
GENTILIUM Imperia omnia poſt Noachum cœpiſſe. 178
GONETUM Theologum Thomiſtam celeberrimum retractaſſe tandem, cognita veritate, ſententiam, qua primò cum Molinianis propugnaverat, nihil in Naturalibus Hominem per primi Parentis peccatum deperdidiſſe. 406. & ſeq.
GRÆCORUM de Spiritus S. Proceſſione Erroris initium, & progreſſus. 69. ad 75
Eorumdem Argumenta adverſus Spiritus S. a Filio Proceſſionem refelluntur. 87. ad 98
GRATIA CHRISTI non reſtituit regeneratis per Baptiſmum ea omnia bona, quibus in Innocentiæ Statu primus Homo fruebatur, & cur. 223
GRATIA, in qua Adam creatus fuit, erat illi prorſus indebita. 225. & ſeqq.
Propoſitiones binæ in hac materia a S. Pio V. proſcriptæ. ibid.
Momenta Baji & Janſenii adverſus hanc Aſſertionem refelluntur. 230. & ſeqq.
GRATIÆ efficacis neceſſitas etiam in Statu Innocentiæ ex D. Auguſtino. 265. & ſeqq.
Ejus neceſſitatem ex tribus Principiis Thomiſtæ inferunt. ibid. & ſeq.
Ejus neceſſitas in Statu Innocentiæ luculentiùs evincitur. 272. & ſeq.
Idem rationibus Theologicis demonſtratur, nimirum ex Orationis neceſſitate. 279. & 280
Ex gratiarum actione. 281
Ex Virtute Humilitatis. 282
Ex crimine impietatis. ibid. & ſeqq.
Ex efficacia Divinorum Decretorum. 283
Janſenii aliorumque Effugia circa Gratiæ efficacis Neceſſitatem in Statu Innocentiæ præcluduntur. 273. & ſeq.
GRATIA efficax Angelis malis, & Adamo negata. 297
GRATIAS ſufficientes effectu ſuo vacuari negant Theologi bene multi, & quomodo id explicent. 440
Hæc tamen Hypotheſis Janſenio non favet, & cur. 441

H

HENOCH, & Elias ubi vitam ducant, incertum. 201
HEVA ex Adami coſta formata. 180
DEI conſilium in formanda Muliere. ibid. & ſeq.
Cur de Viri latere formata. 181
Cur una Mulier de uno Viro. 182

Fabulæ circa Mulieris formationem rejiciuntur. ibid. & ſeqq.
Ejus formationis narratio non allegoricè, ſed hiſtoricè intelligenda. ibid. & ſeqq.
Vide Cajetani Commentum.
HEVÆ tentatio juxta literalem Scripturæ ſenſum intelligenda. 187. & ſeqq.
Vide Serpens tentator.
Cur ad Serpentis locutionem non exhorruerit, vel obſtupuerit. 191
HOMINEM per Protoparentis peccatum nedum Gratuitis fuiſſe ſpoliatum, verùm etiam in Naturalibus læſum, ex Scriptura Sacra, & Conciliorum Definitionibus. 394 & ſeqq.
Abſurda ex oppoſita Sententia deducta. 395
Quæ abſurda una cum ſuo Principio proſcripta fuere tanquam Pelagiana a Romanis Pontificibus Clemente VIII & Paulo V.; quanquam Pontificium Diploma meditatum jam, ac etiam inſtructum, ex forma Juris nondum ſit promulgatum. ibid.
Quid D. Auguſtinus, & Angelicus Doctor ſenſerint de vulneribus per peccatum Originale Humanæ Naturæ inflictis. 402. & ſeqq.
Quid Proſper, Fulgentius, & Hilarius. ibid.
HISTORIÆ Janſenianæ Synopſis. 416. & ſeqq.

I

JANSENIUS ſibi plane repugnans in ſuo de Divinæ Gratiæ Syſtemate. 232
In Statu Naturæ lapſæ Manichæorum vultum gerit; in Statu Innocentiæ Pelagianiſmum reintegrare videtur. ibid.
JANSENII prolixum admodum Argumentum ex D. Auguſtino petitum, quo immunitatem a morte Naturæ Humanæ debitam probare contendit, diluitur. 238. & ſeqq.
In Statu Naturæ lapſæ, ſepoſitis Erroribus, Thomiſta eſt; in Statu Innocentiæ Molinianus. 265
Quatuor Auguſtinianæ Doctrinæ Principia, quibus Janſenius Gratiam verſatilem a Statu Naturæ lapſæ eliminavit, eadem & pro Statu Innocentiæ ſtare debent. ibid.
Vide Gratiæ efficacis neceſſitas in Statu Innocentiæ.
JANSENII Elogium de D. Thoma. 284
Ejuſdem contradictio de D. Thomæ Doctrina. ibid.
Ejuſdem Argumentum præcipuum ex D. Auguſtini Doctrina excerptum, quo Syſtema ſuum de Gratia primi Hominis probare nititur. 285. & ſeqq.
Reſponſum ad idem Argumentum. 291 & ſeqq.
JANSENII Partiarios, qui damnatum in quinque Propoſitionibus Dogma catholicè ejurant, Factum tamen negant, hæreticos non eſſe dicendos, & cur. 420. & ſeq.
Falli tamen eos, graviſque pertinaciæ reos eſſe, & quare. 421
JANSENIUM Propoſitionem primam ex quinque proſcriptis in hæretico ſenſu propugnaſſe. 423. & ſeqq.
Imò quid durius ſubdidiſſe. ibid.
Id ex intimis Doctrinæ ſuæ Principiis deducitur. 424. & ſeqq.
Reſponſa ad Objecta. 425. & ſeqq.
Quæ Janſenius admittere debuiſſet, ut ſufficientem Gratiam in Thomiſtico ſenſu explicaret. 426 & 428
Eadem prima Janſenii Propoſitio fuerat in anteceſſum a S. Conciliis prædamnata, & a D. Auguſtino reprobata. 429. & ſeqq.
Imò Auguſtinus Principium ipſum deſtruit, quo uſus Janſenius fuit ad eum Errorem procudendum. 431. & ſeq.
Imò & Janſenii ratiocinationem evertit. 432. & ſeq.
JANSENII Objecta ex D. Auguſtino, & D. Chryſoſtomo, ut evincat, Deum prius Hominem deſerere, quam Homo Deum deſerat, expenduntur, ac confutantur. 433. & ſeq.

Communem eſſe Patrum Sententiam, Deum juſtificatum Hominem non deſerere, niſi prius ab Homine deſeratur, ex D. Thoma. 434
Argumentum in hac materia captu difficile. ibid.
Variæ Scholaſticorum Solutiones, ſed una omnibus tutior. 435
DE SECUNDA Janſenii proſcripta Propoſitione. 436. & ſeqq.
In quo hujuſce Propoſitionis virus hæreat. ibid.
Propoſitionis hujus hæreticum Senſum Janſenium propugnaſſe. 437
Ejuſdem Propoſitionis Error oſtenditur ex Sacra Scriptura. 438
Idem ex Auguſtino. 439.
Idem ex Angelico Doctore. 440
Scrupulus in hac materia eximendus, ne ex eo præſidium Janſenius petat. ibid. & ſeqq.
In quo Janſenius differat a Theologis illis, qui ſufficientes Gratias ſuis effectibus vacuari negant. 441
DE TERTIA proſcripta Janſenii Propoſitione. 442. & ſeqq.
JANSENIUM propugnaſſe, ſolam Libertatem ſpontaneitatis, ſeu immunitatem a coactione ad meritum ſufficere, non verò requiri Libertatem a neceſſitate. 443
Quorſum novum iſtud Paradoxum Janſenius cuderit. ibid. & ſeqq.
Ejuſdem explicatio, cur Beati non mereantur, quamvis Libertate a neceſſitate non gaudeant, ſed ſolùm a coactione. 444
Diſtinctio Janſenii inter Naturam Libertatis, & Statum. ibid.
Diſtinctio iſta ab Errore eum minimè defendit. 445
Cautè ſecernere opus eſſe, quid nobis inſit, & quid ad meritum requiratur. ibid.
Non quaſi negaſſet Janſenius Indifferentiam ſeu Libertatem Contradictionis ſeu a neceſſitate, ſed quòd eandem ad meritum neceſſariam non eſſe effutierit, cenſuram meruit. ibid.
Indifferentiam omnem Voluntati in Statu Naturæ lapſæ veluti nævum adhærere commentus eſt. ibid.
Quam meritò Romana Sedes hunc Errorem cenſura perſtrinxerit, ex D. Auguſtino, & ex Doctore Angelico demonſtratur. ibid. & ſeqq.
Errorem iſtum fuiſſe a D. Thoma hæreſeos notatum; imò & ipſi Philoſophiæ adverſari. 446
DE QUARTA Janſenii proſcripta Propoſitione. 448
Nullum de Janſenii mente circa hanc Propoſitionem dubium oriri poſſe. ibid.
Cur juſtè ea Propoſitio proſcripta fuerit. ibid. & ſeqq.
Quid ſenſerint Semipelagiani de prævenientis Gratiæ neceſſitate; ubi ſatis fit Molinianis, qui ex quartæ hujus Propoſitionis damnatione effugia petunt, ſeque a Semipelagianis longè abeſſe contendunt. 449. & ſeqq.
Semipelagianos admiſiſſe interiorem prævenientem Gratiam in ſenſu Moliniano, ex Patribus, qui eos data opera impugnarunt, probatur. 450. & ſeqq.
Nullum eo in Capite inter Maſſilienſes, & Molinianos reperiri diſcrimen. 453
In quo ſitus fuerit Maſſilienſium Error, ex ipſiſmet eorum Anteſignanis eruitur. 454 & ſeqq.
Et clarius. 459
In qua hujuſce Propoſitionis parte Janſenius hæreticè ſenſerit. 459. & ſeq.
Spontaneæ credulitatis nomen a Semipelagianis uſurpatum Fidem a ſola Natura profectam nequaquam indigitat. 457
Non obeſt interior Gratia, quam Semipelagiani admittebant, quin initium ſalutis, & Fidei nativis viribus adſcribatur, ſi hæc voluntatis arbitrio ſubditur, ut ipſi putabant. 456 & ſeq.
Duplicem ſecernendam eſſe partem in hac quarta Janſenij Propoſitione, primam hiſtoricam, dogmaticam alteram, & in hanc ſecundam incidere

Pontificiam damnationem. 458
Hujus Aſſertionis Teſtes adferuntur. ibid. & ſeq.
Cur tota in Pontificio Diplomate Propoſitio recenſetur, ſi ſolùm quoad ejus alteram partem proſcripta intelligi debet. 460
Molinam Semipelagianiſmum ſuſcitaſſe, ſemper fuit Thomiſticæ Scholæ contentio; eaque de re Prædicatorum Ordo coram Apoſtolica Sede expoſtulavit. ibid.
DE QUINTA Janſenij proſcripta Propoſitione 462 & ſeq.
Janſenianus error in hac Propoſitione non tam in falſi Dogmatis aſſertione poſitus eſt, quàm in Catholicæ veritatis infamatione. ibid.
Cur in Pontificio diplomate additum ſit *pro ſalute*, cùm Propoſitio id non explicet. 463
In ſenſu hæretico eam protuliſſe Janſenium, ex ipſius Doctrina, & Contextibus evincitur. 463 & ſeq.
Imò ex tribus Janſenii Principiis ſtatutis. ibid.
Catolicum Dogma verè inter ſemipelagianos Errores reputavit. 466
Adverſus eandem quintam Janſenii Propoſitionem Sacrarum Scripturarum, Conciliorum, & D. Auguſtini Teſtimonia proferuntur, nec non Theologicis rationibus eadem impugnatur. 473. & ſeqq.
Janſenii Effugia præcluduntur. ibid.
Si ſola ſufficientia pretii, ut autumat Janſenius, ſecluſo animo, & intentione redimendi omnes Homines, ſpectaretur, & pro Dæmonibus Chriſtus Sanguinem ſuum ſudiſſe dicendus eſſet. 474
Quatuor in Claſſes D. Auguſtini Oracula diſtribuuntur, quibus Janſeniana Hypotheſis funditus evertitur. 475. & ſeqq.
Admiſſa Janſeniana Hypotheſi, exinanita jaceret omnis Religio, Pietas, Affectus in Deum. 476
Imò nutaret Fides ipſa, evaneſceret Spes, langueſceret admodum Charitas. 477. & ſeq.
Nullam eſſe ex quinque proſcriptis Propoſitionibus, quæ magis a communi Pietatis ſenſu abhorreat, quàm ſit iſta ordine quinta. 478
Janſenii Momenta, quibus Errorem quintæ hujus Propoſitionis tueri nititur, ad examen vocantur, atque exſufflantur. 479. & ſeqq.
Quomodo explicandum ſit illud Matth. 26. *pro multis effundetur*. 479
Eodem illo Argumenti genere ex Apoſtolo *ad Rom.* 5. utebantur Pelagiani adverſus Originale peccatum. ibid.
Pro multis effuſum fuiſſe Sanguinem Chriſti efficaciter, pro omnibus ſufficienter. 480
Chriſtus & pro Reprobis oravit. ibid.
Duplex ex Angelico Doctore fuit Chriſti Oratio; una generalis Divinæ Voluntatis, altera efficacis, & abſolutæ Voluntatis interpres. ibid. & ſeq.
Plus ſibi credi vult Janſenius Auguſtinum interpretanti, quàm D. Proſpero, qui Auguſtini Diſcipulus fuit. 465
Tres Auguſtini Expoſitiones ſuper Apoſtoli Textum 1. *ad Corinth. cap.* 2. *Deus vult omnes Homines Salvos fieri*. 468
Temeraria quorundam in eas D. Auguſtini Expoſitiones petulantia. 469
Error aliorum, qui ita Expoſitionibus illis inhærent, ut aliud nullum fieri poſſe interpretamentum ſuper illum Apoſtoli Textum exiſtiment. ibid. & ſeq.
Ea Sacræ Scripturæ majeſtas eſt, & altitudo, ut una eademque litera varios poſſit habere ſenſus. 470
Auguſtinus ab alia intrepretatione, qua Voluntas Dei ad omnium, & ſingulorum Hominum ſalutem extenditur, non abhorruit. ibid.
Circa generalem illam Salutis omnium Hominum Voluntatem longè aliter a Molinianis Auguſtini, & D. Thomæ Diſcipuli ſentiunt. 471
Etſi Thomiſtæ aliqui generalem illam Dei Voluntatem conditionatam ap-

appellent, procul tamen eſt illa conditio ab ea, quam Semipelagiani efſutiebant. ibid.
Qui fieri poſſit, ut ſalvari omnes Homines Deus velit, cùm reipſa pauci ſalventur. ibid.
Qua ratione fieri poſſit, ut contrariæ, ac repugnantes in Deo Voluntates exiſtant; una ſcil. qua velit omnes ſalvari; altera, qua velit aliquos tantùm ſalutem conſequi. ibid.
Quo pacto Voluntas illa Salutis omnium ſincera vocari, & eſſe poſſit. 472
Quare Deus, cùm omnes ſalvare poſſit, non tamen ſalvat. ibid.
Reſponſio ad obiectum Mercatoris Exemplum. ibid.
Reſponſio ad obiecta Auguſtini Teſtimonia. 481
Quomodo ſalvetur generalis illa ſalvandi Omnes Voluntas Dei, etſi non Omnibus ſufficientia Auxilia largiatur. ibid. & ſeq.
Cur qui Auxilia Omnibus ſincero animo præparavit, non tamen Omnibus conferat. 482. & ſeq.
Faciliùs in Moliniano Syſtemate hæc omnia Divinæ Gratiæ Myſteria intelliguntur, atque explicantur: verùm ob hoc ipſum reiiciendum eſſe. 483. & ſeq.
Melius eſt cum Apoſtolo Paulo & Auguſtino impervia Myſteria tacitè venerari, quàm cum Molina prophanas novitates temerè conſectari. 484
Quid requiratur, ut quis hæreticus ſtricto ſenſu dici poſſit. p. 184. & ſeq.
Soli Eccleſiæ, & Romano Pontifici infallibilitas in rebus Fidei decernendis, ac proponendis promiſſa eſt atque collata. 486
Veroſimiliùs eſt, imò & multùm probabile, Janſenium, ſi diutiùs vixiſset, Eccleſiæque judicium audiiſset, Errores ſuo reprobaturum, ac obſequenter obtemperaturum. 485
Graviter reprehendenda illorum dicacitas, qui Janſenium cum Luthero, Calvino, cæteriſque Hæreticis contumacibus comparant. ibid.
IGNORANTIA ſimplicis neſcientiæ Naturæ puræ conſectarium fuiſſet; ſed Ignorantia pravæ Diſpoſitionis Protoparentis peccati pęna e[illegible] 462
IGNORANTIA veri, & Difficultas recti non primordia, ſed ſupplicia eſſe Naturæ, ex D. Auguſtino 403 & ſeqq.
Sententia de vulneribus a peccato Originali Humanæ Naturæ inflictis, non eſt propria, & peculiaris ſolius Angelicæ Scholæ Doctrina, ſed ab ipſis Scholaſticæ Theologiæ primordiis propugnata. 407
Imò ex primis Theologiæ Principiis ſoboleſcit. ibid.
Quot, & qualia in Hominem deriventur ex Originali peccato impedimenta, quibus a bono retrahitur in Statu Naturæ lapſæ; quod minimè contigiſſet in Statu Naturæ puræ. ibid.
Adverſariotum obiecta, & Reſponſa ad illa. 409 & ſeq.
Vide peeccatum Originale.
IMMUNITAS a morte, cæteriſque miſerijs non fuit debita Humanæ Naturæ conditioni. 236 & ſeqq.
JUDÆI per ſummam fraudem ex pluribus Joſephi Flavij Hiſtoriæ Codicibus nobile de Chriſto Teſtimonium expunxerunt 48
Alia Joſephi Loca ad Chriſtianam Religionem ſpectantia fuere a Judæis interpolata. 49

L

LELIUS SOCINUS impiè de Trinitate blaſphemans Baſileæ, vel Tiguri, impiam animam evomuit; Antetrinitarius communiter appellatus, a quo recentes Sabelliani, Sociniani vulgò dicuntur. 12
LATINI PATRES in Concilio Florentino OEcumenico, productis antiquiſſimis trecentorum annorum Codicibus græcis, comprobarunt D. Baſilii Magni Teſtimonio, quod Græci

ci inficiabantur, Proceſſionem Spiritus Sancti a Filio. 82
LEONARDUS COQUÆUS, Librorum de Civitate Dei Commentator egregius, de D. Auguſtini mente circa Gratiæ efficacis neceſſitatem in Angelis viatoribus dubitari non poſſe fatetur. 273
LIBERTAS, ſeu Indifferentia duplex, alia Contrarietatis, alia Contradictionis, ſecundum Theologos. 442
TERTIA LIBERTAS a Coactione ibid.
LIBERTAS major in Angelis, & Beatis, qui peccare non poſſunt, quàm in Hominibus viatoribus, qui peccare poſſunt. ibid.
LIBERTATEM Contrarietatis non eſſe ad merendum neceſſariam, neque Naturæ rationali neceſſariò debitam. ibid.
DIFFERENTIA inter Libertatem, quæ eſt immunitas a neceſſitate, & Libertatem, quæ eſt immunitas a coactione. 443
LIBERTATEM a neceſſitate neceſſariam eſſe ad merendum, ex D. Auguſtino. 445 & ſeq.
Imò ex ipſa naturali Philoſophia, & ex D. Thoma. 446
Vide Janſenium.

M

MACEDONIANORUM Momenta adverſus Spiritus S. Divinitatem refelluntur 63. ad 69
MERITUM vide Libertas; vide Janſenium ad 3 Propoſitionem.
MONTANI Diſcipuli circa Trinitatem Errores a Sabellio mutuarunt. 11
MOYSES cur tres tantùm Adami filios recenſuerit. 174
Cur prima illa ætate Fœminarum generationes ſilentio prætermiſſæ. 176
MULTITUDO Hominum quanta ex uno Abrahamo per Iſaachum, & Jacob quadringentorum annorum ſpatio propagata fuerit. 174
MUNDI creatio, vide Creationem.
MUNDUS non Vere, ſed Autumno creatus. 150
Satis fit adverſæ Sententiæ Momentis 153. ad 157
MULIER quo pacto Viri adjutorium intelligenda veniat. 180
MULIERES cur aliquando magnis Viris æquales, ac etiam clariores extiterint. ibid.
Vide Heva.

N

NATURÆ Humanæ bona qualia poſt peccatum integra remanſerint, qualia non. 253. & ſeq.
NATURÆ Humanæ Status quot. 222 & ſeqq.
NATURA pura poſſibilis fuit. 224 & ſeqq.
NAVIGANDI artem ante Noachum incognitam fuiſſe, tradunt Eccleſiæ Patres. 162
NEMBROTHUS idem ac Belus. 170
Juxta nonnullos Babylonem condidit. ibid.

O

ORIGINALE PECCATUM vide peccatum Originale.
ORIGENES graviter a Patribus reprehenſus, quod tria priora Libri Geneſeos Capita non hiſtoricè, ſed allegoricè ſit interpretatus. 183
Ejus opinio de Paradiſo Terreſtri confutatur. 195 & ſeqq.

P

PARADISUM TERRESTREM corporeum, ac peculiarem in Terris locum fuiſſe 193. & ſeqq.
Ejus Deſcriptio ex Alcimo Avito. 194
Quid de illo ſenſerit Origenes, vide Origenes
Quid de ejus Fluminibus ſentiendum. 198 & ſeq.
De illo narratio a Moyſe facta ſecundum

dum literam debet intelligi. 195 & ſeq.
Incertum eſſe, etiamnum extet, nec ne. 200 & ſeqq.
PARADISI nomen variè uſurpatum. 201
Adhuc extare, ex translatione Henochi probari non poteſt. 200 & ſeqq.
Neque ex religioſa Eccleſiæ diſciplina. 203
Neque illum periiſſe ex univerſalis Diluvii inundatione. 204 & ſeqq.
Cur, ſi adhuc extat, a nemine hactenus detegi potuerit. 206
Cur, ſi Diluvii aquæ ad eum non pertigerint, Familia Noe in eum ſervanda translata non fuerit. ibid.
PARADISI Arbores Scientiæ, & Vitæ, vide Arbores
PARADISI nomine in Scripturis & Patribus non ſemper Paradiſus Terreſtris intelligendus venit. 201
PAULUS Apoſtolus in Paradiſum Terreſtrem raptus non fuit. 203
Imò nec Latro pœnitens. ibid.
PARVULOS non baptizatos ad extremum Judicium minimè acceſſuros Theologi nonnulli aſſerunt. 321
Eoſdem animi pœnas perſentire ob amiſſam Beatitudinem. 331 & ſeqq.
Pœnæ triplex genus a Theologis in altera vita conſtituitur. ibid.
Triſtitia affici Parvulos illos, expreſſa D. Auguſtini Sententia eſt. 333 & ſeq.
Quamvis cognoſcere nequeant amiſſam felicitatem, ut ſpecialiter ſita eſt in intima Dei Viſione, poſſunt tamen eam cognoſcere ſub communi ratione boni, & ultimi Finis. 335
Et niſi hoc attingere poſſint naturali lumine, ex Dei ſaltem revelatione. ibid.
Id ſaltem cognoſcent in die Judicii ibid. & ſeq.
Jus ad eam habuerunt in Adamo, & ex morte Chriſti. 336
Quòd aliena culpa damnati ſint, hoc illis pœnam non minuet, ſed potius augebit: imò & pudor eis adhærebit; non tamen Conſcientiæ vermis ibid.
POENA ſenſus proportionem habet cum Originali peccato. 363
PARVULOS non baptizatos a Regno Dei exſules Pelagiani non diffitebantur 331
Iiſdem Parvulis ſupernam Beatitudinem largitur Zuinglius cum Lutheranis, & Calvinianis. 332
Quin & ad Infidelium filios id extendit. ibid.
Nullum ex D. Auguſtino poſt diem Judicii medium futurum locum inter Regnum Cœlorum, & gehennam, ubi Parvuli non baptizati vitam ducant. 338. & ſeqq.
Idem ex Gelaſio I. Rom. Pont. 340
Idem ex Concilio plenario Africano. 341
Idem ex Authore Libri Hypomneſtico, vulgò Hypognoſticon. 342.
Objecta Sententiæ oppoſitæ. ibid. & ſeqq.
Quomodo intelligenda Chriſti Domini in extremo Judicio pronuncianda Sententia. 343
Quomodo explicandus Apoſtoli Textus quoad manifeſtationem in extremo Judicio, ut quiſque referat propria corporis prout geſſit. ibid.
Sententia D. Auguſtini de ſenſibilibus Puerorum ſine Baptiſmate decedentium pœnis a cenſuris, atque calumniis vindicatur. 338. & ſeqq.
Probationes pro eadem D. Auguſtini Sententia ex S. Scriptura, Summis Pontificibus, Conciliis, & Patribus. ibid.
Idem ex veteris Eccleſiæ Diſciplina. 345
Idem ex Concilio Tridentino. 346
Reſponſa Adverſariorum. 347. & ſeqq.
Eadem D. Auguſtini Opinio aliorum Patrum ſuffragiis communitur. 351. & ſeqq.
Reſponſionum Adverſariorum confutatio. 357. & ſeq.
Eadem Sententia rationibus Theologicis comprobatur. 359. & ſeqq.
Reſponſiones ad Objecta. 360. & ſeqq.
Reſponſiones ad Authoritates in op-

poſitum allatas. 366. & ſeqq.
Pœnæ ſenſus Parvulorum intenſio certò definiri non poteſt, nec Auguſtinus definivit. 368
De quo ſubdubitaverit Auguſtinus circa ignem, quo Parvuli non abluti in altera vita cruciantur. ibid.
Authoritates contra Errores poſtmodum obortos, ex iis Patribus non ſunt deſumendæ, qui, antequam orirentur, aliquid in iis materiis ſcripſerunt; ſed ab iis, qui data opera illos jam exortos confutarunt. 369. & ſeq.
Cardinalis Pallavicinus eos duriùs exagitat, qui Auguſtinianæ Sententiæ in Cauſsa Puerorum temeritatis, vel crudelitatis Notam affingunt. 371
Textus Apocalypſis cap. 20. v. 7. expenditur, atque explicatur. 372
Aliquo ſenſu dici poteſt, Parvulos ſe glorificaſse, & in deliciis fuiſse. ibid.
D. Thomas in Cauſsa Puerorum Sententiam retractavit. 373
Adverſariorum Momenta in Cauſsa Infantium expenduntur, ac refutantur. 374. & ſeqq.
Non ſecundùm Philoſophiæ Principia, vel Philoſophorum Decreta, ſed ſecundùm Scripturas, & Patres de rebus Fidei diſſerendum. 376
Poteſt dari ſupplicium, ubi dari nequit correptio. ibid.
Imò Parvuli illi ob ſolum Originale peccatum correptioni ſubiacent, non ad emendationem, ſed ad contumeliam, ex D. Auguſtino. ibid.
Quare Adultis ad Baptiſmum accedentibus nullam pœnitentiam imponat Eccleſia. 377
Quare iis nullus injungatur dolor de Originali peccato. ibid.
Imò negatur a D. Auguſtino, nullum injungendum eſse dolorem Cathecumenis de Originali peccato. ibid.
Cur Naturæ, non Perſonæ Vitium dicatur peccatum Originale. 378
Non Naturam ſolam, ſed & Perſonam inficit. ibid.
Peccatum Originis nedum reddit Homines a Deo averſos, ſed etiam ad Creaturas converſos, non quidem actu proprio, ſed alieno, & quare. ibid. & ſeq.
Etſi Homo per Originale peccatum non eſset ad Creaturas converſus, ob ſolam tamen averſionem a Deo puniendus eſset in altera vita ſenſibilibus pœnis. 379
Impugnatur Beatitudo naturalis, quam Theologi quidam poſt extremum Judicium Parvulis non ablutis adpromittunt. 381
Imò Error in Fide cenſendus eſt. ibid. & ſeq.
Principia quatuor, quibus Sententia illa impugnatur. 382. & ſeqq.
Fundamenta Catharini, & Sfrondati pro ea tuenda Sententia. 387 & ſeqq.
Iiſdem & Origenes uſus fuit in ſui Erroris præſidium. ibid.
PECCATI Originalis Dogma contra Judæos, Pelagianos, & Socinianos ex veteris, & novi Teſtamenti Oraculis probatur. 198. & ſeqq.
Confutatio Reſponſi Pelagianorum ad Apoſtoli Teſtimonium *ad Rom. cap.* 5. 300. & ſeqq.
Ad peccatum Originale probandum, Argumentum ex Circumciſione petitum minùs efficax eſt, & quare. 302. & ſeq.
Idem Dogma confirmatur Patrum veterum Traditione, aliiſque rationum momentis. 304. & ſeqq.
Primum non fuiſse Auguſtinum, qui Dogma illud in Eccleſia prædicaverit, ut Sociniani cum Pelagianis, & nonnullis etiam Catholicis Theologis, minùs profectò cautis, aſserunt. ibid.
Obſervatio longè graviſſima. 307. 308
Antiquitas hujuſce Dogmatis ex Sacris Baptiſmi Ritibus, & Cæremoniis evincitur. 308
Momenta Pelagianorum, & Socinianorum ex Scripturis, & ratione adverſus Originale peccatum. 311. & ſeqq.
Eadem ex Veterum Patrum Auguſtino ſuperiorum authoritate. 318. & ſeqq.

Exem-

Exempla illorum, qui ob peccata Parentum puniti ſunt. 311
Quomodo intelligendum ſit Oraculum Ezechielis *cap.* 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris* ex D. Auguſtino. 312
Non ex Humana Philoſophia, ſed ex Divinis Literis adſtruenda, vel improbanda Dogmata. ibid.
Etiam ſanæ Rationi conſentit Dogma Originalis peccati. 313. & ſeqq.
Ad peccati rationem generatim & universè ſumti ſatis eſse, ſi ſit voluntarium aut phyſicè, aut moraliter; tametſi ſpeciatim ad peccatum actuale ſit omnino neceſse, ut ſit phyſicè voluntarium. ibid.
Exemplum Tutoris in Cauſsa Pupilli. 314.
Quomodo Originale peccatum a Parentibus baptizatis derivetur in Filios, cùm in illis antequam generent, per Baptiſma jam ſit deletum. 316
Cur Nuptiæ non damnandæ, ſi per Nuptias Originale peccatum in Prolem propagatur. 317
Cur peccatum Adami in Poſteros traducatur, tametſi aliorum Parentum crimina in Filios minimè tranſeant. 324
PECCATI originalis nomine non nuda Originalis Juſtitiæ privatio intelligenda. 359. & 400. & ſeqq.
Ex Originali peccato quot vulnera fuerint Humanæ Naturæ inflicta, & in quibus Animæ Potentiis. 406
Objecta illorum, qui nihil in Naturalibus Humanam Naturam ex Originali peccato paſſam fuiſſe contendunt, & eorumdem refutatio. 409. & ſeqq.
Quomodo intelligendum Pronunciatum illud: *Peccatum Originale non eſſe, niſi removens prohibens.* 410
Cur æquales in Omnibus non ſint ordinati motus Potentiarum Animæ ex Originali peccato progerminantes, cùm æquale in omnibus ſit ipſum peccatum. 411
Quomodo explicandum illud Theologorum Effatum: *Homo læſus differt ab Homine ſano, tanquam nudatus a nudo.* 412
PECCATUM Originale nedum pœnæ rationem importat, quod in adverſa Sententia ſequeretur, ſed etiam culpæ. 413
Reſponſio ad Objectionem ex D. Thoma petitam. ibid.
Quot modis naturalis Virtus debilitari minuique poſſit. ibid. & ſeqq.
Thomiſtæ quidam Theologi, & præcipuè Cajetanus, ab impacta illis calumnia, quaſi contrariam Sententiam propugnarint, vindicantur. 414. & ſeqq.
PEIRERIUS, abjurata Romæ Calviniana Hæreſi, Sententiam de Præadamitis a ſe prius Scripto propugnatam retractavit, & Scripto alio confutavit, ſed leviter admodum, atque ſuccinctè. 158
Ante Peirerium Præadamitarum Error Præformatores habuit. ibid.
PETRI POMPONATII Sententia, qua propugnabat, mortales eſſe Hominum Animos ſecundùm Philoſophiam, quamvis immortales ſecundùm Fidem, a Concilio Lateranenſi V. proſcripta. 133
PHILOSOPHIS in naturalium rerum indagatione quid a Theologis permittendum, quidve negandum. 124. & ſeqq.
PHOTIUM non fuiſſe primum Authorem Erroris de Spiritus Sancti Proceſſione. 69. ad 73
PLINIUS ſecundus ad Trajanum Cæſarem pro Chriſtianis ſcribit. 52
PROCESSIO Spiritus Sancti a Filio Græcorum Patrum authoritate probatur. 81. ad 86.
Eadem ex Scripturis, & utriuſque Eccleſiæ, Græcæ atque Latinæ, Definitionibus. 75. ad 80
Græcorum Objecta diluuntur. 87. ad 98
PROCESSIO Spiritus Sancti cur non dicatur Generatio. 105. ad 107
Cur tantùm duplex in Divinis, ſeu cur duo tantùm in Proceſſionum Termini, Verbum ſcilicet unicum, & uni-

unicus Spiritus. 107. 108
PROCEDERE Spiritum Sanctum per Filium idem omnino ſonat, ac procedere a Filio. 89. ad 92
PROCESSIO Spiritus Sancti ex quo amore proveniat. 116. 117
PROCESSIONIS Spiritus Sancti an unicum ſit, vel duo Principia. 117. 118
PRÆADAMITARUM Erroris origo, ſyſtema, & fundamenta. 158. ad 164
Eorumdem Error confutatur. 165. ad 179
PRÆADAMITÆ Protoparentem duplicem admiſerunt, Gentilium unum, Judæorum alterum; illum iſto longè priorem. ibid.
PRÆCEPTUM a Deo datum Adamo privatum fuiſſe; adeoque nec Legis nomine appellandum, nec Poſteros obſtricturum fuiſſe. 179
PROTESTATIO Authoris de ſua erga Eccleſiam Græcam veneratione. 69
PSITTACUS Cardinalis Aſcanii recitabat integrum Fidei Symbolum, nullo prorſus admiſſo errore. 190

Q

QUÆSTIONES Fidei ex Scriptura Sacra, & Traditione dirimendas eſſe. 420

R

RABBINI veteres Meſſiam futurum Deum & Hominem prædicarunt. 42
RAYMUNDI Lulli aſſertio, qua Trinitatis Myſterium naturali ratione demonſtrari poſſe contendit, impugnatur. 99. ad 104
Ejuſdem Propoſitiones plures ſub Pontificatu Clementis VIII. damnatæ. 104
RELATIONES divinas ex proprio conceptu dicere perfectionem. 121. ad 123

S

SABELLIANI perperam de Trinitate ſentientes veteris Teſtamenti Authoritate confutantur. 4. ad 9
Idem ex novi Teſtamenti Authoritate. 11. ad 17
Eodem cum Judæis Errore fuiſſe implicitos. 10
Eorumdem Momenta refelluntur. 18. ad 29
SCRIPTURÆ Sacræ familiare eſſe, nomina rebus imponere ab eventu ſequuto. 209
SEMIPELAGIANI nec peccatum Originale negabant, nec diffitebantur, primum Hominem fuiſſe Originali integritate, atque Juſtitia deſtitutum. 398
In Homine tamen lapſo reſiduam ſaltem exiſtimabant Naturæ vim, & robur, quibus ad bonum conari ex ſeſe poſſet. ibid. & 400
Principium Salutis & Fidei ex nobis eſſe ſentiebant quidem, non tamen ut Moliniani autumant; quòd videlicet in nuda Natura illud reponerent, ſed veriùs, quòd a Gratia eſſet, tanquam determinabili per humanum arbitrium, ut Efficaciam ſuam ſortiretur. 450. & ſeqq.
Imò Gratiæ interioris neceſſitatem ad initium bonorum operum, & Fidei, eos agnoviſſe, ex ipſorummet confeſſione, & ex ipſo D. Auguſtino luculenter evincitur. 454. & ſeqq.
Vide verbo Janſenii ad quartam ejus proſcriptam Propoſitionem.
SEMIRAMIS Babylonem non condidit, ſed muris duntaxat cinxit. 170
SENSUS literalis Sacræ Scripturæ duplex, proprius, & metaphoricus. 145
SERPENS tentator fuit verus Serpens. 187. & ſeqq.
Fuit organum Diaboli. 190
SERPENTES fuiſse primitus loquendi facultate præditos, ejuſque privatione in tentationis Hevæ pœnam mul-

multatos, commentus eſt Joſephus Flavius. 189

SERPENS cur ipſe a Deo maledictus, quamvis Diaboli organum duntaxat fuerit. 192

Pœna illi poſt Protoparentum peccatum inflicta, fuit vera pœna, etſi illi naturale fuerit gradi, & terram comedere. ibid.

Maledictionem Serpenti datam, in Diabolum etiam recidiſse, commodè per allegoriam intelligi poteſt. ibid.

SERVETUS impiè de Trinitate ſentiens, infecta Erroribus Transylvania, Genevæ, Calvino ipſo judicante, flammis addictus eſt. 12

Ejuſdem Libello adverſus Trinitatem edito, agente Calvino, flammis abſumpto, tria tantùm Exemplaria ſuperfuerunt, quorum unum in Chriſtianiſſimi Regis Bibliotheca aſservabatur. 20

SFRONDATUS Cæleſtinus a Gallicanis Epiſcopis ob aſsertum Parvulis non ablutis Sacro Baptiſmate Statum meliorem poſt diem Judicii ipſa Dei Gratia, eoſque ſervare Perſonalem Innocentiam, tanquam de violata Fide coram Apoſtolica Sede expoſtulatus fuit. 386

Eiuſdem binum Sophiſma. 390. & ſeqq.

Aliud eſse peccatum, aliud peccandi periculum. 392

Etſi mortale peccatum quid majus eſset in genere mali, quàm Gratia Divina in genere boni, non tamen ita peccandi periculum. ibid.

SPIRITUS Sancti Divinitas contra Eunomianos, & Macedonianos aſseritur, ac propugnatur. 57. ad 63

Si a Filio non procederet, an adhuc ab ipſo diſtingueretur. 118. ad 120

Vide Proceſſio.

STATUS Humanæ Naturæ, vide Naturæ Humanæ.

SUBJECTIO Partis inferioris ad Rationem alia eſt quoad ſubſtantiam, alia quoad modum, & perfectionem. 252

SYBILLARUM de Chriſto Vaticinia. 39. ad 41

SOCINUS vide Lælius.

T

TENTATIO primorum Parentum, vide Hevæ tentatio.

TEMPESTAS nulla præfigi poteſt, quæ eadem in toto Orbe ſimul regnet. 150

THEOLOGIA Scholaſtica minimè contemnenda ex Facto Calvini. 25

THEOLOGIS quomodo in Divinorum Naturæ Operum indagatione ſit procedendum. 124. ad 134

IN TRINITATE plures errarunt, quam in cæteris Fidei Chriſtianæ Myſteriis. 1

TRINITATIS Myſterium aliter ſub Lege, aliter ſub Gratia revelatum. 4 & 5

Etiam ſub Lege ſpirituales Judæi ex veteris Teſtamenti Libris cognitionem aliquam de Trinitatis myſterio habere potuerunt. 5. & 6

Ad Trinitatem Perſonarum in Divinis evincendam, ex veteris Teſtamenti Libris Teſtimonia proferuntur. 6. ad 9

Idem ex novo Teſtamento adverſus Sabellianos, atque Socinianos. 11. ad 17

Myſterium hocce nulla poſſe naturali ratione demonſtrari, vide Raymundi Lulli aſſertio.

Imò naturali ratione prorſus evinci, quòd naturali medio demonſtrari minimè poſſit. 102

V

VALENTINUS Gentili Bernæ apud Helvetios extremo ſupplicio affectus Hæreſis ſuæ, ſeu potius Impietatis, Hæredes in Polonia reliquit. 12

VERBI ÆTERNI Divinitas, & cum Patre conſubſtantialitas, vide Chriſti, ec.

VERBI DIVINI Generatio, vide Generatio.

VOLUSIANI de Auguſtino Pronunciatum. 148

FINIS.